FR. THOMÆ MARIÆ CERBONI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI,

ET PROFESSORIS IN URBANO COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE

DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ MDCCLXXVII.

TYPIS SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

PRÆSIDUM FACULTATE.

SANCTO APOSTOLO
JACOBO MAJORI

TRNSFIGURATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SPECTATORI, ET TESTI BEATISSIMO, DOMINICI CALICIS PARTICIPI PROMPTISSIMO, OMNIUM APOSTOLORUM PRIMO MARTYRII LAUREA CORONATO, ET COELESTEM GLORIAM INGRESSO.

QUOD Tibi, SANCTISSIME APOSTOLE, vovere, dicare, & omnino consecrare constitueram, nunc voveo, dico, & consecro, atque eo me pervenisse, Deo juvante, gaudeo, ut Tibi persolvere possim, quod, si non qua dignus es, saltem qua per me poterat, animi mei devotione, ac reverentia, semel obtuli. Impleo nunc ergo, quod promisi. Munus hoc meum tale non esse, quod Tua sanctitate dignum sit, quodque eorum, quæ a me Tibi debentur, meritum non dicam coæquare, sed saltem aliquo modo attingere possit, novi sane, atque profiteor; verum si quam deberem, non valeo, eam tamen, quam, licet omnino imperfecte, referre Tibi gratiam signo aliquo exteriori poteram, a me negligendam non esse putavi. Quæ ergo scripsi, immo me

ipsum totum sub tua protectione, BEATISSIME APOSTOLE, recipe, & tuis apud Jesum Christum effice precibus, ut benedictio Dei sancta, superabundans, & superexcedens super hunc laborem meum descendat, atque me semper comitetur, & prosequatur. Hoc sane est, quod a Te rogo, ac vehementer obsecro pro ea, qua apud Deum amplissima gratia vales. Nam præcellentia quædam maxima amoris, quo *ab initio* flagrare cœpisti, illa sane fuit, quæ non solum eo Te evexit, ut una cum duobus aliis Apostolis gloriosæ Transfigurationis Jesu Christi spectator, & testis evaseris, sed etiam omnium Apostolorum primus martyr effectus fueris (1), tantaque constantia Tuam vitam pro Jesu Christo profundere prætuleris, ut eam demiratus, qui Te apud Judicem detulerat, Christianæ Religioni nomen dederit, & una tecum pro ea martyrium subierit (2). Nunc ergo ex altitudine illa maxima gloriæ, qua potiris, ex pleno statu felicitatis, in quo lætaris, me tuum famulum, quæso, benignus intuere, eaque mihi adjumenta gratiarum a supremo Largitore omnium bonorum obtine, quibus & nunc, prout status mei conditio fert, recte vivere, & æternæ felicitatis aliquando particeps fieri possim.

INDEX

(1) S. Joannes Chrysostomus Homil. 65. *in Matth.*, alias *66.*, num. 4., & S. Joannes Damascenus Homilia *De Transfiguratione Domini* num. 9.

(2) S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 9.

INDEX CAPITUM.

LIBER XIV.

LIBER XV.

LIBER XVI.

LIBER XVII.

LIBER XVIII.

LIBER

LIBER XIX.

LIBER XX.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. A. Marcucci Episc. Montisalti Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

DE

DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

LIBER. XIV.

DE HIS, QUÆ IN LEGE EVANGELICA CONSULUNTUR.

QUAMVIS etiam in Veteri Lege non defuerint, qui, inspirante Deo, ea, quæ nunc in Lege Evangelica consuluntur, suo opere compleverint; quum tamen Lex Vetus, & terrenis promissis alliceret homines ad observationem præceptorum, & non esset lex filiorum, atque perfectorum, sed imperfectorum, aliqua in ea consilia proposita non erant, per quæ homines eorum observatione ad ultimi finis consequutionem facilius, & expeditius possent pervenire. Novæ itaque Legi, quo avocati a terrenis ad cœlestia elevamur, & quæ filiorum, atque perfectorum lex dicitur, hoc reservatum erat; indeque est, ut Christus quædam etiam consilia proposuerit; quorum observatione melius & facilius homo salutem æternam consequi posset. Omni tempore fuerunt, qui consilia Evangelica impugnarunt, nec desunt qui nunc etiam ea im-

pugnent. Itaque omisso errore illorum, qui, uti refert Sanctus Epiphanius *Heresi* 61. num.1., & S. Augustinus *de Heresibus Heresi* 40., consilia Evangelica non secus ac præcepta ab omnibus servari oportere dicebant: hoc, inquam, misso errore, qui sua ipsa falsitate jam a multo tempore obsolevit; alii fuerunt, qui nullum singulare præmium repositum esse observationi consiliorum effutierunt. Ita de castitate sensit Jovinianus, uti a S. Hieronymo traditur, in lib.1. contra eumdem num.3., & S. Augustino *De Heresibus Heresi* 82. de paupertate Vigilantius, uti in lib. contra eum num.1. tradit S. Hieronymus, Willelmus a Sancto Amore, teste S. Thoma opusculo 16. cap.6., & de obedientia Lampetiani, sicut scribit S. Joannes Damascenus *De Heresibus* num.98. Alii autem consilia damnarunt, non solum uti rem inutilem, sed etiam humanæ societati perniciosam. Nam ut omittam veteres, aliosque perpaucos non valde antiquos, Lutherus in caput 7. 1. epistolæ *ad Corinthios* statum eorum, qui tria vota obedientiæ, paupertatis, atque castitatis profitentur, vocat *inutilem*, *ethnicum*, *terrenum*, *secularem*, *luteum*. Calvinus lib.4. *Institut.* cap.13. monasteria *retia satanæ*, Monachos omnes *Sophistas cucullatos*, *& diabolo consecratos* appellat. Philippus Melancton in *Apologia pro Confessione Augustana* vota, ac opera Monachorum *observationes fatuas*, *simulationes hypocriticas*, *traditiones Pharisaicas*, *& Mahumeticas* esse dicit. Tandem, ut alios omittam, Magdeburgenses Centuriatores in 10. cap. *Centuriæ* 4. hunc dicendi finem faciunt: " Quis non hæc hominum monstra " execratur, ut inimicos humanæ societatis, & contra to- " tam secundam tabulam delinquentes "? Horum vestigia etiam quidam recentiores nostri temporis sequuntur: nam nonnulli statum illorum hominum, qui tribus votis obedientiæ, paupertatis, atque castitatis singulariter se Deo devoverunt, uti reipublicæ bono contrarium traducunt (1): alii

(1) Talem se prodit Auctor Opusculi inscripti: *Examen de la Religion* ch.11., talem Apologista *Spiritus Legis* in Opusculo: *Suite de la defense de l'Esprit des Loix*, tales alii recentiores.

alii vero nulla in Evangelio consilia de bonis operibus constituta esse tradunt, sed solummodo de quibusdam, quæ indifferentia in se sunt; cujus (ut dicunt) generis est Pauli consilium de usu vini Timotheo datum, uti constat ex 1. epistola ejus *ad Timotheum* cap.5. v.14. Ita censent nonnulli Hugonis Grotii commentatores, uti Gulielmus Vander Muelen in Comment. ad §.50. *Prolegomenorum* Grotii ad libros *De Jure belli*, *&* *pacis*, & Osiander *Observatione* 21. in eadem Grotii Prolegomena. Horum ergo omnium errores ut refellamus, rem istam totam in plura capita distribuemus: primo de eo discrimine disputabimus, quod inter præcepta, atque consilia intercedit: secundo de consiliis Novæ Legis generatim, atque universe: tertio de tribus consiliis, quæ proprie talia sunt, distincte, atque singulariter: quarto de ea meriti ratione, quam sibi comparant, qui hæc consilia sequuntur, sive omnia simul, sive aliquod tantum eorum sequantur: quinto utilitatem ab hujusmodi personis derivare in humanam societatem ostendemus.

CAPUT I.

DE EO DISCRIMINE, QUOD INTER PRÆCEPTA, ATQUE CONSILIA INTERCEDIT.

§. I. PRæcepta, & consilia, illorum habita ratione, quibus dantur, in hoc inter se differunt, ut illa obligationem imponant, ista vero relinquantur arbitrio hominum.

« En tibi distantia (inquit S. Ambrosius lib. unico *De Viduis* cap.12. num.73.) præcepti atque consilii, si illum recorderis, cui in Evangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat: præceptum enim ibi est, ubi est pœna peccati. At vero quum se præcepta Legis memorasset implesse, consilium ei datur, ut vendat omnia, & sequatur Dominum: hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati

„ eſt: una præceptiva, altera voluntaria". S. Hieronymus *Adverſ. Jovinianum* num.12. " Quia (inquit) ubi conſilium „ datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſi„ tas eſt ſervientis". Et S. Auguſtinus lib. unico *De ſancta Virginit.* num.15. ita habet: " Præceptum eſt enim hoc, „ cui non obedire peccatum eſt; non conſilium, quo ſi uti „ nolueris, minus boni adipiſceris, non mali aliquid per„ petrabis. Propterea quum dixiſſet (1): *Solutus es ab uxo„ re, ne quæſieris uxorem*, quia non præcipiebat, ne ma„ lum fieret, ſed conſulebat, ut melius fieret: continuo „ ſubjunxit: *Et ſi acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſe„ rit virgo, non peccat*". Præcepta ergo atque conſilia, illorum habita ratione, quibus dantur, in hoc differunt inter ſe, ut illa obligationem imponant, iſta vero relinquantur arbitrio hominum.

§. II. Si ad ea attendatur, quæ præcepta, & conſilia in ſe complectuntur, differunt præcepta a conſiliis, quia illa ſunt de iis, quæ neceſſario requiruntur ad conſequutionem æternæ ſalutis, iſta autem de aliis, quibus æterna ſalus magis facile, atque expedite obtinetur.

Quæ nobis in Divina Lege præcipiuntur, ad illud unum ſunt inſtituta, ut eorumdem obſervatione, Deum, prout debemus, in hac vita diligamus, atque colamus, in altera autem illo perfruamur. Inde vero eſt, ut nobis illud omnino interdicatur, quo ab hujuſmodi propoſito avocaremur; præcipiatur vero id, quo ad illud aſſequendum inducimur. Conſilia autem ideo relicta ſunt arbitrio hominum, quia etiam ſine illis & nunc ii Deum diligere, & colere, & in futura vita beatitudine ejus perfrui poſſunt. " Oportet igi„ tur (inquit S. Thomas 1. 2. qu.108. art.4.) quod præ„ cepta Novæ Legis intelligantur eſſe data de his, quæ ſunt „ neceſſaria ad conſequendum finem æternæ beatitudinis, „ in quem Lex Nova immediate introducit: conſilia vero „ oportet eſſe de illis, per quæ melius, & expeditius po„ teſt homo conſequi finem prædictum. Eſt autem homo „ con-

(1) Apoſtolus 1. *Corint.* cap.7.

„ constitutus inter res mundi hujus, & spiritualia bona, „ in quibus æterna beatitudo consistit; ita quod quam plus „ inhæret uni eorum, tanto plus recedit ab altero, & e „ converso. Qui ergo totaliter inhæret rebus hujus mundi, „ ut in eis finem constituat, habens eas quasi rationes, & „ regulas suorum operum, totaliter excidit a spiritualibus „ bonis: & ideo hujusmodi inordinatio tollitur per præce- „ pta: sed quod homo totaliter ea, quæ sunt mundi, ab- „ jiciat, non est necessarium ad perveniendum in finem „ prædictum: quia potest homo utens rebus hujus mundi, „ dummodo in eis finem non constituat, ad beatitudinem „ æternam pervenire; sed expeditius perveniet totaliter bo- „ na hujus mundi abdicando: & ideo de hoc dantur con- „ silia Evangelii ". Diversa ergo ratione sese habent ad finem ultimum beatitudinis quæ in se præcepta continent, & quæ ipsa consilia complectuntur.

§. III. Ut quis etiam consilia servet ad salutem æternam quandoque requiritur.

Semel ac quispiam vel solemni promissione, ad ea se obligaverit, quæ consilii sunt, vel ut illa impleat, suæ conditionis status singularis requirat; tunc si ea attendantur, quæ intra censum consiliorum antea ex sui natura continebantur, præcepti obligationem induunt, & non secus, ac alia præcepta, ab illo, ut vitam æternam consequatur, servari debent. Nam vel propter fidem datam, vel propter singulare munus, quod sustineatur, obligatio de his quoque contrahi potest, & revera contrahitur, quæ in se spectata nullam præcepti rationem habent. " Quandoque tamen (inquit S. Thomas 2. 2. qu.43. art.7. ad 4.) consi- „ liorum observatio, & impletio operum misericordiæ sunt „ de necessitate salutis: quod patet in his, qui voverunt „ consilia, & in his, quibus ex debito imminet defectibus „ aliorum subvenire, vel in temporalibus, (puta pascendi „ esurientem) vel in spiritualibus, (puta docendo ignoran- „ tem) sive hujusmodi fiant debita propter injunctum offi- „ cium, ut patet in Prælatis, sive propter necessitatem in-

„ digen-

„ digentis: & tunc eadem ratio eſt de hujuſmodi, ſicut de „ aliis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis". Illud ergo quandoque requiritur, ut quis ad æternam ſalutem conſequendam conſilia quoque ſervet.

§. IV. Eſſentia perfectionis non conſiſtit in conſiliis, ſed in præceptis, ex conſiliis tamen ipſa perfectio adjumentum recipit.

Quemadmodum obſervat S. Thomas 2. 2. qu. 184. ar. 3. vitæ chriſtianæ perfectio in charitate reponi debet, primo quidem, atque præcipue in charitate Dei, deinde vero in charitate proximi. Dilectionis autem Dei, & proximi ea ratio haberi non debet, ut conſilii ſit, magis diligere Deum, & proximum; minus autem, ſit præcepti. Nam ut Deum toto corde, & ut proximum, ſicuti nos ipſos, diligamus, Chriſtus omnibus indixit. Toto autem corde quod diligitur, nulla alia perfectiori ratione diligendum ſupereſt; ſicut etiam magis diligere alterum non poſſumus, dum eum non aliter, ac nos, diligimus. Dilectio ergo Dei, & proximi hujuſmodi non eſt, ut in ſe ſpectata majorem, vel minorem perfectionem admittat, & illa ſub conſilio, ſub præcepto iſta cadat. Et vel maxime, uti advertit idem S. Doctor, " Quia *Finis præcepti eſt charitas*, ut Apoſtolus dicit „ 1. *ad Timot*. 1. In fine autem non adhibetur aliqua men„ ſura, ſed ſolum in his, quæ ſunt ad finem ..... ſicut „ medicus non adhibet menſuram, quantum ſanet, ſed „ quanta medicina, vel diæta utatur ad ſanandum. Et ſic „ patet, quod perfectio eſſentialiter conſiſtit in præceptis".

Quia vero id ab altero juvamen recipit, a quo impedimenta removentur, quæ in exercitatione ſuorum actuum ſibi obeſſe poſſent; quum conſilia id præſtent, ſi ad actus charitatis attendatur, eſt inde conſequens, ut perfectio a conſiliis juvamen recipiat. " Nam (proſequitur S. Thomas „ cit. loco) præcepta alia a præceptis charitatis ordinantur „ ad removendum ea, quæ ſunt charitati contraria, cum „ quibus ſcilicet charitas eſſe non poſſet; conſilia autem „ ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis,

„ quæ

„ quæ tamen charitati non contrariantur, ſicut eſt matri- „ monium, occupatio negotiorum ſecularium, & alia hu- „ juſmodi “. Ea ergo eſt ratio conſiliorum, ut non in illis, ſed in præceptis, eſſentia perfectionis conſiſtat, licet ipſa perfectio aliquod ab iiſdem adjumentum recipiat.

CAPUT II.

DE CONSILIIS NOVÆ LEGIS GENERATIM, ATQUE UNIVERSE.

§. I. Appoſite in Lege Nova conſilia præceptis ſuperaddita fuerunt.

Lex Nova Veteri ea etiam de cauſa præeminet, quia illa eſt libertatis iſta fuit ſervitutis (1): præcepta vero, atque conſilia inde inter ſe differunt, quia præcepta obligationem imponunt, conſilia autem arbitrio hominum relinquuntur (2): conſilia itaque in ea potiſſimum lege locum habent, quæ eſt libertatis: quum igitur hujuſmodi ſit Lex Nova, appoſite conſilia præceptis in ea ſuperaddita fuerunt. “ Hæc „ eſt differentia, (ait S. Thomas 1. 2. qu.108. art.4.) in- „ ter conſilium, & præceptum, quod præceptum importat „ neceſſitatem, conſilium autem in optione ponitur ejus, „ cui datur: & ideo convenienter in Lege Nova, quæ eſt „ Lex libertatis, ſupra præcepta ſunt addita conſilia; non „ autem in Veteri Lege, quæ erat Lex ſervitutis “. Deinde, uti monet S. Ambroſius lib. unico *De Viduis* cap. 12. num.72. “ Præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis „ datur. Ubi præceptum eſt, ibi Lex eſt, ubi conſilium, „ ibi gratia eſt. Præceptum, ut ad naturam revocet; con- „ ſilium, ut ad gratiam provocet. Et ideo Lex Judæis la- „ ta eſt, gratia autem electioribus reſervata eſt “. Quapropter ea etiam de cauſa quia Lex Nova eſt gratiæ Lex (3), quam maxime conveniebat, ut in ea præceptis conſilia ſuperadderentur.

§. II.

(1) Lib. 11. cap. unico §.9. (2) Hujus lib. cap.1. §.1.
(3) Lib. 11. cap. unico §.6.

§. II. Bona opera, in quibus esse potest exercitatio consiliorum, ad tria capita commode reducuntur.

" Bona autem hujus mundi (inquit S. Thomas in cit. „ art.) quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, in tribus „ consistunt, scilicet in divitiis exteriorum bonorum, quæ „ pertinent *ad concupiscentiam oculorum*, & in deliciis carnis, „ quæ pertinent *ad concupiscentiam carnis*, & in honoribus, „ qui pertinent *ad superbiam vitæ*, sicut patet 1. *Joan*.2. " Hinc S. Gregorius Magnus *Moralium* lib.18. num.16. Evangelistam Joannem hujusmodi verbis ea omnia complexum fuisse tradit, quæ nos avocare a Divina charitate possunt. Quapropter dum terrenarum divitiarum habita ratione, quæcumque tandem illæ sint: nam omnia exteriora bona sub earum nomine veniunt, nos ita gerimus, ut non solum ab earum cupiditate non vincamur, sed eisdem cum perfectissima moderatione utamur, aut possessione illarum nos omnino abdicemus; tunc sane quod nobis consulitur, hac in re sequimur. Simili ratione si delectationibus carnis vel omnino nobis nosmetipsi interdicamus, vel tunc etiam abstineamus, quando eis frui possemus, & hoc quidem, ut Divino cultui exquisitiorem operam demus, amplectimur sane, quod uti consilium nobis hac de re proponitur. Unde semel ac quidvis ad nostri corporis mortificationem assumimus, quod nobis non præcipiatur; eam consilii rationem sequimur, quæ ad concupiscentiam carnis in officio continendam, immo subigendam, atque edomandam comparata est. Tandem si quæ ad nostram existimationem, honorem, dignitatem, atque præcellentiam conferrent, vel omnino, vel aliqua ex parte non curemus, quamvis citra ullam culpam curare possemus; in ea multiplici varietate consiliorum nos exercemus, quæ sequenda occurrunt, dum nostra de existimatione agitur. Bona ergo opera, in quibus exercitatio consiliorum esse potest, ad tria capita commode reducuntur.

§. III. Exercitatio consiliorum locum sæpissime habet in actionibus quibusdam singularibus.

" Quum

" Quum homo (ait S. Thomas in cit. art.) dat eleemosynam pauperi, quando dare non tenetur, consilium sequitur quantum ad factum illud. Similiter etiam quando aliquo tempore determinato a delectationibus carnis abstinet, ut orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo. Similiter etiam quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quod licite posset facere, consilium sequitur in illo casu, puta si bene faciat inimicis suis, quando non tenetur, vel offensam remittat, cujus juste posset exigere vindictam ". Nimis profecto multæ occasiones recurrunt, si ad loca, tempora, atque personas attendamus, in quibus servari hujusmodi consilia possunt, uti, nobis etiam tacentibus, nemo non videt, simulque illud perspicere licet, exercitationi consiliorum locum sæpissime esse in actionibus quibusdam singularibus.

§. IV. Plura consilia hujus generis nobis proposita sunt in Lege Evangelica.

Christus Dominus in præclarissimo illo sermone, quem in monte habuit, hæc dixisse apud Matthæum cap. 5. v. 39. & seqq. legimus: " Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei, qui tecum vult judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te, ne avertaris ... Benefacite his, qui oderunt vos ". Hæc autem omnia talia sunt, ut si ad animi præparationem attendamus, præcepti rationem habeant, consilii vero tantum, si plures singulares actiones spectemus. Nam præstare petenti, animo quidem parati esse, debemus, atque etiam opera complere, si opus fuerit, aut singularis necessitas exegerit; ceterum licet nulla necessitas singularis ad illa nos impellat, tamen si ea faciamus, tunc sane, quod consilii est, summa cum laude, immo cum perfectissima oblatione cordis nostri facta Deo, procul dubio sequimur. " Præcepta autem patientiæ (inquit S. Thomas

 2. 2. qu. 72.

„ 2. 2. qu.72. art.3.) in his, quæ contra nos fiunt, sunt „ in præparatione animi habenda, sicut Augustinus in lib.1. „ *De Sermone Domini in monte* exponit illud præceptum Do„ mini: *Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & „ aliam*; ut scilicet homo sit paratus facere, si opus fuerit. „ Non tamen hoc semper tenetur facere actu: quia nec „ ipse Dominus hoc fecit; sed quum suscepisset alapam, „ dixit: *Quid me cædis*? ut habetur *Joannis* 18. 23. " Et 1. 2. qu.108. art.4. " Dicendum, (ait) quod ea, quæ de „ vera dilectione inimicorum, & similibus Dominus dicit „ *Matth.6.*, & *Lucæ 6.* si referantur ad præparationem ani„ mi, sunt de necessitate salutis; ut scilicet homo sit para„ tus benefacere inimicis, & alia hujusmodi facere, quum „ necessitas hoc requiret: & ideo inter præcepta ponuntur. „ Sed ut aliquis inimicis hoc exhibeat prompte in actu, „ ubi specialis necessitas non occurrit, pertinet ad consilia „ particularia ". Sunt ergo in Lege Evangelica hujusmodi proposita consilia, quæ in quibusdam actionibus singularibus locum quandoque habent.

§. V. Hujusmodi exercitatio consiliorum talem vitæ rationem non inducit, ob quam consilia Evangelica quempiam profiteri, dici possit.

Tunc nos Evangelica consilia dici potest, quod profitemur, quando institutio vitæ nostræ hujusmodi est, ut sit tota comparata ad normam illorum consiliorum, quibus non una, aut altera actio nostra regitur, sed tota vitæ ratio componitur, atque ita quidem componitur, ut eam sibi sequendam proposuerit, qui Evangelica consilia profiteri dicitur. Hoc autem non habetur, dum quod consilii est, in una, aut altera actione opere completur: exercitatio itaque consiliorum, quæ consistit in actionibus quibusdam singularibus, talem vitæ rationem non inducit, qua dici possit, quod Evangelica consilia profiteamur.

§. VI. Ii recte dicuntur Evangelica consilia profiteri, qui paupertate omnibus divitiis, castitate cunctis carnis deliciis, obedientia superbiæ vitæ omnino renunciant.

Bona

Bona mundi, quæ in humanæ vitæ usum veniunt, ad tria capita reducuntur, quemadmodum jam animadvertimus (1); hoc est ad divitias bonorum exteriorum, ad delicias carnis, & ad honorem, atque dignitates, quæ quidem omnia S. Joannes Apostolus in sua 1. epistola cap. 2. v.16. sub nomine concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ complexus fuit. Inde vero est, ut ad hæc tria capita, hoc est paupertatem, castitatem, & obedientiam ea omnia reducantur, in quibus esse potest locus exercitationi consiliorum (2). Qui ergo paupertate omnibus divitiis, castitate cunctis deliciis carnis, obedientia superbiæ vitæ omnino renunciant, novum vitæ genus aggrediuntur, in quo eam, quam potest, consiliorum exercitationem homo habet. Si igitur consilia Evangelica illi jure optimo profiteri dicuntur, qui juxta eadem consilia totam suam vitam componunt; est sane inde consequens, professionem consiliorum Evangelicorum ab illis fieri, qui paupertate omnibus divitiis, castitate cunctis deliciis carnis, & obedientia superbiæ vitæ omnino renuntiant.

§. VII. Vera, & propria ratio consiliorum in paupertate, castitate, atque obedientia, quas quispiam se servaturum voveat, potissimum consistit.

Ea est ratio consiliorum, ut dum illa amplectimur, facilius, atque expeditius vitam æternam consequamur (3). Nunc autem, quemadmodum animadvertit S. Thomas 1. 2. qu.108. art.4., inter res hujus mundi, & spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit, positi sumus: quo sane fit, ut idem nobis contingat, quod illis, qui in medio duorum extremorum versantur: accedere enim magis ad unum extremum non possunt, quin ab altero recedant, & quo magis ad unum accedunt, ab altero recedant oportet; ita & nos dum rebus hujus mundi magis inhæremus, minus intendimus ad spiritualia bona, vel ad hæc magis intendimus, dum illis minus inhæremus, ita ut quadam inter se proportione semper progrediatur major accessus ad res hujus

B 2

(1) Hujus cap. §.2. (2) Cit. §. (3) Hujus lib. cap.1. §.2.

hujus mundi, vel ad ſpiritualia bona, & major receſſus a ſpiritualibus bonis, vel rebus hujus mundi. Res autem hujus mundi conſiſtunt, ſicuti jam obſervavimus (1), in divitiis bonorum exteriorum, in deliciis carnis, & in honoribus. Hiſce ergo bonis dum magis inhæremus, bonis ſpiritualibus minus intendamus neceſſe eſt; dum vero ſpiritualibus ardentius incumbimus, conſequitur, ut temporalibus remiſſius incumbamus. Quapropter ſemel ac eam vitæ rationem nobis ſequendam conſtituamus, qua a rebus hujus mundi omnino avertimur, ſpiritualia intenſius conſectamur, ac propterea ejus conditionis evadimus, ut illa facilius, atque expeditius aſſequi poſſimus. At vero profeſſione paupertatis omnes divitiæ exteriores, profeſſione caſtitatis cunctæ delectationes carnis, profeſſione obedientiæ honores, & quidquid pertinet ad ſuperbiam vitæ, abdicantur: igitur hac profeſſione conſiliorum, cum ab omnibus hujus mundi rebus nos removeamus, atque recedamus, ad ſpiritualia bona magis accedimus. Dum autem ad ſpiritualia bona magis accedimus, vitam æternam facilius, atque expeditius conſequimur. Si ergo ratio conſiliorum in eo poſita eſt, ut dum illa amplectimur facilius, atque expeditius vitam æternam conſequamur (2); dicendum ſane eſt, veram, & propriam rationem conſiliorum potiſſimum conſiſtere in paupertate, caſtitate, & obedientia, quas quiſpiam ſe ſervaturum voveat. Nam tunc ſolum fit, ut a rebus temporalibus omnino recedamus, ſpiritualibus vero tota animi contentione inhæreamus, dum hæc conſilia vovendo profitemur.

CAPUT III.

DE CONSILIO PAUPERTATIS.

§. I. TAM divitiæ, quam paupertas homini bona, aut mala eſſe poſſunt, habita ratione finis, ad quem referuntur.

Id ita evincit S.Auguſtinus *Serm.*50. n.5., alias *Serm.*15. *De*

(1) Hujus cap. §.2. (2) Hujus lib. cap.1. §.2.

De Diversis inquiens : " Si autem solis malis in potestatem da-
„ retur aurum,& argentum,recte putaretur malum : si solis bo-
„ nis,recte putaretur magnum aliquod bonum. Rursus si solis
„ malis deesset, videretur magna pœna paupertas : si autem so-
„ lis bonis deesset , videretur summa beatitudo paupertas .
„ Nunc vero si scire vis aurum posse bene haberi , habent &
„ boni : si scire vis non eos per aurum bonos esse , habent
„ & mali . Item si scire vis quam non sit miseria paupertas ,
„ sunt quidam pauperes beati : si scire vis quam non sit
„ beatitudo paupertas , sunt quidam pauperes miseri ". Quapropter , sicuti monet S. Thomas lib.3. *Cont. Gent.* cap.133.
„ In tantum divitiæ bonæ sunt , in quantum proficiunt ad
„ usum virtutis : si vero iste modus excedatur , aut impe-
„ diatur usus virtutis , non jam inter bona computanda sunt,
„ sed inter mala . Unde accidit quibusdam bonum esse ha-
„ bere divitias , qui eis utuntur ad virtutes ; quibusdam
„ vero malum est eas habere , qui per eas a virtute retra-
„ huntur vel nimia sollicitudine , vel nimia affectione ad
„ ipsas , vel etiam mentis elatione ex eis consurgente . "
Simili ratione , quemadmodum non post multa prosequitur idem S. Doctor : " Paupertas laudabilis est , in quantum ho-
„ minem liberat ab illis vitiis , quibus aliqui per divitias
„ implicantur : in quantum autem sollicitudinem tollit , quæ
„ ex divitiis consurgit , est utilis quibusdam , qui scilicet
„ sunt ita dispositi , ut circa meliora occupentur ; quibus-
„ dam vero nociva , qui ab hac sollicitudine liberati in
„ pejores occupationes cadunt ". Qualia ergo ea fuerint , quibus divitiæ , vel paupertas deservierint , ejusdem quoque naturæ erunt tum divitiæ , tum paupertas .

§. II. Voluntaria paupertas possessione divitiarum longe præcellit .

Æternam salutem eos non esse consequuturos , qui divitias possident , præter omnem rationem Pelagiani effutierunt , quemadmodum ex S. Augustino epist.157. num.23. , alias epist.85. , compertum habemus : præter omnem , inquam , rationem . Nam uti habet idem S. Doctor *Serm.36.* num.5. ,

num. 5., alias *Serm.* 112. *De Tempore* " Et ipsos (divites)
„ lucratus est Christus sua paupertate, qui quum dives es-
„ set, propter nos pauper effectus est. Nam si eos con-
„ tempsisset, & in numero sanctorum habere noluisset, non
„ Timotheo, sicut dicebam, Apostolus præcepisset, ut &
„ ipse præciperet (1): Præcipe, inquit, divitibus hujus mun-
„ di non superbe sapere. Inter hos, qui fide sunt divites,
„ sunt quidam divites hujus mundi. Præcipe illis, quia &
„ ipsi membra illius pauperis facti sunt ". Hic ergo nos
paupertatem voluntariam cum ea divitiarum possessione comparamus, quæ nihil in se vitii habeat, atque potissimum cujusvis inordinatæ affectionis expers sit. Quoad usque ergo divitiæ retinentur, id semper apud nos manet, quod & mentem nostram solicitudine quadam angit, & nostrum affectum ad se facile pertrahit. Nam Christus explicans illam partem parabolæ, qua *Lucæ* cap.8. v.7. dixerat, quod „ Aliud
„ (semen) cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suf-
„ focaverunt illud " v.14. hæc superaddidit ": Quod autem
„ in spinas cecidit; hi sunt, qui audierunt, & sollicitudi-
„ nibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocan-
„ tur, & non referunt fructum. " Quæ quidem animadvertens S. Gregorius Magnus *Homil.* 15. *in Evangelia* num. 1. ita habet: " Quis enim mihi unquam crederet, si spinas
„ divitias interpretari voluissem; maxime quum illæ pun-
„ gant, istæ delectent? Et tamen spinæ sunt, quia cogi-
„ tationum suarum punctionibus mentem lacerant, & quum
„ usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruen-
„ tant ". Num.3. hæc superaddit: " Notandum vero est,
„ quod exponens Dominus dicit, quia sollicitudines, & vo-
„ luptates, & divitiæ suffocant verbum. Suffocant enim,
„ quia importunis cogitationibus suis guttur mentis stran-
„ gulant: & dum bonum desiderium intrare ad cor non
„ sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Notandum
„ etiam, quod duo sunt, quæ divitiis jungit, sollicitudi-
„ nes videlicet, & voluptates, quia profecto & per curam
„ men-

(1) 1. *Ad Timot.* cap.6. v.17.

„ mentem opprimunt, & per affluentiam resolvunt. Re enim „ contraria possessores suos & afflictos, & lubricos faciunt. „ Sed quia voluptas convenire non potest cum afflictione; „ alio quidem tempore per custodiæ suæ sollicitudinem af- „ fligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emol- „ liunt". His autem fit, sicuti etiam prædicta Christi verba expendens S. Thomas 2. 2. qu.186. art.3. ad 4. animadvertit, eam divitiarum naturam esse, ut perfectionem charitatis impediant *principaliter alliciendo animum, & distrahendo*; indeque ita concludit: "Et ideo difficile est charita- „ tem inter divitias conservare. Unde Dominus dicit *Matt.* „ 19. quod *Dives difficile intrabit in regnum cælorum*. Quod „ quidem intelligendum est de eo, qui actu habet divitias: „ nam de eo, qui affectum in divitiis ponit, dicit hoc esse „ impossibile secundum expositionem Chrysostomi (1), quum „ subdit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam* „ *divitem intrare in regnum cælorum*. Et ideo non simplici- „ ter *dives* dicitur esse beatus, sed *Qui inventus est sine ma-* „ *cula, & post aurum non abiit*: Et hoc ideo, quia rem „ difficilem fecit: unde subditur: *Quis est hic, & laudabi-* „ *mus eum? fecit enim mirabilia in vita sua*; ut scilicet in- „ ter divitias positus divitias non amaret".

Vitium autem, quod ob malitiam hominum ex paupertate oriri facile potest, sublatum quidem penitus est; omnis etiam occasio ad malum prorsus amota, semel ac paupertas voluntaria sit. Nam uti recte monet S. Thomas in citato art. "Ille, qui omnia sua dimittit propter Chri- „ stum, non exponit se periculo neque spirituali, neque „ corporali. Spirituale enim periculum ex paupertate pro- „ venit, quando non est voluntaria: quia ex affectu con- „ gregandi pecunias, quem patiuntur illi, qui involuntarie „ sunt pauperes, incidit homo in multa peccata, secundum „ illud 1. *ad Timoth.* ult. 9. *Qui volunt divites fieri incidunt* „ *in tentationem, & in laqueum diaboli*. Iste autem affectus „ deponitur ab his, qui voluntariam paupertatem se[quun-] „ tur;

(1) *Homil.63.* in *Matt.* num.2. alias *Homil.64.*

„ tur; magis autem dominatur in his, qui divitias possident, ut ex supra dictis patet. Corporale etiam periculum non imminet illis, qui intentione sequendi Christum omnia sua relinquunt, Divinæ providentiæ se committentes. Unde Augustinus dicit in lib.2. *De Sermone Domini in monte* cap.17. *Quærentibus primum regnum Dei, & justitiam ejus, non debet subesse solicitudo, ne necessaria desint* ". Nam, uti prosequitur S. Thomas *Opusculo* 16. cap.6. ad 12. " Hoc nobis promittit, si in illo spem nostram ponimus: non tenacibus, non cupidis fit ista promissio; sed sperantibus in Deo ". Postremo, quemadmodum idem S. Doctor advertit lib.3. *Cont. Gent.* cap.134. " Remanet eis spes probabilis suæ vitæ sustentandæ vel ex labore proprio, vel ex aliorum beneficiis; sive accipiant ea in possessionibus communibus, sive in victu quotidiano ". Tam ergo manifestum est, quam quod maxime, voluntariam paupertatem possessioni divitiarum longe præcellere, semel ac dicatur, sicuti revera dicendum est, unum alteri præcellere, quando propter illud ab eo periculo removeamur, in quo ob istud sumus; præcipue vero si periculum tale sit, ut jacturam summi boni in nobis inducere haud difficili ratione possit.

§. III. Præcellentioris virtutis est voluntariam paupertatem vovere, quam erogare eleemosynas ex iis, quæ possidentur.

Si tum sacrificii, tum holocausti, quæ debetur, ratio habeatur, est omnino hac de veritate perspectum, quemadmodum S. Gregorius *in Ezechielem* lib.2. *Homil.*8. num.16. ostendit: " Sciendum vero est, (inquit) quia hoc inter sacrificium, atque holocaustum distat, quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum est. In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat. Unde & holocaustum latina lingua totum incensum dicitur. Pensemus ergo quid est sacrificium, quid holocaustum. Quum ergo quis suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet,

„ sacri-

„ sacrificium est. Quum vero omne, quod habet, omne, „ quod vivit, omne, quod sapit, omnipotenti Deo voverit, „ holocaustum est. Nam sunt quidam, qui adhuc mente in „ hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsi„ dia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant. „ Isti in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia & „ aliquid de actione sua Domino immolant, & aliquid sibi„ metipsis reservant. Et sunt quidam, qui nihil sibimetipsis „ reservant, sed sensum, linguam, vitam, atque substan„ tiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. „ Quid isti nisi holocaustum offerunt, immo magis holocau„ stum fiunt? .... Quamvis ergo, sicut dictum est, sacrifi„ cium sit etiam holocaustum, majus tamen est holocaustum „ sacrificio: quia mens, quæ hujus mundi delectatione non „ premitur, totum in omnipotentis Dei sacrificio incendit, „ quod habet". Hoc vero est, quod ii faciunt, divitiarum, quas tenent, vel obtinere possunt, habita ratione, qui voluntariam paupertatem vovent. Hinc S. Hieronymus Vigilantium dicentem, melius esse retinere divitias, easque distribuere pauperibus, quam omnino renunciare divitiis, ita refellit in lib. contra eumdem num. 15. " Quod autem asse„ rit, eos melius facere, qui utuntur rebus suis, & paula„ tim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, non „ a me ei, sed a Domino respondebitur: *Si vis perfectus* „ *esse &c.* Iste, quem tu laudas, secundus, & tertius gra„ dus est, quem & nos recipimus; dummodo sciamus pri„ ma secundis, & tertiis præferenda". Præcellentioris ergo esse virtutis, voluntariam paupertatem vovere, quam erogare eleemosynas ex iis, quæ possidentur, nemo videre non potest.

§. IV. Voluntaria paupertas, quæ vovetur, spectat ad perfectionem Evangelicam.

In Christo potissimum, atque in Apostolis verum exemplar Evangelicæ perfectionis attendi debet: at vero tum Christus, tum Apostoli voluntariæ paupertati se omnino subjecerunt: voluntaria igitur paupertas, quæ vovetur, ad

Evangelicam perfectionem spectat. Voto enim fit, ut quis omnem divitiarum acquirendarum facultatem sibi adimat, ac propterea in paupertate perseveret oportet. Quod ergo nunc volumus, primo de Christo videamus, deinde de Apostolis. Christi divitias, atque paupertatem præclare prosequutus fuit S. Augustinus *Serm.* 14. num. 9., alias *Serm.* 110. *De Tempore*: " Invenimus (inquit) verum pauperem, in-
" venimus pium, humilem, non de se fidentem, paupe-
" rem verum, membrum pauperis, qui propter nos pau-
" per factus est, quum dives esset. Vide divitem nostrum,
" qui propter nos pauper factus est, quum dives esset.
" Vide illum divitem: omnia per ipsum facta sunt, & sine
" ipso factum est nihil. Plus est aurum facere, quam ha-
" bere. Dives es auro, argento, pecore, familia, fundis,
" fructibus; tibi ista creare non potuisti. Vide illum divi-
" tem: omnia per ipsum facta sunt. Vide illum pauperem:
" Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Quis
" digne cogitet divitias ejus? Quomodo faciat, qui non
" fit, quomodo creet non creatus, formet non formatus,
" mutabilia manens, temporalia sempiternus? Paupertatem
" cogitemus: .... concipitur utero virginali, includitur vi-
" sceribus matris. O paupertas! In angusto diversorio na-
" scitur, involutus infantilibus tegumentis in præsepio po-
" nitur, fit cibaria jumentis pauperibus; deinde cœli, &
" terræ Dominus, creator Angelorum, omnium visibilium
" effector, & conditor fugit, nutritur, crescit, tolerat æta-
" tem, occultat majestatem: postea tenetur, contemnitur,
" flagellatur, illuditur, conspuitur, colaphizatur, spinis co-
" ronatur, ligno suspenditur, lancea perforatur. O pauper-
" tas! Ecce caput pauperum, quos requiro, cujus paupe-
" ris membrum invenimus verum pauperem". Profecto si verus pauper non est, ac propterea membrum Christi pauperis, qui iis, quæ habet, ipsique habendi facultati omnino renunciat, non video sane, quisnam alius esse possit.

Apostoli quoque ut Christum sequerentur, omnia reliquerunt. Nam sicuti *Matt.* cap. 19. v. 17. legitur, Petrus nomi-

nomine omnium ita Christum confidenter compellatus fuit: " Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid " ergo erit nobis "? Neque est, cur, uti monet S. Gregorius Magnus lib.1. *Homil.5. in Evangelia* num.2. " Aliquis " tacitis sibi cogitationibus dicat: ad vocem Dominicam " uterque iste piscator quid, aut quantum dimisit, qui pe" ne nihil habuit? Sed hac in re, fratres charissimi, affe" ctum debemus potius pensare, quam censum .... Mul" tum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando uterque " etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui " cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A se" quentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequen" tibus concupisci potuerunt ". Etiam qui voluntariam paupertatem amplectuntur, tanta dimittunt, quanta ab aliis concupisci possunt, ac propterea quoad rem istam nihil in eis desiderandum superest, quo Apostolorum in se exemplum exprimant. Si ergo Evangelicam perfectionem in Christo, & in Apostolis expressam habemus, iique paupertatem amplexi fuerunt, resque omnes abdicarunt, consequens inde fit, ut voluntaria paupertas, ad quam voto quis sese obligat, ad perfectionem Evangelicam pertineat.

§. V. Voluntaria paupertas non ita spectat ad Evangelicam perfectionem, ut in ea Evangelica perfectio consistat, sed ut ad illam ducat.

Essentia perfectionis non consistit in consiliis, sed in praeceptis (1), ac propterea sola observatione praeceptorum quis eam sibi comparare potest. " Quum Abraham (inquit " S. Thomas *Opusculo* 17. cap.7.) nunquam dives esse de" sierit, quin potius in divitiis fuerit mortuus, & eas in " morte reliquerit filiis, ut in *Genesi* legitur; videtur secun" dum praedicta non fuisse perfectus, quum tamen ad eum " Dominus dixerit *Genesis* 17. 1. *Esto perfectus*. Quae quidem " quaestio solvi non posset, si perfectio vitae christianae in " ipsa dimissione divitiarum consisteret. Sequeretur enim, " quod qui divitias possideret, non posset esse perfectus.

 " Sed

(1) Hujus lib. cap.1. §.4.

„ Sed si verba Domini diligenter considerantur, non in ipsa „ divitiarum dimissione perfectionem posuit; sed hoc ostendit esse quasi quamdam perfectionis viam, ut ipse modus loquendi ostendit, quum dicitur: *Si vis perfectus esse*, „ *vade*, *&* *vende omnia*, *quæ habes*, *&* *da pauperibus*, *&* „ *sequere me*: quasi in sequela Christi consistat perfectio, „ dimissio vero divitiarum sit perfectionis via".

Via, inquam, perfectionis, ita ut voluntaria paupertas ad perfectionem ducat. Nam ea est natura consiliorum, ut iisdem removeantur, quæ charitati impedimento esse possunt (1). Si quid autem impedimento charitati esse facile potest, profecto divitiæ sunt. Nam & mentem nostram sollicitudine quadam semper angunt, & nostrum affectum ad se facile pertrahunt (2): quo sane fit, ut dum retinemus divitias, in majori amittendæ charitatis periculo simus. Est ergo manifestum voluntariam paupertatem non ita quidem spectare ad perfectionem Evangelicam, ut in ea ipsa Evangelica perfectio consistat, sed ut ad illam ducat.

§. VI. Quamvis in voluntaria paupertate Evangelica perfectio non consistat, & perfecti ii quoque evaserint, qui divitiis non renunciarunt; tamen consilium Evangelicæ paupertatis nihili faciendum esse inde non consequitur.

" Magna ergo fuit virtus Abrahæ (inquit S. Thomas „ citato loco) quia etiam divitias possidens a divitiis liberum animum habuit; sicut & magna virtus fuit Samson, „ qui absque armis cum sola mandibula asinæ multos hostes prostravit: nec tamen consilium datur inutiliter militi, ut ad bellum accedens assumat arma ad hostes vincendos: nec ergo inutiliter datur consilium perfectionem „ desiderantibus, ut dimittant divitias, quia in divitiis Abraham potuit esse perfectus. Facta enim mirabilia, non sunt „ ad consequentiam trahenda, quia infirmi ea magis mirari, & laudare possunt, quam imitari ". Unde, sicuti animadvertit idem S. Doctor, de homine divite hæc in *Ecclesiastico* cap.31. v.8. leguntur: " Beatus dives, qui inventus „ est

(1) Cit. §. (2) Hujus cap. §.2.

„ est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec spe- „ ravit in pecunia, & thesauris “. Quibus sane verbis magnæ virtutis illum divitem esse ostenditur, & perfecta charitate præditum, qui non ducitur affectu divitiarum, aut propter eas se super alios non extollit. Verum quanto major est virtus hujusmodi hominum, tanto minor est numerus. Nam statim v. seq. subditur: “ Quis est hic, & lau- „ dabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua “. Vere enim mirabilia facit, qui divitiarum, quas possidet, affectu non ducitur, suæque perfectionis haud dubium argumentum præbet. Unde v.10. hæc superadduntur: “ Qui pro- „ batus est in illo “; hoc est, quod ulla sine culpa divitias possideat: “ Et perfectus est: erit illi gloria æterna “. Hæc vero omnia conformia sunt illis Christi verbis *Matt.* cap.19. v.23. “ Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in „ regnum cœlorum “. Non est ergo nihili faciendum consilium Evangelicæ paupertatis, licet perfectionem attigerint etiam qui illud sequuti non fuerunt.

§. VII. Perfectionem Evangelicæ paupertatis Christus consuluit.

Christus *Matthæi* cap.19. v.21. in hunc modum illi adolescenti respondit, qui omnia præcepta se servasse dicebat, quæ in Decalogo continebantur, atque rogabat, quid a se fieri ulterius deberet: “ Si vis perfectus esse, vade, vende „ quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in „ cœlo: & veni, & sequere me “. Nullum in his verbis Christi præcepto locum esse, sed consilio tantum, tam manifestum est, quam quod maxime. Hic enim juvenis ea omnia, quæ Christus ad consequutionem vitæ æternæ necessaria esse dixit, se servasse mentitus non fuit, sed cum veritate affirmavit. Nam Christus, uti habetur *Marci* cap.10. v.21. semel ac ab illo audivit, se mandata servasse, *Intuitus eum*, *dilexit eum*. Nihil ergo eorum, quæ ad vitam æternam requiruntur, huic juveni deerat. Dum igitur a Christo quæsivit, quid sibi aliud faciendum esset, non de eo quæsivit, quod ad vitam æternam consequendam necessario

requi-

requiritur: quæ enim ad istam requirerentur, a Christo jam audiverat, eaque se adimplevisse vere dixerat; sed quod ad ampliorem perfectionem conduceret, uberioremque gloriam in altera vita obtinendam. Inde vero est, ut Christus observationi mandatorum *vitam æternam*, repositam dixerit; dimissioni autem omnium temporalium bonorum, quam illi suasit, *thesaurum in cœlo*. Nam ob dimissionem temporalium bonorum futurum erat, ut juvenis talem perfectionem consequeretur, cui in cœlo, quod observando mandata jam sibi comparaverat, singularis gloria retribueretur. Ea ergo in responsione, quam Christus huic juveni dedit, vera consilii ratio continetur, nihilque in illa occurrit, quod ad præceptum detorqueri aliquo modo possit (1). Perfectionem ergo Evangelicæ paupertatis Christus consuluit.

§. VIII. Quod consilii Christus huic juveni dedit, omnibus dedit.

Quamvis Christum huic tantum juveni dixisse legamus, ut si perfectus esse vellet, venderet temporalia omnia bona, quæ possidebat, atque se ipsum sequeretur; tamen idem consilium datum omnibus a Christo fuisse, dicendum est. Nam Christus *Marci* cap. 13. v. 17. inquit: *Quod vobis dico, omnibus dico*; & tamen quæ dicebat Apostolis, iisdem singulariter dicebat. Hinc Apostolus *Roman.* cap. 15. v. 4. inquit: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Nam, uti advertit S. Thomas lectione 1. in cit. caput „ Nulla necessitas fuit hæc scribere nisi propter nos, ut ex „ his instruamur “. Unde Apostolus, quæ singulariter uni in Veteri Testamento dicta esse videntur, refert ad omnes *Hebræorum* cap. 12. v. 5. dicens: “ Obliti estis consolationis, „ quæ vobis tamquam filiis loquitur dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam “.

Verum enimvero quod consilii Christus huic juveni dedit, omnibus dedisse, certo colligitur ex iis, quæ ad responsionem a Christo juveni datam consequuta esse leguntur. Nam quemadmodum S. Thomas *Opusculo* 18. cap. 9. jam ani-

(1) Hujus cap. 5. 1.

animadvertit, quum juvenis verba Christi audiens tristis abiisset, quia multa possidebat, atque tum Christus coram discipulis valde difficile esse dixisset, divitem intrare in regnum cœlorum; tunc nomine omnium (1) " Respondens „ Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti „ sumus te: quid ergo erit nobis "? Ad hæc vero Jesus: " Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in „ regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede ma„ jestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, ju„ dicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut „ matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter no„ men meum, centuplum accipiet, & vitam æternam pos„ sidebit ". Præmium ergo rei illius, quam juveni suasit, Christus non solum Apostolis, sed & aliis omnibus, qui exemplum illorum imitarentur, retribuendum promisit: igitur & quod consilii huic juveni dedit, omnibus dedit.

§. IX. Juveni illi, de quo *Matt.* cap. 19. sermo habetur, datum a Christo fuisse consilium relinquendi omnia in remedium avaritiæ, qua laborabat; vel tum illi, tum aliis Christum consuluisse, ut omnia affectu tantum, non autem re, desererent, nonnulli contra catholicam veritatem falso confinxerunt.

Illud Wicleffistæ contenderunt, uti legere est apud Thomam Waldensem *Doctrinalis Fidei* lib. 4. art. 1. cap. 15., istud ante Wicleffum Wilhelmus de S. Amore, Sigeriusque Magistri Parisienses, nonnullique alii, qui illos sequebantur, quos S. Thomas, jubente Alexandro IV. Summo Pontifice, in libro, qui incipit: *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput &c.*, hoc est *Opusculo* 16., tam solide refutavit, ut librum ejus vere catholicum esse Summus Pontifex definierit, contrariorum autem librum sicuti hæreticum proscripserit. Errorem ergo Wicleffistarum primo depellamus. Avaritiæ itaque labe prædictum juvenem infectum fuisse, contra manifestam veritatem enarrationis Evan-

(1) *Matt.* cap. 19. v. 27. & seqq.

Evangelicæ falſo ſupponitur. Nam ſi quiſpiam hujuſmodi labe infectus omnia mandata Dei ſe ſervaſſe dicat, procul dubio mentitur. At vero prædictum juvenem mentitum non fuiſſe, dum ſe mandata Dei ſervaſſe affirmavit, ex enarratione Evangelica compertum habemus (1): contra veritatem igitur Evangelicæ enarrationis datum huic juveni a Chriſto conſilium fuiſſe dicitur relinquendi omnia in remedium avaritiæ, qua laborabat. Deinde dum juvenis a Chriſto quæreret, quid ſibi adhuc deeſſet, Chriſtus ita illi reſpondit (2): „ Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da „ pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo". Juvenis autem quæſiverat, quid ſibi ad eam perfectionem deeſſet, quæ obſervationem mandatorum jam præſupponit, atque ad hujuſmodi perfectionem aſſequendam, ut omnia relinqueret, Chriſtus illi ſuaſit. Nam juvenis, ſe ſervaſſe quæ requirebantur, ut in vitam æternam ingredi poſſet, cum veritate dixerat, & poſt hæc quid ſibi faciendum eſſet, quæſivit: igitur dum ei Chriſtus dixit, ut ſi perfectus eſſe vellet, omnia relinqueret, de ea fuit perfectione loquutus, quæ eſt ab illo comparanda, qui Dei mandata ſervavit. Hac vero de cauſa cum obſervatione mandatorum vitam æternam, cum dimiſſione bonorum theſaurum non deficientem in cœlo Chriſtus conjunxit. Tandem nonne quod conſilii Chriſtus huic juveni dedit, omnibus dedit (3)? igitur non ſingulariter huic juveni dedit, ut avaritiæ ejus mederetur. Nonne Apoſtoli illud ſe ſequutos eſſe dixerunt, ſimulque exquiſiere, quodnam ſingulare ſibi præmium repoſitum eſſet; & Chriſtus futurum, ut ſederent ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael, certiores illos fecit? Nihil ergo magis Evangelicæ enarrationi adverſatur, quam quod Wicleffiſtæ volunt.

Idem vero dicendum eſt de aliis, qui Chriſtum conſuluiſſe ſtatuunt, ut affectu, non autem re, bona exteriora relinquerentur. Nam vel de ea affectione erga divitias loquuntur, quæ prava eſt; & averſio ab hujuſmodi affectu ſub

(1) Hujus cap. §.7. (2) *Matt.* cap.19. v.21. (3) Præced. §.

ſub conſilio cadere non poteſt, ſed ſub præcepto cadit: nam uti legitur *Eccleſiaſtici* cap. 10. v. 10. „Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet“: vel ſermonem habent de ea affectione, quæ ullo ſine peccato erga divitias haberi poteſt, quatenus uti donum Dei diliguntur, habita ratione multorum, ad quæ utiliter, atque conſentanee ad Divinam legem illæ prodeſſe poſſunt: & iſtam quoque Chriſtus non conſuluit. Cum ea enim poſſeſſio divitiarum ſimul conjungitur, quemadmodum etiam Adverſarii noſtri conſentiunt, quia ad illam Chriſtum ſuo conſilio reſpexiſſe volunt, ut ab eodem conſilio divitiarum dimiſſionem excludant. At vero dimiſſionem divitiarum Chriſtus conſuluit, & hujuſmodi quidem dimiſſionem, qua nihil ſibi quiſquam relinqueret: „Si vis perfectus eſſe (inquit ad juvenem Chriſtus) vade, vende, quæ habes, & da pauperibus ... & veni, ſequere me“. Profecto ſi quæ habentur, non affectu tantum, ſed etiam re omnino non dimittuntur, quando ea quis vendit, illorumque pretium pauperibus erogat, atque ad perfectiorem dimiſſionem omnium, quæ retinebat, novum vitæ genus inſtituit, alterumque ſibi ſequendum determinat; non video ſane, quando dici poſſit, non affectu tantum, ſed etiam re omnino dimitti quod poſſidetur. Deinde nonne Apoſtoli confidenter dixerunt Chriſto, ſe adimpleviſſe, quod ipſe juveni conſuluerat, atque propter hoc quæſierunt, quid ſibi præmii rependendum foret? Apoſtoli autem non affectu tantum, ſed re omnia reliquerant: „Ecce nos (inquit Petrus nomine cunctorum) reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te“. Conſilium ergo Chriſti referendum eſſe ad dimiſſionem bonorum re ipſa peractam, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime.

§. IX. Quod de voluntaria paupertate uſque modo oſtendimus, labefactare auctoritate Sacrarum Scripturarum Adverſarii noſtri fruſtra nituntur.

Hæc potiſſimum ſunt, quæ tum Wilhelmus a Sancto Amore, illiuſque ſequaces, uti conſtat ex Sancto Thoma

Opuſculo 16. cap.6., tum Wicleffus, quemadmodum legere eſt apud Thomam Waldenſem *Doctrinalis Fidei* lib. 4. art.1. cap.7. & ſeqq., contra paupertatem oppoſuerunt. *Deuteronomii* cap.15. v.4. hæc leguntur: « Omnino indigens, & „ mendicus non erit inter vos ". *Proverb.* cap. 30. v. 8. « Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tan„ tum victui meo neceſſaria; ne forte ſatiatus illiciar ad „ negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate „ compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei ". *Pſal.*36. v.5. « Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quæ„ rens panem ". *Eccleſiaſtes* cap.7. v.12. « Utilior eſt ſa„ pientia cum divitiis ". *Eccleſiaſtici* cap.27. v.1. « Propter „ inopiam multi deliquerunt ". II. *Corint.* cap.8. v.12. « Si „ enim voluntas prompta eſt; ſecundum id, quod habet, „ accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet ". Quibus verbis Apoſtolus dat omnibus normam faciendi eleemoſynas. I. *ad Timot.* cap.6. v.8. « Habentes autem (inquit) „ alimenta, & quibus tegamur ". *Lucæ* cap.12. v.29. « No„ lite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis ". Nonnulla quoque alia in medium adducunt, quæ quoniam etiam apparenter minus, quam prædicta, ſuadere videntur, quod ipſi volunt, non eſt, cur ea nos commemoremus.

Ad hæc ergo omnia quam paucioribus fieri poterit. *Deuteronomii* cap.15. agitur de anno remiſſionis, præcipiturque Judæis, ne, eo recurrente, aliquid ſibi debitum ab amico, vel proximo, ac fratre repetant, ſicuti etiam a cive, vel propinquo; deinde vero hæc ſuperadduntur: « Omnino „ indigens, & mendicus non erit inter vos ". Unde ſicuti ait S. Thomas 2. 2. qu.187. art.5. ad 3. « Ex illo præcepto „ legis Divinæ non prohibetur alicui mendicare; ſed pro„ hibetur divitibus, ne tam tenaces ſint, ut propter hoc „ aliqui egeſtate mendicare cogantur ".

Proverbiorum cap.30. v.8. ſermo eſt de paupertate involuntaria, uti conſtat ex illis verbis, quemadmodum advertit S. Thomas *Opuſculo* 16. cap.6. *Ne egeſtate compulſus furer*. Qua ergo ratione Sapiens in hoc loco Deum rogat, ne

ne divitias, ita etiam ne paupertatem sibi det. Quemadmodum enim divitiæ non sunt causa mali, sed earum malus usus; ita etiam paupertas nullam mali occasionem præbet, ad malum vero quodammodo impellit intolerantia ejus, quando scilicet paupertas impatienter sustinetur. Id autem proprium est invitæ, non voluntariæ paupertatis. Nam sicuti inquit Apostolus 1. *ad Timot.* cap.6. v.9. " Qui volunt di-
" vites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum dia-
" boli ".

Psalmo 36. peccatores cum justis Regius Propheta comparat: de illis dicit (1), quod " Mox ut honorificati fuerint,
" & exaltati; deficientes quemadmodum fumus deficient "; de istis autem,quod apud Dominum gressus eorum dirigentur, quumque ceciderint, non collidentur, quia Dominus supponit manum suam, deindeque ita concludit: " Junior fui:
" etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen
" ejus quærens panem ". Ut ergo quod Adversarii vellent, colligi æquo jure ex hoc loco posset, dicendum esset, voluntariam paupertatem ab aliquo recte voveri inde non posse, quia Deus justis etiam quoad ea, quæ huic vitæ necessaria sunt, prospicit. Quis tamen non videt, quam præter omnem rationem id inferretur? Nam ea etiam profecto de causa recte vovetur voluntaria paupertas, quia justorum necessitatibus Deus occurrit.

Utilior quidem est sapientia cum divitiis, sicut in Ecclesiaste legitur, quatenus si, qui divitias possidet, sapiens sit, iisdem bene utetur. Verum adhuc utilior sapientia erit, si cum majori bono, quam divitiæ sint, conjungatur. Tunc vero cum majori bono conjungitur, quando voluntariam paupertatem sibi unitam habet.

Qua vero de causa propter inopiam multi deliquerunt? Profecto non alia, nisi quia, sicuti statim in eodem versiculo subditur: " Qui quærit locupletari, avertit oculum suum ", Inopia ergo involuntaria, & quæ affectum aliquo modo inor-

 dina-

(1) Cit. *Psal.* v.20.

dinatum ad divitias sibi conjunctum simul habet, illa sane est, quæ homines delinquentes facit.

Apostolus II. *Corint.* cap. 8., exemplo Christi proposito, qui egenus factus fuit, ut nos divites essemus, consilium dat Corinthiis faciendi eleemosynam, quemadmodum jam ipsi priori anno sibi proposuerant. Monet ergo nunc eos, ut illis, quæ habent, impleant, quod facere constituerant, quia si " Voluntas prompta est, secundum id, „ quod non habet ": quasi dicat, sicut animadvertit Sanctus Thomas *Lect.* 2. in cap. 8. epist. II. *ad Corint.* " Di- „ co, quod debetis esse prompti ad dandum; & in hoc non „ intendo vos gravare, ut scilicet detis supra facultates ve- „ stras: quia forte voluntas prompta ad hoc inducit vos; „ sed in hoc opus non potest imitari voluntatem; & ideo „ dicit: *Ex eo quod habetis. Enim*, pro quia, *si voluntas* „ *prompta est*, *secundum id quod habet*, *accepta est*. Et ratio „ est, quia voluntas acceptatur in perfectione operationis: „ opus autem non perficitur nisi ex eo quod habetur; & „ ideo dicit: *secundum quod habet*, *accepta est* ". Hoc vero totum contra Adversarios nostros facit. Nam Apostolus Christi voluntariam inopiam imitandam proponit, & hac de causa Corinthiis non præceptum imponit, sed consilium præbet, ut de his, quæ habent, eleemosynam faciant. Quo sane ostenditur, non ea de eleemosyna hic Apostolum agere, quæ præcipitur divitibus, sed de ea, quæ consulitur, & est instituta ad aliquo modo exprimendam in nobis voluntariam inopiam ipsius Christi. Voluntariam ergo paupertatem Apostolus hoc loci suadet.

Ideo autem *habentes alimenta*, & quibus *tegamur*, vult Apostolus, ut his contenti simus, " Quia (quemadmodum „ monet S. Thomas *Lect.* I. in cap. 6. epist. I. *ad Timot.*) bo- „ na sunt propter necessitatem, quibus indiget homo con- „ tra interiora consumentia, & hæc sunt alimenta; vel con- „ tra exteriora corrumpentia, & sic indiget homo tegu- „ mentis vestium, & domorum ". Unde Apostolus v. seq.

hæc

hæc ſtatim ſuperaddit: " Nam qui volunt divites fieri; in-
„ cidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſi-
„ deria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines
„ in interitum, & perditionem ". Quapropter ſuadere omnibus, ut neceſſariis contenti ſint, & fieri divites nullo modo expetant, hoc eſt, quod Apoſtolus contendit, non vero voluntariam paupertatem reprehendit.

Qua autem de cauſa Chriſtus *Lucæ* cap.12. v.29. dicit, ut non quæramus, quid manducemus, aut quid bibamus; ipſe Chriſtus manifeſtat tum in illis, quæ ad hæc præmittit, tum in aliis, quæ poſtea ſuperaddit. Inquit enim v.28.
„ Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in cli-
„ banum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos pu-
„ ſillæ fidei "? Et v. 30. ac ſeq. " Hæc enim omnia gen-
„ tes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit, quoniam
„ his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei,
„ & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis ". Omnem ergo ſollicitudinem de victu, & potu abjiciendam a nobis; Chriſtus affirmat; quia ſi Pater ejus fœnum agri, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, tam eleganter veſtit, multo magis idem & circa nos faciet; ac propterea adhortatur omnes, ut de victu, & potu ſollicitudinem non habeant, ſicuti gentes faciunt, quum his nos indigere, Pater noſter ſciat, atque monet, ut primo regnum Dei quæramus, & juſtitiam ejus, ſimulque futurum ſpondet, ut alia omnia adjiciantur nobis. His autem alterum quoque, quod Adverſarii noſtri contra voluntariam paupertatem opponunt, refellitur. Nam uti fatuos traducunt, atque ſe exponere periculo mortis eos affirmant, qui voluntariam paupertatem vovent (1). Profecto ſi ii potiſſimum omnem ſollicitudinem de victu, & potu non abjiciunt, ſi ante omnia regnum Dei non quærunt, ſi juſtitiam ejus non conſectantur, qui voluntariam paupertatem vovent, omnibuſque ſeſe abdicant, ut expeditiores, atque ab omni cura rerum

(1) Vide S. Thomam *Opuſculo* 16. cap.6., & Thomam Waldenſem *Doctrinalis Fidei* lib.4. art.1. cap.16.

rerum terrenarum soluti & diligentiorem famulatum Deo exhibeant, & contemplationi rerum Divinarum liberius vacent; non video sane, nec videre quemquam posse arbitror, quinam tandem dici debeant, & omnem de victu, & potu sollicitudinem deposuisse, & regnum Dei primo loco quærere, & justitiam ejus consectari. At vero cunctis, qui de victu, & potu omnem sollicitudinem deponunt, regnum Dei primo loco quærunt, justitiam ejus consectantur, Christus a Patre suo ea omnia præsto futura esse promisit, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur: contra Christi ergo promissionem, quæ falli non potest, eos, qui voluntariam paupertatem vovent, periculo vitæ sese exponere, Adversarii nostri contendunt.

§. X. Sunt prorsus inanes illæ omnes ratiunculæ, quas Adversarii nostri urgent contra votum paupertatis.

„ Aut enim (inquiunt in *Confessione Wirtembergica* „ cap. *De Votis Monachorum*) conditione pauper es, & ni„ hil terrenarum facultatum possides; tum hæc crux divi„ nitus imposita patienter est ferenda, quam si præterea „ voves, nihil aliud facis, quam si in morbo voveas te per„ petuo ægrotaturum, vel in infamia te perpetuo fore in„ famem. Quod genus voti furor magis est, quam pietas. „ Aut possides facultates, & voves, te iis relictis, acturum „ vitam pauperem, ut victum quæras mendicitate, & con„ sequaris hujus voti merito vitam æternam: tunc hoc vo„ tum primum quidem pugnat cum charitate proximi, quæ „ exigit, ne cui sis, præter necessitatem, mendicimonio „ molestus. Deinde pugnat cum fide in Christum, quod „ is *solus* sit meritum vitæ æternæ. Manifestum igitur hoc „ genus voti esse illegitimum, & impium. Facultates autem „ tuas sic deserere, ut eas in commune conferas, non est „ paupertatem sectari, sed de certiori, & copiosiori victu „ tibi prospicere. Qui qualis sit coram Deo cultus, obscu„ rum esse non potest" (1). Hæc sane ante Wirtembergenses opposuerant Theologi illi Parisienses, quos S. Thomas *Opu-*

(1) Vide *Corpus, & Syntagma Confessionum* Genevæ editum an. 1654.

Opusculo 16. refutavit; oppofuerat etiam Wicleffus, qui hæc alia duo fuperaddit: 1. cœcis, egenis, & debilibus ut eleemofyna erogetur, & poftulare rationem, & Chrifti mandato præcipi *Lucæ* cap.14.v.13.2. *pauperes proximos* eleemofyna effe fublevandos, non vero alios, *quos nefciamus*. Belle fane omnes!

Votum ergo five fit de iis, quæ ad religionem fpectant, ficuti offerre facrificium, & orare; five de aliis, quæ pertinent ad nonnullas alias virtutes, uti jejunare, & erogare eleemofynam, femper eft latriæ actus, quo fingularis cultus Deo defertur. Nam quæcumque voventur, in Divinum cultum referuntur, quum per votum quædam promiffio Deo fiat. " Alia autem ratione (uti monet S. Thomas „ 2. 2. qu.88. art.4.) promittitur aliquid homini, & alia „ Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter ejus „ utilitatem, cui utile eft & quod ei aliquid exhibeamus, „ & quod eum de futura exhibitione prius certificemus. „ Sed promiffionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, fed propter noftram .... Ita etiam promiffio, qua „ Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, qui „ a nobis certificari non indiget, fed ad utilitatem noftram, „ in quantum vovendo voluntatem noftram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere ". Hinc vero eft, ut opus ex voto factum fit meriti præftantioris, quam factum fine voto: " Primo quidem (ait S. Thomas in cit. quæft. „ art.6.) quia vovere eft actus latriæ, quæ eft præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis eft opus „ melius, & magis meritorium .... Secundo quia ille, qui „ vovet aliquid, & facit, plus fe Deo fubjicit, quam ille, „ qui folum facit: fubjicit enim fe Deo non folum quantum ad actum, fed etiam quantum ad poteftatem; quia „ de cetero non poteft aliud facere; ficut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum ... Tertio quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid „ ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem „ vir-

„ virtutis“. Ex his autem, quæ a nemine, etiam lumine ipso rationis ducto non videntur, perspectum est, eam esse voti rationem, ut illo & plurimum cultus Deo deferatur, & homo in præclarissimo quodam opere virtutis sese exerceat, simulque plurimam utilitatem, atque copiam meriti ex eo trahat. Hæc autem Adversariis nostris sufficere deberent, ut suarum inanium argutiarum eos puderet.

Terrenas ergo facultates sive possideat, sive non possideat, qui paupertatem vovet, cultum Deo semper exhibet, remque valde virtuosam, utilem, ac meriti plenam operatur. „ Sed fortasse aliquis (inquit S. Gregorius Magnus *in Evangelia* lib. 1. Homil. 5. num. 2.) tacitis sibi cogitationibus dicat: ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid, aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, Fratres charissimi, affectum potius debemus pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit...... Multum ergo Petrus, & Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam quum conspicit quosdam multa reliquisse, apud semetipsum dicat; imitari mundi hujus contemptores volo, sed quod relinquam, non habeo. Multa, Fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renuntiatis. Exteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt. Cor namque, & non substantiam pensat: nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur“.

Quod de voto ægrotandi, vel perpetua infamia laborandi dicitur, ad propositum nostrum non facit: neque enim Christus utramque hanc rem aliquando consuluit, neque bona valetudo, & fama contemnenda est, multoque minus perpetuo abjicienda. Nam bona valetudine, quam a Deo habemus, ad ea nos uti oportet, quæ officii nostri ratio postulat; de bona autem fama ita solliciti semper esse debemus, ut nihil

hil faciamus, quod aliis occasionem præbeat male opinandi de nobis, ac tota nostra agendi ratio talis sit oportet, ut honestatem æquitatemque præseferat.

Ridiculum autem est, quod de charitate proximi opponunt: quasi vero divitibus Christus non præceperit, ut pauperibus illis subvenirent, qui voluntariam paupertatem voverunt, & consilium Christi sequuti fuere; immo plura in istis pauperibus resplendent, propter quæ multis aliis pauperibus præferendi sunt. Nam, ut nonnulla tantum commemorem; isti vel sua omnia, vel saltem jus, quod in multa assequi poterant, aliis antea reliquerunt, & voluntariam paupertatem, quæ omnium perfectissima est, sibi elegere: hujusmodi autem vitæ genus sunt sequuti, ut diligentiorem Deo famulatum exhiberent, & rerum Divinarum contemplationi attentius vacarent, ac propterea in ea institutione vitæ positi sunt, ut temporalia bona, quæ si antea habebant, in aliorum utilitatem reliquerunt, a divitibus quidem postea recipiant, sed ita tamen, ut in horum bonorum compensationem multo plura iisdem divitibus bona spiritualia communicare possint, vereque omnibus benefactoribus communicent, quæ non sunt ab aliis pauperibus vel non ita facile, vel non eodem modo expectanda.

Quod de merito dicunt, nunc paucis: neque enim modo eorum hac de re error a nobis est refutandus. Merita ergo nostra cum Christi meritis non pugnant, sed ex illis, uti effectus ex sua causa dimanant: Christi enim virtute fit, ut mereamur. Unde nostris meritis infinitæ perfectioni meritorum Christi nullo modo derogatur.

Tandem, si possunt, Apostolos, & eos qui cum illis erant, præfectos, & doctores, atque primos Christianos, reprehendant, immo & contemnant, quia sua omnia aliis communia fecerunt. " Nam (inquit Augustinus *Cont. litt. Petiliani* „ lib. 2. num. 239.) exceptis Apostolis, & qui cum eis erant „ præpositis, atque doctoribus, quos fortiores, & eminen- „ tiores in barba (Aaron) intelligimus, lege in Actibus Apo- „ stolorum, & vide, qui rerum suarum venditarum pretia ad „ pedes Apostolorum ponebant, & nemo dicebat aliquid pro-

 „ prium

„ prium, sed erant eis omnia communia, & distribuebatur „ unicuique, sicut cuique opus erat, & erat illis anima una, „ & cor unum in Deum". Horum exemplum profecto imitantur, qui facultates suas sic deserunt, ut eas in commune conferant.

Inter egenos autem ii quoque, & quidem potissimum, veniunt, qui paupertatem voluntariam voverunt, atque ejusmodi egestate laborant, quæ ex sui natura ab omni vitio aliena est. Illud accedit, hujusmodi homines habere in se quædam, religionis, ac pietatis officia, uti modo dicebamus, propter quæ multis aliis egenis præferri debeant. Si ergo egenis eleemosyna eroganda est, potiori jure iis quoque erogetur oportet, qui voluntariam paupertatem voverunt. *Lucæ* autem cap. 14. v. 13. ad convivium vocandos esse dicit *pauperes*, *debiles*, *claudos*, & *cæcos*. Tam ergo illis, qui aliqua infirmitate in corpore laborant, quam aliis, qui egestate tantum, præcipit Christus, ut eleemosyna tribuatur. At revera egeni sunt, & quidem perfectiori ratione, qui voluntariam paupertatem voverunt: ergo istis quoque vult Christus, ut eleemosyna tribuatur.

De eo autem ordine, qui in eroganda eleemosyna servari debet, hìc disputare non aggrediar: res enim est, quæ paucis expediri non potest. Illud solummodo repeto, eos, qui voluntariam paupertatem voverunt, plura ex eorum instituto in se habere pietatis, ac religionis officia, ob quæ aliis præferri debeant. Propter amorem ergo Dei eleemosyna eroganda est, subveniendumque fratribus nostris, quia sunt filii ejusdem Patris, eamdemque cum nobis naturam habent. In nullo sane illorum, qui egestate laborant, hæc non inveniuntur: immo sunt omnino æqualia in *notis*, & *vicinis*, ac in aliis, *quos nesciamus*. " Sunt nonnulli, (inquit S. Gregorius Magnus „ *Moral.* lib. 21. num. 31.) qui pietatis suæ viscera tendere „ usque ad incognitos nesciunt, sed solis, quos per assiduitatem „ notitiæ didicerint, miserentur: apud quos nimirum „ plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessaria „ non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur.

„ Bene

„ Bene nunc per Beatum Job dicitur (1): *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum*. Ignoto enim proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat: quia „ videlicet apud piam mentem plus natura valet, quam notitia. Nam & unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, „ ei jam incognitus non est". Quid? Collectæ, quas per unam Sabbati apud Corinthios Apostolus fieri præcepit (2), sicut antea apud Ecclesias Galatiæ præceperat, nonne Fidelibus habitantibus Jerusalem, qui tum a Corinthiis, tum a Galatis non noscebantur, distribuendæ erant? At quid mirum, si Wicleffus dum Evangelicæ Legis consilia negat, etiam contra illius præcepta agat.

CAPUT IV.

DE CONSILIO CONTINENTIÆ.

§. I. Continentia ad comparandam perfectionem quam maxime conducit.

Continentia illas passiones moderatur, aut omnino reprimit, quæ tendunt ad aliquid prosequendum. Passiones autem eo vehementius in suum objectum feruntur, quo magis inclinationem naturæ sequuntur. Natura ad ea potissimum inclinat, quæ sibi vel ad individui, vel ad speciei conservationem necessaria sunt. Cibus autem ad individui, venerei actus ad conservationem speciei requiruntur. Continentiæ ergo potissimum studemus, dum passiones ita regimus, ne ad aliquod illicitum tendant. Quia tamen, uti inquit S.Thomas 2. 2. qu. 155. art. 2. ad 4. "Delectationes venereorum „ sunt vehementiores, quam delectationes ciborum: ideo „ circa venerea magis consuevimus continentiam, vel incon„ tinentiam dicere, quam circa cibos". Hac vero acceptione de continentia hoc nos in capite loquimur, hoc est quatenus omnem delectationem venereorum excludit, eamque contendimus ad perfectionem comparandam plurimum conferre. Quandoquidem nemo sane dubitaverit, quin nos eo facilius; expe-

(1) Cap.31. v.19. (2) 1. *Corint.* cap.16. v.1. & seq.

expeditiusque ad Deum tendamus, quo magis hujus mundi curis sumus exuti, ac liberius mentem nostram levare, ac nostros affectus in Deum dirigere possumus. Hoc vero est, quod continentia potissimum assequimur. Nam inter ceteras necessitudines, quas cum aliis habemus, ea, quæ inter virum, & uxorem intercedit, præcipua est. Nam a primo nostro parente hæc dicta fuisse novimus *Genesis* cap. 2. v. 24. " Quamob-
" rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhære-
" bit uxori suæ, & erunt duo in carne una ". Huic rei accedit, quod, sicuti inquit Apostolus 1. *Corinth.* cap. 7. v. 32. & seq. " Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quo-
" modo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est
" quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est ".
Quemadmodum enim advertit S. Gregorius Magnus in *Ezechiel.* lib. 2. *Homil.* 4. num. 6. " Conjugati quippe quamvis &
" bene agant, & omnipotentem Deum videre desiderent; do-
" mesticis tamen curis occupantur, & necessitate cogente, in
" utroque mentem dividunt. Continentes autem ab hujus
" mundi actione remoti sunt, & voluptatem carnis etiam a
" licito conjugio restringunt, nulla conjugis, nulla filiorum
" cura, nullis noxiis ac difficilibus rei familiaris cogitationi-
" bus implicantur ". Si ergo quo magis hujus mundi curis expediti sumus, eo facilius mente affectuque nostro in Deum tendimus; nemo dubitare potest, quin continentia ad perfectionem assequendam quam maxime conducat. Mente enim, atque affectu quo magis Deo adhæremus, eo perfectiores evadimus.

§. II. Major perfectio cum continentia indivisibili nexu non conjungitur.

Quamvis perfectio ex observatione consiliorum maximum adjumentum recipiat; tamen essentia perfectionis non consistit in consiliis, sed in præceptis (1). Unde quandoque conjugati, qui præcepta Divinæ Legis sanctissime custodiunt, ac Deum, & proximum suum quam maxime diligunt: a quibus sane duobus præceptis, Christo monente, tota Lex pendet,

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 4.

det, & Prophetæ; quamvis non omnem continentiam servent, sed eam tantum, quæ propria est conjugatorum, ad majorem perfectionem præ illis ascendunt, qui ab omni delectatione carnis revera abstinentes, Dei præcepta minus intenso charitatis ardore observant. Isti enim in ea, qua in Deum feruntur charitate, languidi sunt, ac propterea cetera etiam præcepta Divinæ Legis, qua ratione possent, tota charitatis intensione non implent. Hinc vero est, ut tum in Veteri, tum in Novo Testamento nonnulli, qui ab omni conjugii delectatione non abstinuerunt, sint quibusdam aliis in perfectione præferendi, qui continentiam servant. Est ergo manifestum majorem perfectionem indivisibili nexu cum continentia non conjungi. „ Fieri enim potest (inquit S. Augustinus in lib. *De Bono Conjugali* num. 29.) ut alius non habeat aliquid, quod alius „ habet, sed aliud habeat, quod pluris æstimandum est. Majus enim bonum est obedientiæ, quam continentiæ. Nam „ connubium nunquam Scripturarum nostrarum auctoritate „ damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur. Si ergo „ proponatur virgo permansura, sed tamen inobediens, & „ maritata, quæ virgo permanere non posset, sed tamen obediens, quam meliorem dicamus? ..... Ita si conferas ebriosam virginem sobriæ conjugatæ, quis dubitet eamdem ferre sententiam "?

§. III. Quamvis sine continentiæ virtute nonnulli ad majorem perfectionem pervenerint, atque etiam perveniant præ aliis, qui continentiam servarunt, vel servant; tamen continentiæ laus, & pretium inde non minuitur.

Continentia ejus naturæ est, ut ad comparandam perfectionem quam maxime conducat, quia ea fit, ut & liberius mentem nostram in Deum levare, & affectus nostros dirigere possimus (1): in se igitur spectata adjumento est ad perfectionem assequendam: & si contingat, ut qui continentiam servat, ab altero, qui eamdem non servat, in perfectione vincatur; id ex virtute continentiæ non est, sed ex aliis defectibus, quibus ille laborat; atque dici debet, futurum fuisse, ut hu-

(1) Hujus cap. §. 1.

ut hujusmodi continens ab illo altero adhuc magis in perfectione vinceretur, si continentiæ virtus in eo non esset. Continentiæ ergo pretium nunquam minuitur, licet quandoque perfectio major adinveniatur in iis, qui continentiam non servarunt legitimo in matrimonio, quum accidat, ut major perfectio in istis aliquando reperiatur. Joviniani sectatores retrahere omnes a continentia conabantur, argumentum ducentes ab Abrahamo, aliisque Veteris Legis Patriarchis sanctissimis, sicuti apud S. Augustinum legimus in lib. *De Bono Conjugali* num. 27. " At per hoc ab eis, (inquit) qui cor-
„ rumpunt bonos mores colloquiis malis, inani, & mala ver-
„ sutia dicitur homini Christiano continenti, & nuptias re-
„ cusanti: tu ergo melior, quam Abraham " ? cui argumento ita respondet S. Doctor: " Quod ille quum audierit, non
„ perturbetur: nec audeat dicere: Melior, nec a proposito
„ delabatur: illud enim non vere dicit, hoc non recte facit.
„ Sed dicat: ego quidem non sum melior, quam Abraham:
„ sed melior est castitas cœlibum, quam castitas nuptiarum,
„ quarum Abraham unam habebat in usu, ambas in habitu.
„ Caste quippe conjugaliter vixit: esse autem castus sine con-
„ jugio potuit, sed tunc non oportuit. Ego vero facilius non
„ utor nuptiis, quibus est usus Abraham, quam sic utar nu-
„ ptiis, quemadmodum est usus Abraham: & ideo melior sum
„ illis, qui non possunt per animi incontinentiam quod ego,
„ non illis, qui propter temporis differentiam non fecerunt
„ quod ego. Quod enim ego nunc ago, melius illi egissent,
„ si tunc agendum esset ..... Sic & fœmina innupta, quæ
„ cogitat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore &
„ spiritu, quum audierit impudentem illum percontatorem
„ dicentem: Tu ergo melior, quam Sara? respondeat: Ego
„ melior sum, sed iis, quæ virtute hujus continentiæ carent,
„ quod de Sara non credo: fecit ergo illa cum ista virtute,
„ quod illi tempori congruebat, a quo ego sum immunis, ut
„ in meo etiam corpore appareat, quod illa in animo serva-
„ bat. (Num. 28.) Res ergo ipsas si comparemus, nullo mo-
„ do dubitandum est, meliorem esse castitatem continentiæ,
quam

„ quam castitatem nuptialem, quum tamen utrumque sit bo-
„ num: homines vero quum comparamus, ille est melior,
„ qui bonum amplius, quam alius habet".

§. IV. Continentia supra conjugium longe præcellit.

Rem istam a Theologis Polemicis contra tum antiquos tum recentiores hæreticos solide copioseque pertractatam, haud multis nos modo attingemus, aliqua tantum in medium proferentes, quæ de ea dubitandi nullum locum relinquant. Quum discipuli libellum repudii a Christo sublatum audivissent; *si ita est causa hominis cum uxore*, dixerunt, *non expedit nubere*. Ad hæc vero illud Christus primo reposuit, quod *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: deinde triplex genus eunuchorum distinxit. Alios ergo eunuchos natos, nonnullos effectos ab hominibus, quosdam vero, *qui seipsos castraverunt propter regnum Dei*: iterumque postea superaddidit: *Qui potest capere, capiat* (1). Quæ omnia expendens S.Ambrosius in lib. *De Virginit.* cap. 7. num. 28. ita habet: " Nos
„ enim nova omnia, quæ Christus non docuit, jure damna-
„ mus, quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non
„ docuit, quod docemus, etiam nos id detestabile judica-
„ mus. Discutiamus ergo; utrum Christus integritatem do-
„ cuerit, an repudiandam putaverit (2). *Et sunt*, inquit,
„ *spadones, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cælorum*.
„ Est ergo præclara militia, quæ regno Cælorum militat.
„ Itaque jam tunc Dominus docuit intemerata esse debere
„ studia castitatis. (Num. 29.) Unde & Apostoli eam ceteris
„ præeminere cernentes: *Si ita est*, ajunt, *causa viri cum*
„ *uxore, non expedit nubere*. Quo dicto & graviora judicave-
„ runt onera vinculi conjugalis, & veræ integritatis gratiam
„ prætulerunt. Sed Dominus qui sciret prædicandam omni-
„ bus integritatem, imitandam paucis: *Non omnes*, inquit,
„ *capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, hoc est, non est
„ communis plurimis, & vulgaris integritas, nec pro infir-
„ mitate permittitur, sed pro virtute conceditur. Denique
„ quum dixisset: *Et sunt spadones, qui se ipsos castraverunt pro-*
„ *pter*

(1) Vide *Matt.* cap. 19. v. 10. & seqq. (2) *Matt.* cit. loco.

„ *pter regnum Cælorum*, ut ostenderet hoc non mediocris esse „ virtutis: *Qui potest*, inquit, *capere*, *capiat*“. S. Augustinus *De Sancta Virginit.* num 23. prædicta verba Christi expendens: “ Quid veracius, (inquit) quid lucidius dici potuit? „ Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia dicit, eos, „ qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castra- „ re se ipsos propter regnum Cælorum; & contra humana „ vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, „ præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjuga- „ lium devitare, in regno autem Cælorum amplius quidquam „ ceteris non habere. (Num.24.) Item tanta dementia quis- „ quam est contrarius veritati, ut..... pio proposito conti- „ nentes, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes, „ se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice „ castrantes, cælestem & angelicam vitam in terrena mortali- „ tate meditantes, conjugatorum meritis pares esse conten- „ dat; & Christo laudanti eos, qui se ipsos castraverunt non „ propter hoc seculum, sed propter regnum Cælorum, Chri- „ stianus contradicat, affirmans hoc vitæ præsenti esse utile, „ non futuræ? Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum „ Cælorum ad hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus, „ afferant pertinere“.

Apostolus 1. Corint. cap. 7. postquam pluribus eam differentiam fuit prosequutus, quæ inter conjugatos, & non conjugatos intercedit, atque cogitare illos, quæ sunt mundi, istos autem quæ Dei; illos sollicitos, quomodo sibi invicem, istos quomodo Deo placeant, affirmavit, atque ad utilitatem Corinthiorum, non vero ut laqueum quoddam eis injiceret, hæc a se dicta fuisse declaravit, v.38. rem totam ita conclusit: “ Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, „ bene facit: & qui non jungit, melius facit“. Virginitatem ergo matrimonio S. Apostolus præfert, eamque rem meliorem, quam matrimonium, esse statuit. Uti enim habet S. Hieronymus in lib. *Cont. Jovinianum* num. 13. “ Ubi autem bonum & „ melius est, ibi boni & melioris non unum est præmium, ibi „ utique dona diversa. Tantum est igitur inter nuptias & vir-

„ gini-

„ ginitatem, quantum inter non peccare, & bene facere; im„ mo ut levius dicam, quantum inter bonum, & melius". Quamvis multis aliis, quæ omittimus, quod nunc contendimus, non ostenderetur; ex hisce omnibus, quæ nunc protulimus, esse de eo unicuique perspectum debet, dum tamen manifestæ veritati repugnare non velit.

§. V. Continentiæ consilium in lege Evangelica propositum habemus.

Res ista eodem modo, quo superior, ex duobus citatis Sacræ Scripturæ locis constat, hoc est *Matt.* 19. c., & 1. *Corint.* c. 7. Quemadmodum enim in §. superiori ostendimus, Christus dum illos eunuchos, qui se castraverunt propter regnum Cælorum, aliis idem non facientibus prætulit, dixit non omnes intelligere verbum istud, sed tantummodo eos, quibus datum est, atque postremo hæc superaddidit: *qui potest capere, capiat*. Quibus verbis Christum non præceptum constituisse, sed consilium dedisse, sic ostenditur. Quoties in lege Evangelica agitur de præceptis, observatio illorum neque captui, neque libertati hominum relinquitur, ita ut nihil referat, utrum omnes ea præcepta intelligant, vel non intelligant, sequantur, vel non sequantur: at Christus non minus captui hominum, quam eorumdem libertati reliquit, quod ab eunuchis factum propter regnum Cælorum, ipse commendaverat: hujusmodi igitur factum præcepti rationem habere non potest, consilii vero debet. Et hinc est, quod præcepta, & consilia inter se in eo differunt, ut illa obligationem imponant, ista relinquantur arbitrio hominum; sint illa de iis, quæ ad consequutionem æternæ salutis necessario requiruntur, ista autem de aliis, quibus æterna salus magis facile atque expedite obtinetur (1).

S. Apostolus non nuptas, viduasque monet, melius esse, ut in eo statu permaneant, in quo sunt, tunc autem nubere debere eas, quando se non continent. Multis vero superadditis de mutua cohabitatione conjugatorum, descendit ad virgines, deque statu illarum Domini præceptum se non habere affirmat, sed solummodo dare consilium tum viris, tum mulieribus,

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 1. & seq.

ribus, ut in virginitate permaneant; quia licet vir & mulier nubentes non peccaverint; tamen tribulationi carnis obnoxii evaserunt; & sicut vir & mulier nuptiarum expertes solliciti sunt de iis, quae ad Deum spectant; ita qui matrimonio junguntur, quærunt quæ sunt mundi, & quomodo sibi placeant, tandemque concludit bene quidem facere eum, qui suam virginem matrimonio jungit, melius vero alterum, qui non jungit. Hæc autem si manifeste non declarant dari in lege Evangelica consilium servandæ perpetuæ continentiæ, nihil sane manifeste declarari posse arbitror.

§. VI. Longe perfectius est ob votum servare continentiam, quam sine ulla obligatione voti.

Vovere est actus latriæ, quæ inter morales virtutes primum locum tenet, quum ipsum Deum ex sui natura proxime respiciat: actus autem nobilioris virtutis & præcellentior est, & plus meriti in se continet. Deinde qui aliquid ex voto facit, non solum illo actu, quem exerit, Deo singularem famulatum exhibet, sed & tota sua potestate, actuum ejusdem speciei habita ratione, sese Deo singulariter subdit, quatenus sibi imponit obligationem semper implendi, quod vovit. Tandem voto fit, ut voluntas immobiliter in eo firmetur, quod est magis bonum: in quo sane virtutis perfectio consistit (1). Qui igitur continentiam ob votum servat, longe perfectiori ratione servat, quam qui sine ulla obligatione voti continentiæ studet.

§. VII. Necessitas ex voto orta, cui parere tenetur voluntas in suis actibus, & juxta voti naturam agere, rationem meriti non minuit, sed auget.

Inter necessitatem coactionis,& voti hoc discrimen intercedit, ut illa voluntatem invitam compellat, & pium devotumque agendi affectum excludat; voti autem necessitas, quæ solum moralis est, & ad liberam electionem nostram consequitur, voluntatem nullo modo cogit, sed ad pie devoteque agendum inducit. Nam hæc necessitas originem suam habet a voluntatis immutabilitate, non quacumque, sed ab ea immutabi-

(1) Vide quæ ex S. Thoma animadvertimus hujus lib. cap. 3. §. 10.

tabilitate, quam voluntas ipsa sibi praelegit: quo fit ut hæc necessitas voluntatem ipsam firmam, & immobilem in bono faciat. Unde non solum hæc necessitas voluntati nullam vim infert; quum a voluntate nihil contra ipsam voluntatem proficisci possit; sed etiam quia voluntatem in bono firmam, atque immobilem facit, piam & devotam affectionem ad agendum in ea excitat, eamdemque agentem in bono semper magis magisque confirmat. " Necessitas autem voti (inquit „ S. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 6. ad 1.) per immobilitatem „ fit voluntatis: unde & voluntatem confirmat, & devotio„ nem auget ". Illud quidem contigere potest, ut voti necessitas tristitiam in his, qui non sunt bene dispositi, producat; tamen si voluntas propter hujusmodi tristitiam a voto implendo non recedat, atque quod debet, prosequatur, major ratio meriti adhuc subsistit propter actum religionis, qui exercetur in solutione voti, quemadmodum advertit S. Thomas in cit. art. ad 2. dicens: " Si tamen ipsum opus secundum se con„ sideratum, triste & involuntarium redderetur post votum, „ dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est „ magis meritorium, quam si fieret sine voto: quia impletio „ voti est actus religionis, quæ est potior virtus, quam absti„ nentia, cujus actus est jejunare ".

Ex his vero constat, quam nullius momenti ea omnia sint, quæ perpetuæ continentiæ oppugnatores ex illis Divinarum Scripturarum locis depromunt, in quibus legimus, uti *Psal.* 53. v. 8., 11. *Corint.* cap. 9. v. 7., & alibi, bona opera non ex necessitate quadam, sed libere plenaque voluntate fieri oportere: quod enim cum obfirmata determinatione voluntatis fit, si libere plenaque voluntate non fiat, nihil sane erit, quod fieri libere a nobis possit.

§. VIII. Periculum non servandi, quod voto continentiæ promittitur, neminem ab hujusmodi voto retrahere debet.

Quandoque in ipsa re, quam facere instituimus, ex sui natura periculum inest, quandoque vero periculum occurrit non quidem ex parte ipsius rei, sed ex parte nostri,

quatenus scilicet ab eo, quod semel recte atque fortiter aggressi fuerimus, recedere, ac priorem voluntatem deponere possumus. Si in ipsa re periculum insit; eam profecto nonnisi temere aggredimur: quod sane non contingit, si periculum aliquod a nostra voluntate tantum immineat. Quandoquidem quum de nostra semper sit voluntate timendum, ne ab eo desistat, quod recte velle, & prosequi semel cœpit; inde consequeretur, ut abstinere deberemus ab omni proposito firmaque determinatione rem quampiam in se rectam, nobisque convenientem semper prosequendi. „ Quando periculum nascitur ex ipso facto (inquit S. Thomas 1. 2. qu.88. art.4. ad 1.) tunc factum illud non est „ expediens, puta quod aliquis per pontem ruinosum transeat fluvium; sed si periculum immineat ex hoc quod „ homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse „ expediens: sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum immineat cadendi de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens „ ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur „ *Ecclesiast.* 11. 4. *Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet*. Periculum autem voventi „ non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui „ voluntatem mutat transgrediendo votum ". Periculum ergo non servandi, quod continentiæ voto promittitur, neminem ab hujusmodi voto retrahere debet.

Protestantes incontinentiæ periculum contra continentiæ votum extollunt, atque sequuti hæreticos antiquiores (1), illud quidem concedunt, hac in vita continentiæ statum & tranquilliorem esse, & publicis Ecclesiæ ministeriis magis accomodatum, si tamen illorum ratio habeatur, qui non *uruntur*. Uri autem eos dicunt, qui carnis illecebras aliquo modo patiuntur (2). Hinc contra continentiæ votum tum ea Sacræ Scripturæ loca afferunt, in quibus suadetur iis, qui se non continent, ut nubant; tum alia, in quibus traditur,

(1) Vide Augustini locum supra §.4. (2) Vide *Confessionem Wirtembergensem* cap. *De Votis Monachorum in Corpore, & Syntagmate Confessionum.*

ditur, continentiam donum Dei esse, quod non omnibus datur. Prioris generis hæc sunt: Apostolus 1. *Corint.* cap.7. loquens de non nuptis, & viduis, v.9. ait: " Quod si se „ non continent, nubant: melius est enim nubere, quam „ uri ". Antea autem v.2. dixerat: " Propter fornicatio„ nem autem unusquisque suam uxorem habeat, & una„ quæque suum virum habeat ". 1. *ad Timot.* cap. 5. v.14. „ Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres fa„ milias esse ". Alterius vero generis ista, ut nonnulla eorum attingam. *Sapient.* cap.8. v.21. " Et ut scivi, quoniam „ aliter non possem esse continens, nisi Deus det ". *Matt.* cap.19. v.11. " Non omnes capiunt verbum istud, sed qui„ bus datum est ". v. seq. " Qui potest capere, capiat ". 1. *Corint.* cap.7. v.7. " Volo enim omnes vos esse sicut me „ ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo ".

Verum ex his nihil minus colligi potest, quam quod Protestantes vellent. Nam Apostolus de non nuptis, & viduis generatim dixit v.8. " Bonum est illis, si sic perma„ neant, sicut ego ". Hoc vero semel constituto, v. seq. ad eas non nuptas, atque viduas singulatim descendit, quæ se non continent, eisque suasit, ut nuberent, quia melius est nubere, quam uri. Nuptias ergo non propter incontinentiæ periculum, sed propter ipsam incontinentiam hujusmodi non nuptis, & viduis Apostolus suasit. Nam omnes non nuptæ, atque viduæ, dum hanc vitam degunt, in aliquo incontinentiæ periculo versantur: & tamen Apostolus non nuptas, & viduas universe, generatimque monuit, bonum esse, ut in eo statu permanerent, in quo erant. Ad ipsam ergo incontinentiam, non vero ad periculum ejus appellat Apostolus, dum dicit: " Quod si se non conti„ nent, nubant ". Hoc vero magis magisque compertum fit, tum ex illis v.2. " Propter fornicationem autem unus„ quisque suam uxorem habeat ": tum ex istis aliis v.9. „ Melius est enim nubere, quam uri ". Nam Apostolus hoc eodem in capite monet eum, qui solutus est ab uxore, ut uxorem non ducat: ad uniuscujusque mentem revocat, eum,

eum, qui solutus est ab uxore, cogitare, quæ Dei sunt; quæ vero mundi, alios, qui uxorem habent: confirmat illum patremfamilias bene facere, qui suam virginem matrimonio jungit, melius autem alterum, qui non jungit: tandem statuit, viduam esse beatiorem, si in statu viduitatis permanserit. Quum igitur, uti modo ajebam, & a nemine negari potest, aliquod incontinentiæ periculum sit tum in viduis, tum in virginibus, dicendum est Apostolum & de ipsa fornicatione, & de ipsa ustione libidinis, non vero de illecebris ejus, quibus angi quispiam possit, esse loquutum, dum affirmavit, ut propter fornicationem unusquisque suam uxorem haberet, & melius esse nubere, quam uri.

Cap. autem 5. epist. 1. *ad Timoth.* quænam viduæ ad Divinum ministerium eligendæ sint, Timotheum Apostolus monet. Postquam ergo constituit, quænam dotes in hujusmodi viduis requirantur, easque non minus, quam sexaginta annorum esse debere decrevit, Timotheo præcipit, ut devitet adolescentiores, quia postquam luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. " Si enim adolescentes, (inquit S. Thomas lect. 2. in cap. 5. epist. 1. *ad Timotheum*) „ assumantur ad sustentationem Ecclesiæ, sunt duo consequentia, scilicet quod habeant sufficientiam, & quod non „ cogantur manibus operari. Ex utroque autem imminet „ periculum. Ex primo periculum castitatis: Unde dicit: „ *Quum enim luxuriatæ fuerint*. Luxuria quandoque sumitur pro superfluitate actus venerei; & sic est unum de „ septem vitiis capitalibus: quandoque vero sumitur pro „ omni superfluitate rerum corporalium; & sic sumitur hîc; „ quasi dicat: quum habuerint superabundantiam *in Christo*, id est per suffragium Christi, tunc *nubere volunt* ". Unde superaddit Apostolus: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, hoc est, quemadmodum in citato loco monet S. Thomas " Castitatis, quam voverunt: „ alias enim non fuissent assumptæ ad alimoniam ". Unde sicut dicit Apostolus v. 13. " Simul autem & otiosæ discunt:

„ cir-

„ circuire domos; non solum otiosæ, sed & verbosæ, & „ curiosæ, loquentes quæ non oportet“. De his ergo viduis seq. v. ita pronunciat Apostolus“: Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse“. Ad tollendam ergo incontinentiam Apostolum consuluisse matrimonium, nullus remanet dubitandi locus.

Donum Dei profecto continentia est, donum Dei etiam est custodia mandatorum Divinæ Legis: anne firmissimam voluntatem habere non possumus, immo an non debemus servandi mandata Dei? Quodcumque bonum faciamus, ex dono Dei facimus: anne propterea certissimum apud nos non est, ea bona fieri a nobis debere, quæ ad vitam æternam sunt necessaria, vel ea fieri posse, quæ ad illam valde conducunt? S. Augustinus lib.5. *Cont. Julianum* n.65. ita inquiebat: “ Respondeo me fateri (hoc est virtutem pu„ dicitiæ a volentibus posse servari) sed non sicut vos. „ Nam vos ipsius animi viribus hoc tribuitis; ego adjutæ „ per Dei gratiam voluntati“. Et *De sancta Virginitate* num.42. “ Quapropter hæc prima sit induendæ humilitatis „ cogitatio, ne a se sibi putet esse Dei virgo, quod talis „ est, ac non potius donum optimum desuper descendere „ a Patre luminum .... Sed cautius, & verius cogitabit, „ omnia peccata sic habenda tamquam dimittantur, a qui„ bus Deus custodit, ne committantur. Testes sunt voces „ piarum deprecationum in Scripturis Sanctis, quibus osten„ ditur ea ipsa, quæ præcipiuntur a Deo, non fieri, nisi „ dante, & adjuvante, qui præcepit. Mendaciter enim pe„ tuntur, si ea, non adjuvante ejus gratia, facere posse„ mus“. Sicuti Deus, qui præcipit, ut ejus mandata servemus, ipse nos sua gratia prævenit, & adjuvat, ut quod præcipit, faciamus; ita etiam, & eo inspirante, castitatem vovemus, & adjuvante, servamus. Quemadmodum autem vitio nostro contingit, ut peccando, quod in baptismate professi fuimus, transgrediamur; etiam eam eodem vitio fit, ut continentes non sint, qui tales semper futuros, singulari inito voto, sese obstrinxerunt.

§. IX.

§. IX. Sunt prorsus inanes omnes illæ ratiunculæ, quas Adversarii nostri contra continentiæ votum urgent.

Novum sane non est, quod ab ipsa ratione petitum contra continentiæ votum opponunt non solum Lutherus, & Erasmus (1), atque omnes Protestantes, sed etiam nonnulli nostrorum temporum: de quibus hujus libri initio mentionem fecimus (2). Refutatum enim illud fuit a S. Ambrosio in lib. *De Virginitate*, a S. Hieronymo in libro *Cont. Jovinianum*, a S. Augustino in libro *De sancta Virginitate*, & ut alios omittam, a S. Thoma lib. 3. *Cont. Gent.* cap. 136. Dum enim hi Sancti Patres hujus doctrinæ catholicam veritatem propugnarent, illud quoque pro suo more præstitere, ut quæ sibi tamquam contraria rectæ rationi opponebantur, nullius ea momenti esse, omnibus detegerent. Tam ergo antiquorum, quam recentiorum nobis adversantium hæc præcipua momenta sunt.

Unusquisque inclinationem ad generationem, & quæ ad eam perficiendam requiruntur, ab ipsa natura habet: aliunde vero generatio tendit ad conservationem speciei, quæ longe pluris fieri debet, quam conservatio individui. Publica deinde utilitas ob continentiam plurimum detrimenti patitur: ex ea namque fit, ut desint, qui illi, prout requireretur, inserviant. Qui enim continentiam servant, instar quarumdam arborum habendi sunt, quæ nullum fructum producunt. Tandem quod bonum est, si omnes prosequantur; recte faciunt: si ergo continentia bona est, omnes ei operam dare poterunt: ex quo sane totius humani generis destructio consequutura erit.

At vero idem ipse Deus, qui est naturæ auctor, quique condidit homines etiam in ea natura, quam nunc habent, sua Divina Revelatione nobis continentiam consuluit (3): idemque ipse Dominus, qui hunc mundum produxit, genus humanum creavit, omniaque ad commune bonum

(1) Vide Bellarminum lib. 2. *De Monachis* cap. 32. (2) Quoad Protestantes varias Confessiones, quas ediderunt, vide in *Corpore, & Syntagmate Confessionum*. (3) Hujus cap. §. 5.

bonum accomodata constituit, continentiæ consilium nobis proposuit: unum ergo ex his duobus dicendum erit, hoc est, vel Deum sibi contrarium esse, atque uti auctorem gratiæ opponi sibi ipsi, quatenus est naturæ auctor; vel continentiam nullo modo adversari iis, quæ homo ab ipsa natura habet, aut aliis, quæ communi utilitati humanæ speciei necessaria sunt. Illud prius ne impudentissimus quidem dixerit: est ergo hoc alterum necessario dicendum.

Illud quoque, antequam singula discutiamus, advertendum monemus, ab ipsis quoque Gentilibus continentiam in maximo pretio habitam fuisse, ac propterea suarum prophanarum cæremoniarum ministerium commisisse iis, qui continentiam servare proposuissent. " At certe ipsis genti„ bus (inquit S. Ambrosius in lib. *De Virginitate* cap. 3. „ num. 13.) inter aras, & focos, venerabilis solet esse vir„ ginitas: & in quibus nulla meritorum est pietas, nulla „ mentis integritas; in iis tamen carnis virginitas prædi„ catur. A prophanis igitur cæremoniis virgines nemo pro„ hibebit, ab Ecclesia Dei virginitas arcebitur? Illic co„ guntur, quod non docentur: hìc interdicitur, quod li„ cet non doceri? Illic præmiis revocantur a nuptiis, hìc „ ad nuptias coarctabuntur injuriis? Illic violentia fit, ut „ capiantur: hìc fiet violentia, ne profiteantur " (1)?

A natura ergo homines tum vires, tum inclinationem habent: tamen non oportet, ut hisce viribus singuli homines utantur, vel ut hujusmodi inclinatio in singulis expleatur. " Ex Divina enim providentia (inquit S. Thomas „ lib. 3. *Cont. Gent.* cap. 136.) dantur homini ea, quæ sunt „ toti speciei necessaria. Nec tamen oportet, quod quili„ bet homo quolibet illorum utatur: data est enim homi„ ni industria ædificandi, & virtus ad pugnandum; nec ta„ men oportet, quod omnes sint ædificatores, aut milites. „ Si-

(1) Vide S. Hieronymum in lib. 1. *Cont. Jovinianum* §. 41. & seq. pluribus ostendentem virginitatem apud Ethnicos maximo in pretio habitam fuisse.

„ Similiter licet sit homini divinitus provisa virtus genera„ tiva, & ea, quæ ad actum ejus ordinantur; non tamen „ oportet, quod quilibet actui generationis intendat “.

Non est autem idem judicium de iis, quæ ad speciei, & de aliis, quæ ad individui conservationem requiruntur: singuli istis, non vero illis dare operam debent. “ Patet „ enim (inquit S. Thomas loco citato) multa esse necessa„ ria multitudini hominum, ut sunt cibus, potus, indu„ mentum, domus, & alia hujusmodi, quæ impossibile est, „ quod per unum procurentur: & ideo diversorum opor„ tet esse diversa officia; sicut etiam in corpore diversa „ membra ad diversos actus ordinantur. Quia igitur ge„ neratio non est de necessitate individui, sed de necessi„ tate totius speciei, non est necessarium, quod omnes ho„ mines actibus generationis vacent; sed quidam ab his „ actibus abstinentes, aliis officiis mancipentur, puta mili„ tiæ, vel contemplationi “.

Dum vero Adversarii illud nobis opponunt, continentia fieri, ut desint, qui reipublicæ inserviant, ab eis quæro, utrum consentiant in humana societate esse quosdam, immo sane multos, qui militiæ dent operam, qui bella gerant, pro patria pugnent, & vitam quoque ponant: nullus eorum in hoc repugnare auserit. At militia propagationi humani generis maximo impedimento est: bella vero non solum humanam propagationem minuunt, sed etiam maxima multitudine hominum rempublicam spoliant. Non omne igitur, quod impedit propagationem humani generis, de medio tollendum est; immo nonnulli aliquando in bello, aliisque reipublicæ periculis id facere debent, quod propagationem non solum non promovet, sed destruit. Continentia autem quamvis propagationem non promoveat, ipsam tamen propagationem factam non destruit, atque aliunde sua bona continet, quæ etiam in communem utilitatem cedunt. Nam ad publica eos munia, præsertim vero ecclesiastica, esse accomodatiores, qui continentiam servant, omni tempore illi quoque agnoverunt, qui continentiam subla-

ſublatam voluere (1): ſi igitur publicæ utilitati expedit, ut ſint qui magis accomodate præ aliis publica munera, & præſertim eccleſiaſtica, ſuſtineant; erit quoque eidem publicæ utilitati quam maxime conſentaneum, ut ſint, qui continentiam voveant. Deinde ad publicam felicitatem nonne conducit, ut ſtudia litterarum in pretio ſint, atque colantur? Hoc vero, quemadmodum experientia novimus, illorum potiſſimum opera contingit; qui continentiæ ſtudent. Poſtremo hi ſane ſunt, qui præ aliis nullo plerumque divitiarum inordinato appetitu tenentur, facilius inſervire ceteris poſſunt, & ad multa reipublicæ valde utilia ſunt paratiores: quæ ſane omnia & ad communem utilitatem quam maxime conducunt, & conjugati propter curam, quam de re familiari, de uxore, de filiis habere debent, haud æque facile præſtare poſſunt. Verum enim vero anne quiſquam, dum tamen neque communi ſocietati, neque ſuis ſubtrahat quod debet, Divino cultui ſingularem dare operam non poterit, taleque vitæ genus ſeligere, in quo ſit ad illa magis expeditus, quæ ad Deum ſpectant? At qui continentiam vovet, nihil eorum, quæ debet, communi ſocietati denegat, aliundeque multa ab eo bona in communem ſocietatem proficiſcuntur, ſicuti vidimus; nihil quoque ab illo ſibi ſubtractum eſſe ſui condolere poſſunt: quæ ergo tandem inſipientia eſt, non velle, ut aliqui, quæ Dei ſunt, diligentius curent, & ut ad alterius vitæ beatitudinem ſecurius tendere poſſint, eam vitam eligant, quæ carnis illecebris non ſubdatur, atque vinciatur?

Qui continentiam ſervant, ad inſtar quidem illarum arborum ſe habent, quæ nullos fructus producunt, ſi ad propagationem humani generis attendatur: at hujuſmodi fructus producendi nullam obligationem habent, quemadmodum oſtendimus. Ceterum pro ſe vitæ æternæ fructus producunt, pro aliis quoque facilius ex ſuæ vitæ ratione, quam conjugati, fructus longe præcellentiores, atque præſtantiores producunt, quam ſint illi, qui ex generatione naſcuntur,

(1) Præced. §.

quod sane necesse non est, ut nunc iterum commemoramus.

Tandem non est, cur Adversarii nostri timeant, ne omnes continentiam amplectantur, atque ita humanum genus deleatur. " Non omnes capiunt verbum istud, (in„ quit Christus *Matt.* cap. 19. v. 11.) sed quibus datum est". S. Augustinus *De Bono Conjug.* num. 10. " Sed novi (ait) „ quid murmurent: quid si, inquiunt, omnes homines ve„ lint ab omni concubitu continere; unde subsistet huma„ num genus? Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in „ charitate Dei de corde puro, & conscientia bona, & fi„ de non ficta: multo citius Dei civitas impleretur, & ac„ celeraretur terminus seculi ". Unde si Deus inspiraret omnibus, ut continentiam voverent; argumento id esse deberet, ejus mundi, quem ipse condidit, atque tanto tempore conservavit, velle finem. Anne quispiam inde queri posset? Nihil ergo nisi futile contra continentiæ votum adversarii nostri opponunt.

CAPUT V.

DE CONSILIO OBEDIENTIÆ.

§. I. Obedientia est quædam virtus singularis.

Actiones nostræ, quatenus singularem rationem laudis in se continent, a singulari virtute oportet, ut proficiscantur. Obedientia autem in quadam voluntatis nostræ actione consistit, qua superiori subjicimur. Est autem valde laudabile, ut inferiores suis superioribus exhibeant, quæ eisdem debent: inter quæ sane illud præcipuum est, ut præceptis eorum obediant. Id autem obedientia perficitur: est igitur obedientia virtus singularis.

Animadvertendum tamen est, nihil impedire, quin unum idemque objectum duæ diversæ virtutes sub diversa ratione respiciant, atque ita in ejus objecti prosequutione duplex sit diversa ratio laudis. Nam sicuti inquit S. Thomas 2. 2. qu. 104. art. 2. ad 1. " Miles defendendo castrum Regis

„ Regis & implet opus fortitudinis, non refugiens mortis „ periculum propter bonum, & opus justitiæ debitum servitium Domino suo reddens". Quapropter obedientia aliarum quoque virtutum actus respicit; at non sub ea ratione, qua ab aliis virtutibus respiciuntur, sed sub diversa, hoc est, quatenus ii præcipiuntur, ita ut obedientia præceptum Superioris ex sui natura proxime attendat. Hac ergo acceptione est obedientia virtus singularis, singularemque laudem etiam in actibus aliarum virtutum inducit. Quia vero, uti inquit S. Thomas, " Quædam quandoque sub „ præcepto cadunt, quæ ad nullam aliam virtutem (præ- „ ter obedientiam) pertinent, ut patet in his, quæ non „ sunt mala, nisi quia prohibita"; ideo obedientia fit, ut hæc quoque laudabilia evadant. Si autem obedientia latiori sensu accipiatur, hoc est pro exequutione eorum, quæ sub præcepto cadunt; hac ratione obedientia erit virtus universalis, sicut inobedientia universale vitium, si pro eorumdem omissione sumatur. "Sic ergo si obedientia (prosequi- „ tur S. Thomas in citato loco) proprie accipiatur, secun- „ dum quod respicit per intentionem formalem rationem „ præcepti, erit specialis virtus, & inobedientia peccatum „ speciale: secundum hoc enim ad obedientiam requiritur, „ quod impleat aliquis actum justitiæ, vel alterius virtutis, „ intendens implere præceptum; & ad inobedientiam re- „ quiritur, quod actualiter contemnat præceptum. Si vero „ obedientia large accipiatur pro exequutione cujuscum- „ que, quod potest cadere sub præcepto, & inobedientia „ pro omissione ejusdem ex quacumque intentione; sic obe- „ dientia erit generalis virtus, & inobedientia generale pec- „ catum".

§. II. Quamvis obedientia sit virtus singularis, aliqua tamen acceptione continetur sub aliis virtutibus.

Obedientia ex ea observantia, atque reverentia proficiscitur, qua superiori obsequium exhibendum esse docemur. Hac vero acceptione obedientia sub diversis virtutibus continetur, licet in se spectata, quatenus præcepti rationem

rationem attendit, sit virtus singularis. " In quantum ergo „ obedientia (inquit S. Thomas cit. quæst. art. 3. ad 1.) „ procedit ex reverentia prælatorum, continetur quodam- „ modo sub observantia; in quantum vero procedit ex re- „ verentia parentum, sub pietate; in quantum vero pro- „ cedit ex reverentia Dei, sub religione, & pertinet ad „ devotionem, quæ est principalis actus religionis ".

§. III. Obedientia ceteras morales virtutes præcellit.

Id evincit S. Thomas in citato art. hac brevi, atque omnino perspicua ratiocinatione. " Inter virtutes autem „ morales tanto aliqua potior est, quanto aliquis majus ali- „ quid contemnit, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria ge- „ nera bonorum humanorum, quæ homo potest contemne- „ re propter Deum: quorum infimum sunt exteriora bona; „ medium autem sunt bona corporis; supremum autem sunt „ bona animæ: inter quæ quodammodo præcipua est vo- „ luntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omni- „ bus aliis bonis utitur. Et ideo per se loquendo lauda- „ bilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum con- „ temnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes mora- „ les, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt ". S. Gregorius Magnus *Moralium* lib. 35. num. 28. in obedientiæ commendationem supra alias virtutes ita habet: " Sola „ namque virtus est obedientia, quæ virtutes ceteras menti „ inserit, insertasque custodit. Unde & primus homo, præ- „ ceptum quod servaret, accepit, cui se si vellet obediens „ subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. „ Hinc Samuel ait (1): *Melior est obedientia, quam victimæ,* „ *& auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam* „ *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolola-* „ *triæ nolle acquiescere*. Obedientia quippe victimis jure præ- „ ponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam „ vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum „ citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui „ superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ario- „ landi

(1) 1. *Regum* cap. 15. v. 12.

„ landi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus „ obedientia moſtretur“.

§. IV. Ea quoque, quæ nobis placent, ſi præcipiuntur, ipſa obedientia facit, ut ſint ſecundum virtutem; ſicut laus, quæ eſt in ſuſtinendis aſperis, atque difficilibus, vel minuitur, vel omnino tollitur, ſi quum illa nobis præcipiuntur, ex obedientiæ virtute non perferantur.

Fieri poteſt tam ut ea præcipiantur, quæ nobis placent, atque proſpera dicuntur, quam alia, quæ voluntati noſtræ, ut nunc eſt, repugnant, qualia ſunt aſpera, atque difficilia. Proſpera ut velimus, præceptum alterius non requiritur: ad illa enim voluntas noſtra ex ſe ipſa tendit. Tamen hæc dum præcipiuntur, ſi noſtra voluntas non tam propter ſuam inclinationem, quam propter obedientiam illa proſequatur, tunc ſane obedientiæ virtus voluntatem noſtram regit; ac propterea quum ſit virtus ſingularis (1), virtuti conformem hunc, vel illum actum facit, quamvis tendant ad ea, quæ voluntati placent. Aſpera, atque difficilia voluntati repugnant: at ſi his quiſpiam, ſemel ac illa ſibi præcepta fuerint, vel ægro animo, vel omnino invitus,& repugnans ſeſe ſubmittat,atque ob aliam omnino rationem, quam ut obediat; tunc ſane virtus hujuſmodi operum aut minuitur, aut omnino tollitur. Si ægro animo fiat; minuitur, quia obedientiæ virtute illud opus diminute regitur: ſi vero fiat animo repugnante, & invito; prorſus tollitur, quum obedientia nullum in eo locum habeat, ac propterea operi ratio virtutis communicari non poſſit. “ Sed „ quia nonnunquam (inquit S. Gregorius Magnus *Moralium* „ lib. 35. num. 30.) nobis hujus mundi proſpera, nonnunquam vero jubentur adverſa; ſciendum ſummopere eſt, „ quod obedientia ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt; aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nam quum „ hujus mundi ſucceſſus præcipitur, quum locus ſuperior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem evacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio „ anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipien-

(1) Hujus cap. §. 1.

„ cipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis „ servit. Rursus quum mundi despectus præcipitur, quum „ probra adipisci, & contumeliæ jubentur, nisi ex se ipso „ animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit; quia „ ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque „ descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, „ quum mentem ad suscipienda probra hujus seculi nequaquam ex parte aliqui etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in adversis ex suo aliquid habere, & rursus in prosperis ex suo aliquid omnimode non habere: quatenus & in adversis tanto sit gloriosior, quanto Divino ordini etiam ex desiderio jungitur: & in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percipit, gloria, funditus ex mente separatur".

§. V. Alia est obedientia, quæ sub præcepto cadit, alia vero, quæ sub consilio.

Id ergo advertatur oportet, quamdam abnegationem propriæ voluntatis, quæ sane obediendo perficitur, ad salutem æternam consequendam necessario requiri, omnibusque communem esse debere; & quamdam esse consilii, quatenus ei quisque pro suo arbitrio sese subjicere potest, neque ad consequutionem æternæ salutis necesse est, ut subjiciatur. Illa respicit observationem Divinorum mandatorum, ista perfectiora opera virtutis. Quandoquidem salutem æternam adipisci nemo potest, nisi ita Deum diligat, ut in iis, quæ Divinis præceptis repugnant, suæ voluntati omnino resistat, atque adversetur. Ex perfectione autem dilectionis provenit, ut homo propter Deum quoad ea quoque suæ voluntati contradicat, in quibus ullo sine crimine sibi complacere posset, proindeque non sufficit, ut solum servet Divina mandata, sed ulterius requiritur, ut virtutis opera perfectiora prosequatur, & ut totam suam vitam ea ratione instituat, qua ad illa prosequenda sit magis expeditus, atque paratus. De priori abnegatione necessaria omnibus loquitur Christus *Matth.* cap. 16. v. 25. & seq., ac *Lucæ* cap. 9. v. 23. & seq.; de altera vero, quæ consilii est, *Matth.* cap. 19. v. 21., *Marci* cap. 10. v. 21., & *Lucæ* cap. 18. v. 22.,

v. 22., ficuti mox oftenfuri fumus. Obedientia ergo, quæ fub præcepto cadit, ab ea, quæ confilii eft, diftinguitur. „ Hujus autem falubris abnegationis (inquit Sanctus Thomas „ *Opufculo* 17. cap. 10.) & caritativi odii obfervantia partim „ quidem neceffaria eft ad falutem, & omnibus, qui fal„ vantur, communis; partim autem ad perfectionis perti„ net complementum ... Eft autem neceffarium ad falu„ tem, ut homo fic Deum diligat, ut in eo finem fuæ „ intentionis ponat, nihilque admittat, quod contrarium „ Divinæ dilectioni exiftimat: & ideo confequenter & odium, „ & abnegatio fui ipfius eft de neceffitate falutis. Unde „ Gregorius dicit in *Homilia* (1): *Tunc ergo nofmetipfos re„ linquimus, tunc nofmetipfos abnegamus, quum vitamus, quod „ per vetuftatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per novi„ tatem vocamur*. Et ficut in *Homilia* alia dicit (2): *Tunc „ enim bene noftram animam odimus, quum ejus carnalibus de„ fideriis non acquiefcimus, quum ejus appetitus frangimus, & „ ejus voluptatibus reluctamur*. Ad perfectionem vero perti„ net, ut homo propter intenfionem amoris Dei etiam ea „ abjiciat, quibus licite uti poffet, ut per hoc liberius Deo „ vacet. Secundum hunc ergo modum confequens eft, ut „ & odium & abnegatio fui ipfius ad perfectionem perti„ neant".

§. VI. Datur in Evangelica Lege confilium obedientiæ, feu abnegationis propriæ voluntatis.

Chriftus juveni illi, qui, ut habetur *Matthæi* cap. 19. v. 20. & 21. ab eo quæfivit, quid fibi poft obfervationem Divinorum mandatorum faciendum fupereffet, ut perfectus effet, duo facienda illi præcepit: 1. ut fua omnia venderet, eorumque pretium pauperibus erogaret: 2. ut fequeretur fe. Paupertatem confuluit, dum auctor illi fuit, ut fua omnia venderet, & quod ex eis collegiffet, in pauperes diftribueret, quemadmodum jam oftendimus (3): obedientiam vero, dum fuperaddit, ut fequeretur fe. Quan-

 doqui-

(1) *In Evangelia* lib. 2. *Homil.* 32. num. 2. (2) Ejufdem lib. Homil. 37. num. 2. (3) Hujus lib. cap. 3. §. 7.

doquidem, qui relicta ea institutione vitæ, quam tenebat, sequi alterum sibi constituit, obedientiæ illius sese subjiciat oportet, ejusque voluntati suam submittat. At Christus juveni auctor fuit, ut, abjecta ea institutione vitæ, quam antea tenebat, ipsum sequeretur: obedientiam ergo illi consuluit, & abnegationem propriæ voluntatis. Consuluit, inquam, nullo autem modo præcepit. Nam juvenis primo quidem dixit Christo, & vere dixit (1), se omnia servasse, quæ ad vitam æternam obtinendam sunt necessaria; deinde vero ab eo quæsivit, quid sibi ulterius faciendum superesset. Tunc autem Christus non dixit: *serva mandata*, sicut antea fecerat, quando juvenis ab eo quæsivit, quid si faciendum esset, ut vitam æternam consequeretur; sed hæc alia superaddidit: *Si vis perfectus esse ... veni, & sequere me*. Quapropter & quod dixit, in optione ejus reliquit, ut amplecteretur, & tale esse ostendit, ut ad vitam æternam non requireretur, sed ad perfectionem assequendam conduceret. Eam ergo obedientiam, cui oportebat, ut juvenis ille sese subjiceret, semel ac Christum sequeretur, ipse Christus consuluit, nullo autem modo præcepit. Hinc vero est, ut Christus singulare præmium in regno cœlorum promiserit iis, qui ipsum sequuti fuerint. Nam discipuli videntes juvenem tristem abeuntem ob ea, quæ sibi consulebantur, & Christum dicentem, valde difficile esse, ut divites regnum cœlorum consequerentur, dixerunt ad Christum, immo nomine omnium Petrus dixit (2): " Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis " ? Ad quæ Christus: " Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel ". Operi ergo perfectionis, atque consilii aliquid præcellens in regno cœlorum retribuendum esse Christus promisit, quod alii accepturi non erant, qui illud non præstitissent, sed Divina mandata solummodo servassent.

§. VII.

(1) Vide cit. §. (2) *Matt.* cap. 20. v. 27. & seq.

§. VII. Non una eademque ratione obedientiæ consilium sequi contingit ab hominibus.

Rem unam unus, alteram alter vovere potest: nonnulli ad aliquid faciendum certo quodam constituto tempore voto sese obstringere possunt; alii autem quoadusque vixerint: quidam alterius se voluntati voto subjiciunt, quarumdam actionum habita ratione; aliqui vero tota spectata institutione suæ vitæ. Semel ac enim aliquid voveatur, est illud adimplendi homini imposita necessitas, & quamvis antequam aliquid voveret, illud tam facere, quam non facere æque posset; tamen post votum certæ obedientiæ subjicitur, hoc est, ob virtutem religionis, suæ voluntati in iis, quæ vovit, si contra nitatur, resistere debet. " Hujus autem voluntatis libertatem (ait S. Thomas *Opusculo* 17. cap.10.) aliqui sibi propter Deum particulariter adimunt, dum quodcumque particulare votum emittunt de quocumque faciendo, vel non faciendo. Per votum enim necessitas quædam imponitur voventi, ut de cetero non liceat quod prius licebat, sed quadam necessitate constringitur ad reddendum, quod vovit. Unde in *Psal.*65. v.13. dicitur: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea;* & *Ecclesiast.* cap.5. v.3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Aliqui vero libertati propriæ voluntatis totaliter abrenunciant, se propter Deum aliis subjicientes per obedientiæ votum". Ut ergo homines obedientiæ consilium sequantur, multiplici ratione fieri potest.

§. VIII. Hujusmodi consilium ii perfecte sequuntur, qui suæ voluntati omnino renunciant, & sub obedientia alterius vovent suam vitam ducere.

Obedientiæ consilium tunc quis præ aliis magis perfecte sequitur, quando suæ voluntati prorsus renunciat, alteriusque se imperio omni ex parte subjicit: at hoc ii potissimum faciunt, qui singularem quamdam vitæ institutionem vovent, quam sub alterius, aut aliorum obedientia servent: igitur obedientiæ consilium perfecte sequuntur, qui suæ

fuæ voluntati omnino renunciant, & fub obedientia alterius vovent fuam vitam ducere. " Cujus quidem obedien-
„ tiæ exemplum (profequitur S. Thomas in citato loco) præ-
„ cipuum habuimus in Chrifto, de quo Apoftolus dicit *Ro-*
„ *man.* cap.5. v.19. *Sicut per inobedientiam unius hominis pec-*
„ *catores conftituti funt multi*; *ita & per unius obeditionem ju-*
„ *fti conftituentur multi*. Quam quidem obedientiam Apofto-
„ lus manifeftat *ad Philippen.* cap.11. v.8. dicens: *Humilia-*
„ *vit femetipfum*, *factus obediens ufque ad mortem*. Hæc au-
„ tem obedientia in abrenuntiatione propriæ voluntatis con-
„ fiftit. Unde ipfe dicebat *Matt.* cap.26. v.39. *Pater mi*,
„ *fi poffibile eft*, *tranfeat a me calix ifte*; *verumtamen non fi-*
„ *cut ego volo*, *fed ficut tu*: & *Joan.* cap.6. v.39. dicit: *De-*
„ *fcendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam*, *fed volun-*
„ *tatem ejus*, *qui mifit me*. In quo nobis dedit exemplum,
„ ut ficut ipfe fuam voluntatem humanam abnegabat fup-
„ ponendo eam Divinæ; ita & nos noftram voluntatem Deo
„ totaliter fupponamus, & hominibus, qui nobis præponun-
„ tur tamquam Dei miniftri ".

§. IX. Obedientiæ confilium, quo quis fub inftitutione alterius vovet fuam vitam ducere, duobus aliis confiliis præcellit, quibus vel res omnes exteriores abdicantur, vel perpetuæ continentiæ votum emittitur.

Voto caftitatis facrificium proprii corporis Deo offertur, paupertatis autem, rerum omnium exteriorum; at hoc obedientiæ voto tota voluntas Deo confecratur. Sicut ergo inter bona hominis, corpus rebus exterioribus, & anima corpori præfertur; ita etiam votum continentiæ eft præferendum voto paupertatis, & utrique votum obedientiæ, habita ratione præcellentiæ illorum bonorum, quæ hæc vota complectuntur. Nam votum paupertatis exteriora bona refpicit, votum caftitatis proprium corpus, obedientiæ autem bonum animæ, cujufmodi eft libertas. " Inter alia autem
„ ait S. Thomas *Opufculo* 17. cap.10.) quanto aliquid ma-
„ gis naturaliter amatur, tanto perfectius contemnitur pro-
„ pter Chriftum. Nihil eft enim homini amabilius libertate

pro-

„ propriæ voluntatis; Per hanc siquidem homo est etiam aliorum dominus; per hanc aliis uti, vel frui potest; per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde sicut homo dimittens divitias, vel personas conjunctas, eas abnegat; ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui dominus est, se ipsum abnegare invenitur. Nihil est etiam, quod homo naturali affectu magis refugiat, quam servitutem: unde & nihil posset homo pro alio amplius impendere, post hoc, quod se ipsum in mortem pro eo traderet, quam quod se servituti ejus subjugaret: unde dicitur *Tobiæ* cap. 9. v. 2. Tobias junior dixit ad Angelum: *Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ* ".

§. X. Obedientiæ votum, quo quis toto vitæ suæ tempore sese submittit præceptioni alterius, certamque vivendi rationem profitetur, in qua sese exerceat in operibus virtutum, est præstantissimi meriti.

Illud consilium nobis a Christo datum de abnegatione voluntatis, quam perfectissime Sanctos Martyres fuisse sequutos, negari non potest. Nullum enim illorum bonorum, quæ nunc habemus, aut habere possumus, vitæ præferendum est. Hinc homines amicis, divitiis, sanitate corporis, atque etiam libertate privari potius ducunt, quam vita. At vero Sancti Martyres vitæ quoque bonum pro Christi amore profuderunt, suæque voluntati quoad conservationem vitæ pro Christi amore obstiterunt: illud igitur consilium nobis a Christo datum de abnegatione voluntatis Sancti Martyres perfectissime sequuti fuerunt. Exemplum vero eorum, qua ratione sine amissione vitæ fieri potest, ii perfecte sequuntur, qui illo, de quo nunc loquimur, obedientiæ voto sese obstringunt. Nam, uti superius dicebamus (1), illud majus bonum, quod homo habet, voto obedientiæ Deo consecrat, atque ita quidem, ut dare singularem operam exercitationi virtutum non solum aggrediatur, sed etiam profiteatur, atque suam totam vitam ad id institutam reddat:

(1) Præced. §.

dat: igitur semel ac quispiam pro Dei amore obedientiam hujusmodi voveat, rem profecto prestantissimi meriti facit. Et re quidem vera duplici ratione est aliquis actus dignus meriti majoris, hoc est, & ob majorem ferventioremque charitatem, ex qua proficiscitur, & propter ipsam conditionem operis, ita ut ille actus sit majoris meriti, qui ad excellentiorem virtutem pertinet (1). Quo majora sunt, quæ quis pro Dei amore facit, majori quoque ejus charitate indiget: Dei enim charitate fit, ut faciamus, quidquid pro ejusdem amore facimus. Dum vero nulla est necessitas profundendi vitam pro amore Dei, vel nulla id suadeat utilitas; tunc sane quidquid habemus, pro Deo impendimus, quando voluntatem nostram Deo omnino vovemus, ac propterea & res cunctas exteriores, & nos ipsos abdicamus, & ita quidem, ut solemni voto totam vitam nostram pro Dei amore in hujusmodi abnegatione nos acturos esse profiteamur. Obedientiæ autem virtus inter ceteras morales virtutes præcellit (2), atque dum ea vovetur, prout nunc dicimus, duo ad perfectionem ejus accedunt; primo latriæ cultus, quod propter votum Deo exhibetur, deinde perfecta sacrificii ratio, ob quam singulariter tota vita Deo consecratur, & propter ejus amorem ad ea præstanda, quæ in se habent exercitationem virtutis, præceptioni alterius subjicitur. Obedientiæ ergo votum, quo quis sese submittit institutioni alterius, ut virtutum operibus singulariter incumbat, tale in se est, ut præstantissimi meriti rationem contineat, quum ea in se habeat, quæ ad majorem rationem meriti conducunt.

§. XI. Adversarii nostri nugantur, dum Divinarum Scripturarum auctoritati contrarium esse contendunt, ut quis uni, vel pluribus singularem obedientiam præstare voveat.

Hæc ergo sunt, quibus falso nituntur (3): Apostolus *Philippen.* cap. 2. v. 3. dicit: *Superiores sibi invicem arbitrantes*; S. Petrus in 1. epist. cap. 2. v. 13. *Subjecti igitur estote omni huma-*

(1) Vide S. Thomam *Quodlibeto 6.* art. 11. (2) Hujus cap. §. 3.
(3) Vide Bellarminum *De Monachis* lib. 2. cap. 22.

humanæ creaturæ propter Deum. 1. *Corint*. cap.7. v.23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*. Nugantur sane: quandoquidem ita habet Apostolus: " Nihil per contentionem, „ neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores „ sibi invicem arbitrantes ". Sanctus ergo Apostolus, quemadmodum advertit S. Thomas lect.1. in cap.2. epist. *ad Philippenses* " Monet ad humilitatem: circa quam primo ex„ cludit contraria humilitati; secundo monet ad eam. Con„ traria autem humilitati sunt, quæ oriuntur ex superbia. „ Hæc autem sunt proprie exterior contentio, quia humi„ les sibi cedunt. *Proverb*. cap.13. v.10. *Inter superbos sem„ per jurgia sunt*. *Jacobi* cap.3. v.16. *Ubi zelus, & conten„ tio, ibi inconstantia, & omne opus pravum*. Ideo dicit: *Ni„ hil per contentionem*. Aliud est inanis gloria. Superbus „ enim inordinate appetit suam excellentiam, etiam in opi„ nione aliorum. *Galat*. cap. 5. v.26. *Non efficiamur inanis „ gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*. *Jo„ annis* cap.8. v.50. *Ego autem non quæro gloriam meam; „ est qui quærat; & judicet*. Ideo hîc dicit: *Neque per ina„ nem gloriam*. Et sequitur monitio: *Sed in humilitate supe„ riores sibi invicem arbitrantes*. Sicut enim pertinet ad su„ perbiam, quod homo se extollat supra se; ita ad humi„ litatem, quod homo se subjiciat secundum suam mensu„ ram ". 1. *Corint*. cap.7. v.22. omnes monet Apostolus servos Dei esse, sive sua conditione servi, sive liberi sint: „ Qui enim (inquit) in Domino vocatus est servus, liber„ tus est Domini; similiter qui liber vocatus est, servus est „ Christi ". Sequenti autem ver. ita statuit: " Pretio em„ pti estis, nolite fieri servi hominum "; hoc est redempti pretio sanguinis Christi non efficiamini servi hominum, ut eorum vos esse dicatis, & non Dei, quemadmodum illi faciebant, qui ajebant; ego sum Pauli: ego sum Apollo, sicuti in hac epistola cap.1. v.12. idem Apostolus tradit. Ceterum servitus, quam unus alteri ex sua conditione exhibere debet, vult Apostolus, ut exhibeatur; & hac de caussa dicit v.20. " Servus vocatus es? Non sit tibi curæ ".

& 24.

& 24. " Unusquisque, in quo vocatus est, fratres, in hoc „ permaneat apud Deum ". Servitutem ergo illam etiam in iis, qui sui natura servi sunt, exclusam vult Apostolus, qua custodiuntur mandata hominum, Dei vero negliguntur.

Propter Deum profecto humanæ creaturæ subjecti esse debemus, sicuti tradit S. Petrus, non vero propter ipsas, ita ut in eis subjectionis nostræ nunquam finem ultimum ponamus. Obedientiæ vero votum Deo fit, quum sit latriæ actus, eoque propter amorem Dei nostram alienæ voluntati subjicimus, ut & mortificationem in corpore nostro circumferamus, & interius hostiam Deo placentem sine intermissione offeramus. Nugari ergo Adversarios nostros, dum auctoritatem Divinarum Scripturarum nobis opponunt, nemo non videt.

§. XII. Dum contra consilium obedientiæ Adversarii nostri agunt, notionem ejus se assequutos non esse ostendunt.

„ Obedientia vero (ita in *Confessione Wirtembergica De* „ *Votis Monachorum*) aut refertur ad Deum; tunc non est „ arbitrarii voti, sed debitæ necessitatis, de qua obedien- „ tia dicitur: melior est obedientia, quam victimæ: aut re- „ fertur ad hominem; & tunc sunt sua obedientiæ officia, „ quæ subditus magistratui, liberi parentibus, servi domi- „ nis, discipuli præceptoribus debent. Hæc sive voveantur, „ sive non voveantur, certe divinitus exiguntur, sed hac „ conditione, ut semper Deo magis obediamus, quam ho- „ minibus. Vovere autem homini obedientiam sine certa „ vocatione Dei, ut operibus talis obedientiæ non solum „ Deo præstes singularem cultum, sed etiam expies coram „ Deo peccata tua, supervacaneum est, quia Christus dicit „ frustra se coli homanis traditionibus; & impium, quia „ solius Christi obedientia, quam præstitit Patri suo, ex- „ piavit peccata nostra " (1).

Obedientia igitur omnis ad Deum ultimo refertur: alia tamen est obedientia de iis, quæ sub præcepto, & alia de

(1) Vide *Corpus, & Syntagma Confessionum* Genevæ ann. 1654. editum.

de quibusdam, quæ sub consilio cadunt (1). Illa obedientia devinciuntur omnes, ista tantum qui volunt. Obedientia, quæ victimis præfertur 1. *Regum* cap. 15. v. 22. est prioris illius generis, sicut & ea, qua subditus magistratui, liberi parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus subjecti esse debent. Hac de obedientia nunc non loquimur, eaque toto cœlo ab altera obedientia differt, quæ est consilii. Nam ista complectitur, quæ ad salutem æternam non requiruntur, faciunt tamen, ut salutem æternam magis facile, atque expedite consequamur (2). Quæ sunt hujus generis supervacanea non sunt: nam nihil eo utilius excogitari potest, quod ad salutem æternam magis facile consequendam conducit. Quum vero Christus illam obedientiam suaserit, quæ res hujusmodi complectitur, quemadmodum jam ostendimus, ea ad humanas traditiones non sine aperta falsitate refertur. Christus Patri factus obediens usque ad mortem, sicuti *Philippens.* cap. 2. v. 8. dicitur, nos quidem a peccatis nostris redemit; verum dum ea, quæ sunt secundum virtutem, ex Dei amore facimus, redemptionis Christi participes evadimus. Qui vero suæ voluntati propter Deum omnino renunciant, sacrificium offerunt, quod illi non placere non potest, quia id ad Christi similitudinem faciunt, qui in hunc mundum venit, non ut suam, sed ut voluntatem Patris faceret, ac propterea hac etiam ratione redemptionis Christi participes evadunt.

CAPUT VI.

DE MERITO QUOD EST CONJUNCTUM CUM OBSERVATIONE CONSILIORUM EVANGELICORUM.

§. I. VEri meriti rationem inesse in bonis operibus, traditum habemus in Saeris Litteris.

In multis sane circa meritum Hæretici errant, si ad illud meritum attendatur, quod opera bona in se habent (3).

(1) Hujus cap. §. 5. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 2. (3) Vide inter alios Bellarminum *De Justificat.* lib. 5. cap. 1. & seqq.

De uno tantum nos contra illos modo disputabimus, hoc est de vera meriti ratione, quæ conjuncta est cum bonis operibus. Hoc enim satis esse putamus ad adstruendum quod nunc volumus. Semel ac enim constet, meritum conjungi cum bonis operibus, est inde sane consequens, meriti plenam esse observationem consiliorum Evangelicorum, quum eam uti rem perfectiorem Christus consuluerit, quemadmodum jam evicimus. Ita ergo fiet, ut ad ea, de quibus nunc agimus, nihil desiderandum supersit, & eos fines, quos nobis proposuimus, non prætergrediamur. Ne tamen nimis multum hac in re immoremur, auctoritate tantum Divinarum Scripturarum pugnabimus.

Meritum in Sacris Litteris bonis operibus tribuitur, eisque mercedem esse rependendam traditur. De priori ex illo *Ecclesiastici* cap.16. v.13. constat: " Omnis misericordia „ faciet locum unicuique secundum meritum operum suo„ rum "; & *Hebræor.* cap.13. v.16. " Beneficentiæ, & com„ munionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promere„ tur Deus ". De altero autem ex his aliis locis: *Genesis* cap.15. v.1. " Ego protector tuus sum, & merces tua ma„ gna nimis ". 11. *Paralip.* cap.15. v.7. " Vos ergo con„ fortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim „ merces operi vestro ". *Proverb.* cap.11. v.18. " Seminanti „ autem justitiam merces fidelis ". *Sapient.* cap. 5. v. 16. „ Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est „ merces eorum ". *Ecclesiast.* cap.18. v.22. " Ne verearis „ usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei ma„ net in æternum ". *Matt.* cap.5. v.12. " Gaudete, & exul„ tate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis ". 1. *Corint.* cap.3. v.8. " Unusquisque autem propriam mercedem „ accipiet secundum suum laborem ". Sicuti præmium, ita etiam merces præsupponit opus, cui retribuatur: at vero utrumque nostris bonis operibus esse retribuendum dicitur: nostra ergo bona opera præmio, atque mercede digna sunt: meritum ergo inest in nostris bonis operibus: nam præmio, & mercede digna esse non possent, si illa non mere-

mererentur. Hinc vero eſt, ut in Sacris eloquiis traditum habeamus, cœleſte præmium, futurum eſſe, ut detur hominibus juxta opera eorum. *Matt.* cap.16. v.27. " Filius „ enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum An„ gelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera„ ejus ". *Roman.* cap.2. v.5. & 6. " Theſaurizas tibi iram „ in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet „ unicuique ſecundum opera ejus ". 1. *Corint.* cap.3. v.8. „ Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecun„ dum ſuum laborem ".

Eſt illud quoque advertendum, ut alia nunc omittam, noſtris bonis operibus & juſtitiæ coronam retribuendam, & vitam æternam donandam. 11. *ad Timot.* cap.4. v.7. & 8. „ Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem „ ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam „ reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: Non ſo„ lum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus ". *Jacobi epiſt.* cap.1. v.12. " Beatus vir, qui ſuffert tentatio„ nem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam „ vitæ ". *Apocalyp.* cap.2. v.10. " Eſto fidelis uſque ad mor„ tem, & dabo tibi coronam vitæ ". Non minus autem corona juſtitiæ, quam vita æterna retribuenda dicitur noſtris bonis operibus. *Matt.* cap.19. v.29. " Omnis qui relique„ rit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut „ matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter no„ men meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſ„ ſidebit ". 1. *ad Timot.* cap.4. v.8. " Pietas autem ad omnia „ utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & „ futuræ ". Immo vero non ſolum vita æterna eſt retribuenda noſtris bonis operibus, ſed etiam ideo retribuenda, quia noſtra bona opera in cauſa ſunt, cur retribuatur. " Veni„ te (inquit Chriſtus *Matt.* cap.25. v.34. & ſeq.) benedi„ cti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſti„ tutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manduca„ re &c. " Ejuſdem cap. v.21. " Euge ſerve bone, & fi„ delis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te con-

„ ſtituam: intra in gaudium Domini tui". *Apocalyp.* cap.7. v.14. & ſeq. " Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione ma„ gna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſan„ guine agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei „ die, ac nocte". Quemadmodum autem in Sacris Litteris, & potiſſimum *Matt.* 25. cap. propter opera bona vitam æternam nobis retribuendam eſſe dicitur; ita etiam malis operibus tribuitur condemnatio ad gehennam ignis: peccato autem hæc condemnatio debetur: " Stipendia enim „ peccati mors " ſicuti habetur *Roman.* cap.6. v.23.: igitur etiam bonis operibus vita æterna debetur, illaque in cauſa ſunt, cur iſta nobis retribuatur. Hæc vero omnia ſimul unita adeo perſpicua ſunt, & in noſtris bonis operibus veram meriti rationem ineſſe tam evidenter demonſtrant, ut dum Adverſarii noſtri inanibus diſtinctiunculis ea eludere contendunt, non ſolum nihil proficiant, ſed etiam deſperatæ cauſæ patrocinium ſe ſuſcepiſſe, nullum dubitandi locum relinquant. Non eſt ergo, cur nos oleum operamque in iis diluendis modo perdamus: ſunt enim nullius momenti, & obvio ſenſui Divinarum Scripturarum aperte contraria, quemadmodum multi Polemici Theologi oſtenderunt.

§. II. Conſilium Evangelicæ paupertatis res eſt, quæ plurimum in ſe meriti continet.

Conſilia Evangelica hic nos in ſe ſpectamus, deque eorum meriti ratione diſſerimus, quatenus aliunde non impeditur, ne ſuum effectum conſequantur. Præcellentioris ergo virtutis eſt, voluntariam paupertatem vovere, quam ex iis, quæ poſſidentur, eleemoſynas erogare (1): ſed res eſt meriti plena erogare eleemoſynas: nam " Eleemoſyna „ (ſicuti habetur *Tobiæ* cap.12. v.9.) a morte liberat, & ipſa „ eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, „ & vitam æternam ": multo igitur magis conſilium Evangelicæ paupertatis res erit meriti plena. Voluntaria deinde paupertas & in ſe ſpectata ad perfectionem Evangelicam pertinet, & eam Chriſtus conſuluit, uti medium certum, quo per-

(1) Hujus lib. cap.3. §.3.

perfectio attingeretur (1): esse ergo non potest, quin plurimum in se meriti contineat.

§. III. Est idem dicendum de altero Evangelico consilio continentiæ.

Continentia ad comparandam perfectionem quam maxime conducit (2): media autem cum fine proportionem habent; alioquin ad consequutionem ejus accommodata non essent: quum igitur perfectio plenitudinem meriti in se contineat, etiam in continentia ratio meriti sit oportet. Deinde ea solum nobis Christus consuluisse potuit, quæ nos apud ipsum gratiores efficiunt, majorisque propterea meriti reddunt capaces: at vero Christus nobis continentiam suasit (1): continentia igitur res est, quæ nos apud Deum singularis meriti dignos facit.

§. IV. Etiam obedientiæ consilium Evangelicum merito plenum est.

Obedientia non solum est virtus singularis, sed etiam tanta est laus ejus, ut ceteras morales virtutes præcellat (4): si ergo moralium exercitatione virtutum meritum comparatur, etiam obedientia, & illud quidem præcellens, comparetur oportet. Christus deinde obedientiam suasit, uti certum medium ad perfectionem comparandam, eique singulare præmium in cœlo repositum esse dixit (5): fieri autem non potest ad perfectionem non conducere, quod Christus revera conducere affirmavit; & singularis meriti in se non habere rationem, quod singulari præmio coronandum est: si igitur & ad perfectionem, cum qua ipsa obedientia connexionem habet, & ad præmium ei repositum attendamus, nullus superest dubitandi locus, obedientiæ consilium Evangelicum merito plenum esse.

§. V. Voluntaria paupertas, quam, emisso voto, quispiam amplectitur, est quavis alia paupertate, meriti præcellentioris.

Coacta, atque invita paupertas tantum abest, ut in se

(1) Cit. cap. §. 5. & 7. (2) Hujus lib. cap. 4. §. 1. (3) Ejusdem cap. §. 5. (4) Hujus lib. cap. 5. §. 1. & 3. (5) Cit. cap. §. 6.

se meriti rationem contineat, ut ejus se esse expertes viri sancti deprecati fuerint, ne propter illam ad malum inducerentur (1). Paupertas, quam quispiam, licet a se non præelectam, æquo animo fert, suum quidem meritum habet, non tamen quemvis affectum ad bona temporalia, sicuti voluntaria paupertas (2), propter Christum excludit. Nam qui illi subjacet, ei sese neque sponte obnoxium fecit, neque eidem constrictum retinet. Illa quoque minus proprie dicta paupertas, quam sibi quisquam eligit, dum erogat eleemosynas ex his, quæ possidet, quamvis maxima laude digna sit; tamen quoad perfectionem meriti cum voluntaria paupertate comparari non potest (3): voluntaria ergo paupertas, quam, emisso voto, quispiam amplectitur, est meriti præcellentioris quavis alia paupertate. Est deinde meriti præcellentioris illa paupertas, quæ ad Evangelicam perfectionem ducit, quia Christi, & Sanctorum Apostolorum exemplum in se exprimit: hoc vero habet ea paupertas, de qua modo loquimur (4): est ergo meriti præstantioris.

§. VI. Qui, voti obligatione sibi imposita, continentiam servant, majorem copiam meriti sibi præ aliis comparant, qui ulla sine obligatione voti idem præstant.

Longe perfectius est ob votum servare continentiam, quam ulla sine obligatione voti; atque necessitas, quæ ex voto oritur, rationem meriti non solum non minuit, sed auget (5): qui igitur, voti obligatione sibi imposita, continentiam servant, majorem copiam meriti sibi præ aliis comparant, qui ulla sine obligatione voti idem præstant.

§. VII. Obedientia, qua quispiam, emisso voto, suæ voluntati omnino renunciat, & sub præceptione alterius secundum virtutem vivere profitetur, est meriti præstantioris alia quavis obedientia, excepto martyrio.

Qui huic sese obedientiæ ita submittunt, Evangelicum consilium perfecte sequuntur, atque hujusmodi vitam profiten-

(1) Hujus lib. cap.3. §.9. (2) Ejusdem cap. §.3. (3) Cit. loco. (4) Cit. cap. §.4. (5) Hujus lib. cap.5. §.8. & seqq.

fitentur, quæ est præstantissimi meriti (1). Id vero in se non habent diversa obedientiæ genera, quibus se quisquam subjectum faciat (2): obedientia igitur, de qua nos modo loquimur, est sane meriti præstantioris.

Ea tamen obedientia, qua Martyres se ipsos abnegantes usque ad contemptum vitæ præsentis, quam propter Christi amorem profuderunt, est sane huic obedientiæ præferenda. " Hoc autem (scilicet tollere crucem suam, & sequi „ Christum usque ad jacturam vitæ) ideo perfectissimum di„ cimus, (inquit S. Thomas *Opusculo* 17. cap. 10.) quia „ Martyres illud propter Deum contemnunt, scilicet pro„ priam vitam, propter quam omnia temporalia quærun„ tur; & ejus conservatio etiam cum omnium aliorum amis„ sione aliis omnibus præfertur. Magis enim homo vult & „ divitias perdere, & amicos, adhuc etiam corporis infir„ mitati succumbere, & in servitutem redigi, quam vita „ privari ".

§. VIII. Tota vitæ ratio illorum, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam simul vovent, si in se spectetur, est ex sui institutione præstantissimi meriti.

Qui voti obligatione sibi imposita, voluntariam paupertatem amplectuntur, perpetuæ continentiæ sese subjiciunt, & obedientiæ alterius suam voluntatem omnino submittunt, plus meriti sibi comparant, quam quisvis alius, qui non eadem ratione pauperes fiunt, continentiam servant, alteriusque præceptioni sese submittunt (3): oportet igitur, ut ex sui institutione sit præstantissimi meriti tota ratio vitæ illorum, in se quidem spectata, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam simul vovent.

§. IX. Religiosi recte dicuntur illi homines, qui triplex istud voti genus solemni professione emittunt.

„ Hoc etiam triplex votum congrue (inquit S. Tho„ mas *Opusculo* 17. cap. 11.) religioni adaptatur. Nam sicut „ dicit Augustinus 10. *De Civit. Dei*, *Religio non quemlibet*, *sed*.

(1) Hujus lib. cap. 5. §. 8. & seqq. (2) Ejusdem cap. §. 7.
(3) Hujus cap. §. 5. & seqq.

„ *sed Dei cultum significare videtur*. Unde & Tullius dicit „ in Rethorica, quod religio est *virtus*, *quæ cuidam superiori naturæ*, *quam Divinam vocant*, *cultum*, *cæremoniamque affert*. Cultus autem soli Deo debitus in sacrificii oblatione ostenditur. Offertur autem Deo sacrificium de exterioribus rebus, quando eas aliquis propter Deum largitur, secundum illud *Hebræor.* ult. 16. *Beneficentiæ*, *&* *communionis nolite oblivisci*: *talibus enim hostiis promeretur Deus*. Offertur etiam Deo sacrificium de proprio corpore, quando scilicet qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis, & concupiscentiis, ut dicit Apostolus *Galat.* 5. Unde & ipse dicit *Roman.* 12. 1. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, *sanctam*, *Deo placentem*. „ Est etiam sacrificium tertium Deo acceptissimum, quando „ aliquis spiritum suum offert Deo, secundum illud *Psalm.* „ 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* ". Hæc autem tria sacrificia, qui paupertatem, castitatem, & obedientiam vovent, cum majori præ aliis copia meriti (1), ac propterea perfectiori ratione, Deo offerunt. Nam pro Dei amore hujus vitæ divitiis, si quas habent, si vero non habent, eas obtinendi facultati, quoadusque vixerint, renunciant: ab omnibus carnis delectationibus, ut liberius contemplationi Divinorum vacare possint, sibi toto vitæ tempore interdicunt: suam tandem voluntatem in institutione certæ cujusdam vitæ, quæ occupatur in exercitatione virtutis, alterius voluntati omnino, atque perpetuo subjiciunt. Si ergo religio Dei quoque cultum significat, atque oblatione sacrificiorum hujusmodi cultus ipsi Deo defertur a nobis; qui hoc triplex sacrificiorum genus, de quo loquimur, Deo ulla sine intermissione ob votum semel factum offerunt, Religiosi recte dicuntur, & revera sunt.

§. X. Wicleffus pro suo more & Sacrarum Scripturarum auctoritatem contempsit, & luci ipsius rationis suos oculos clausit, dum affirmare ausus fuit: *damnatos esse*, *qui & instituerunt*, *& intraverunt Religiones* (2). Chri-

(1) Hujus cap. §. 5. & seqq. (2) Vide art. 22. & 44. in Constantiensi Concilio damnatos.

Christus voluntariam paupertatem, perpetuam continentiam, atque obedientiam consuluit (1): sine putidissima vero blasphemia dici non potest, Christum id consuluisse, quod ad damnationem ducit. Aliunde autem est illud quoque compertum, voluntariam paupertatem præstantiorem esse possessione divitiarum, remque præcellentiorem ab eo fieri, qui paupertatem vovet, quam ab altero, qui de suis divitiis eleemosynas erogat (2): item continentiam ad comparandam perfectionem quam maxime conducere, atque eam supra conjugium longe præcellere (3): tandem obedientiam esse singularem virtutem, quæ ceteris præstat moralibus virtutibus, atque obedientiæ consilium perfecte sequi ab iis, qui suæ voluntati omnino renunciant, & sub præceptione alterius vitam ducere vovent in exercitatione virtutum (4). Quid? Nonne tota ratio vitæ illorum, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam simul vovent, si in se spectetur, est ex sui institutione præstantissimi meriti (5)? " Sunt quidam, (inquit S. Gregorius Magnus *in Ezechiel.* lib. 2. *Homil.* 9. num. 16.) qui adhuc mente in
" hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant.
" Isti in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia &
" aliquid de actione sua Deo immolant, & aliquid sibi reservant. Et sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reservant,
" sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, Omnipotenti Domino immolant. Quid isti
" nisi holocaustum offerunt; immo magis holocaustum fiunt?
" Israeliticus enim populus primum sacrificium in Ægypto
" obtulit, secundum vero in eremo. Qui itaque adhuc
" mentem habet in seculo, sed boni jam aliquid operatur,
" Deo sacrificium obtulit in Ægypto. Qui vero præsens
" seculum deserit, & agit bona, quæ valet, quasi jam,
" Ægypto derelicta, sacrificium præbet in eremo: quia,
" repul-

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 7. & seq., cap. 4 §. 5., cap. 5. §. 6.
(2) Hujus lib. cap. 3. §. 2. & seqq. (3) Ejusdem lib. cap. 4. §. 1. & 4.
(4) Ejusdem lib. cap. 5. §. 1. 3. 8. (5) Hujus cap. §. 8.

„ repulſo carnalium deſideriorum ſtrepitu , in mentis ſuæ „ quiete atque ſolitudine Deo immolat quidquid operatur “. Hoc vero eſt, ad quod vita Religioſorum ex ſui inſtitutione tendit. At hac de re ſatis.

CAPUT VII.

DE EA RATIONE, QUA AD COMMUNE BONUM SE HABENT, QUI CONSILIA EVANGELICA SEQUUNTUR.

§. I. COmmunis boni notio evolvitur.

Quod in utilitatem omnium cedit, bonum commune dicitur. Illud vero non ſemper eſt unius ejuſdemque rationis: nam aliquando in utilitatem multorum cedit, ſi corporis potiſſimum præſentiſque vitæ, aliquando autem ſi animæ, atque futuræ vitæ ratio habeatur. Si primum contingat; commune quidem bonum datur, deterioris tamen conditionis: ſi alterum; & commune bonum datur, & conditionis longe præcellentioris. Nam anima eſt ſine dubitatione corpori præferenda; & felicitas vitæ futuræ, quæ nullum unquam finem habitura erit, felicitati vitæ præſentis. Ex quo ſane conſequitur, dum in ea rerum conditione verſamur, ut hæc duo bona ſimul haberi non poſſint, animæ vitæque futuræ bonum omnino præferendum ſit bono corporis, & vitæ præſentis; immo hoc ſemper diligentiſſime advertatur oportet, ne quod conferre videtur ad bonum corporis, & vitæ præſentis, bono animæ, atque futuræ vitæ aliquo detrimento eſſe poſſit. Hoc vero detrimentum procul dubio habetur, quando id, in quo bonum corporis, & vitæ præſentis quæritur, Divinis illis ſanctiſſimiſque inſtitutionibus aliquo modo adverſatur, quas in Evangelica Lege a Jeſu Chriſto traditas accepimus. Quamvis id nullus Chriſtianorum negare poſſit (1); tamen dum a multis de com-

(1) Neque etiam Deiſtæ id negare poſſunt, habita ratione eorum, quæ tum de futuræ vitæ ſtatu *Theol. Natural.* lib.3 qu.6. art.3., tum de Divina Revelatione, quæ in Novo Teſtamento continetur, deque divinitate, & ſanctitate Novæ Legis *Theolog. Revel.* lib.1. qu.1. & ſeqq. contra eos diſputavimus.

communi bono disputatur, ad nihil minus advertitur, quam ad Legem Evangelicam. Unde mirandum non est, si aliquando eo pertingant, ut se esse Christianos non cogitare videantur, ac propterea de communi bono hujusmodi canones constituant, qui conciliari cum iis nullo modo possunt, quæ Lex Evangelica complectitur.

Nos, ut hac in re majori qua fieri claritate potest, procedamus; statum eorum, qui paupertatem, continentiam, atque obedientiam vovent, habita ratione boni communis, quod ad corpus, & præsentem vitam refertur, primo expendemus; deinde vero habita ratione boni communis animæ, atque futuræ vitæ. Quia vero hoc bonum Religio ipsa complectitur; ideo de conformitate hujus status cum Religione ultimo loco nonnulla singillatim differemus.

§. II. Quod Christus consuluit, in commune bonum etiam vitæ præsentis non conducere non potest.

Legem Christi talem esse, ut ea communi bono vitæ quoque præsentis consultum non sit, nullus sane homo, quamvis sit ille impudentissimus, affirmare auserit. Mutua enim illa delectio, qua omnes inter se semper devictos Christus voluit; amor ille mutuus, quo sanxit, ut unusquisque cunctos complecteretur, quamvis nulla alia ratione sibi conjuncti forent, quam communi conditione unius ejusdemque naturæ; mutua illa benevolentia, qua voluit, ut illos quoque prosequeremur, qui nobis aliquid mali intulissent, sunt evidentissima argumenta, quæ neminem dubitare sinunt, sua lege Christum etiam communi bono vitæ præsentis consuluisse. Inde enim, quemadmodum omnium seculorum experientia novimus, contigit, ut commune bonum neglectum aliquando fuerit, quia quæ ad propriam, non vero quæ ad communem utilitatem spectant, homines curaverint, atque ejus obliti dilectionis, qua se invicem complecti debent, aliis velle, & facere omiserunt, quæ ab iisdem sibi quoque facta voluissent. Ne ergo dicamus: quod sane sine blasphemia affirmari non potest; Christum suis consiliis evertisse, quod præceptis Divinæ legis omnino firmavit, est illud

profecto affirmandum, quod nobis eum consuluisse novimus, in commune bonum quoque vitæ præsentis non conducere non posse.

§. III. Nomine tantum, non re, Christianus est ille dicendus, qui affirmare auserit, obesse communi bono vitæ præsentis, quod Christus consuluit.

Semel ac dicatur, Christum id consuluisse, quod obest communi bono vitæ præsentis, est illud quoque cum manifesta blasphemia affirmandum, Christum hujusmodi boni perversorem fuisse: dubitari enim non potest, quin commune bonum ab eo pervertatur, qui consulit, quod cedit in detrimentum ejus. Est autem Christiani hominis, sicuti nemo non novit, quæ Christus tradidit, uti sanctissima, & sapientissima suscipere, atque revereri, eaque non solum ad vitam æternam consequendam accommodata esse, firmissime tenere, sed etiam ad fovendum eum mutuum communem amorem, atque dilectionem, qua nunc se homines complecti invicem debent. Dum vero commune bonum læditur, quin etiam amor, & charitas communis lædatur, fieri non potest. Nomine ergo tantum, non re, Christianus est ille dicendus, qui affirmare audet, obesse communi bono vitæ præsentis, quod Christus consuluit.

§. IV. Qui ergo sentit consilia Evangelica communi bono vitæ præsentis adversari, id profecto sentit, quod ne dubitando quidem in mentem viri Christiani cadere potest.

Christus consiliorum Evangelicorum auctor nobis fuit (1): quod Christus consuluit in commune bonum etiam vitæ præsentis non conducere non potest, atque nomine tantum, non re, est Christianus dicendus, qui affirmare audet obesse communi bono vitæ præsentis,quod Christus consuluit (2): qui igitur sentit, consilia Evangelica adversari communi bono vitæ præsentis, id sentit, quod ne dubitando quidem in mentem viri Christiani cadere potest.

§. V. Si paupertatis Evangelicum consilium in se spectemus,

(1) Hujus lib. cap.3. §.7., cap.4. §.5., cap.5. §.6.
(2) Hujus cap. duobus superioribus §§.

mus, nihil in eo a quoquam deprehendi poteſt, quod communi bono vitæ præſentis adverſetur.

Qui paupertatem vovent, vel poſſident opes, vel nullo modo poſſident: ſi poſſideant; ſuis eas dimittunt: ſi autem non poſſideant; quæ ſibi comparare poſſent, ſinunt, ut in aliorum poteſtatem veniant, atque tum iſti, tum illi ſuæ vitæ ſuſtentationem in iis reponunt, quæ pietate fidelium in talem uſum ſponte oblata ſunt, vel offeruntur. Quare ſi communi hujus vitæ bono non obſtat, ut aliqui ſint, qui in utilitatem præſertim conſanguineorum ſua dimittant, cuivis facultati comparandi ſingulariter bona temporalia renuncient, eorumque liberam acquiſitionem aliis relinquant; aliunde autem hi ſobriam vitam ducere inſtituant, atque iis rebus ad ſuſtentationem neceſſariis contenti ſint, quas vel jam a Deo ſibi proviſas habent, vel a pietate fidelium, qui omnia eos propter Deum reliquiſſe animadvertunt, expectare poſſunt; neque etiam communi bono vitæ obſtare debet, ut ſint aliqui, qui paupertatem voveant. Dum enim quis ſua, de quibus æquo jure diſponere poteſt, aliis dimittit, vel omni juri cedit, quo bona temporalia acquirere poterat, non ſolum nemini nocet, ſed ſine injuria aliorum pluribus prodeſt. Quid? Anne communi bono familiarum perniciosum eſt, ut illi inopiæ rei familiaris, in qua pleræque earum ſæpe verſantur, hac ratione provideatur, atque ita apud unum, vel duos integrum maneat, quod in plures diviſum ſi eſſet, eorum nemini ſufficeret? Anne reipublicæ nocet, ut in ea ſint, qui ab omni rerum terrenarum cupiditate animum omnino alienum habeant, aliiſque illud etiam jus dimittant, quod in hujus mundi bona habere poſſent? Anne eſt, cur quiſpiam inde offendatur, quod nonnulli ſine injuria ullius dent ſuis quidquid habent, & ſine detrimento aliorum quævis bona temporalia comparandi ſibi poteſtatem adimant? Talis ergo in ſe eſt voluntaria paupertas, ut nihil in ea a quoquam deprehendi poſſit, quod hujus vitæ communi bono adverſetur.

§. VI.

§. VI. Est idem dicendum de continentiæ consilio.

Tunc aliquid communi bono vitæ præsentis detrahitur, quando quispiam non reddit, quod communi societati hominum debet. Verum ex eo quod aliquis continentiam voveat, nihil illorum, quæ a se debentur, subtrahit communi societati. Quandoquidem non omnes singula curare debent, quæ ad conservationem, atque utilitatem humanæ societatis requiruntur, indeque est, ut in recte constituta societate officia inter multos divisa esse debeant. Necesse est profecto ad conservationem, & utilitatem humanæ societatis, ut sint qui militiæ dent operam, qui terram colant, qui mercaturam faciant, artes mechanicas exerceant, liberalibus incumbant, varia reipublicæ munera intus, & foris sustineant; at vero anne fortasse requiritur, ut ad aliquod determinatum opus, aut munus, licet illud ad reipublicæ conservationem necessarium sit, singuli animum adjiciant? Singuli ne fortasse oportet, ut agricolæ sint, aut mercatores, artibus mechanicis, aut liberalibus dent operam, reipublicæ negotia procurent? Negari ergo a nemine potest, non omnes singulis mediis incumbere debere, quæ ad conservationem societatis necessaria sunt. Quum ergo dare operam procreationi filiorum uniuscujusque individui non sit, aut esse debeat (1), inde consequitur, eos, qui continentiam vovent, nullum communi societati detrimentum afferre, ac propterea continentiæ consilium non obesse communi bono vitæ præsentis. " Considerandum
„ enim est (inquit S. Thomas lib.3. *cont. Gent.* cap.136.)
„ quod alia ratio est habenda in his, quæ ad necessitatem
„ uniuscujusque hominis pertinent, atque alia in his, quæ
„ pertinent ad multitudinis necessitatem. In his quidem,
„ quæ ad uniuscujusque necessitatem pertinent, oportet,
„ quod cuilibet provideatur: hujusmodi autem sunt cibi,
„ & potus, & alia, quæ ad sustentationem individui perti-
„ nent: unde necessarium est, quod quilibet cibo, & po-
„ tu utatur. In his autem, quæ necessaria sunt multitudini,
non

(1) Lib. 4. cap. 4. §. 15.

„ non oportet, quod cuilibet de multitudine attribuatur, „ neque etiam eſt poſſibile. Patet enim multa eſſe neceſ- „ ſaria multitudini hominum, ut ſunt, cibus, potus, in- „ dumentum, domus, & alia hujuſmodi, quæ impoſſibile „ eſt, quod per unum procurentur: & ideo diverſorum „ oportet eſſe diverſa officia, ſicut etiam in corpore diver- „ ſa membra ad diverſos actus ordinantur. Quia igitur ge- „ neratio non eſt de neceſſitate individui, ſed de neceſſi- „ tate totius ſpeciei, non eſt neceſſarium, quod omnes ho- „ mines actibus generationis vacent; ſed quidam ab his „ actibus abſtinentes aliis officiis mancipentur, puta mili- „ tiæ, vel contemplationi".

§. VII. Non obſtat communi bono vitæ præſentis, quod aliqui obedientiam voveant uni alicui præſtandam in exercitatione virtutum.

Communi bono hujus vitæ non obſtat, eſſe aliquas in republica ſingulares ſocietates, in quibus plures ſimul uniti homines præceptioni unius quoad ea ſeſe ſubjiciant, quæ ad ſe ipſos quovis modo perficiendos conducunt. Hac enim ratione fit, ut pueri tum in moribus, tum in litteris recte inſtituantur; ut artium liberalium ſtudium promoveatur; mechanicæ artes excolantur; ſervetur diſciplina militaris; plurimorum hominum ſimul in unam eamdemque rem reipublicæ perutilem conſpirantium rectus ordo, atque concordia, conſtituatur, foveatur, & perſeveret. Qui autem obedientiam vovent, in ſingulares ſocietates ſeſe recipiunt, in quibus præceptioni alterius, ad virtutem excolendam ſubduntur. Sicuti ergo communi bono vitæ præſentis non obſtat, ut nonnulli ſingularibus ſocietatibus ſeſe adſcribant, in quibus uni alicui ſubjecti dent operam iis, quæ ſibi, & reipublicæ expediunt; multo minus obſtare debet, quoſdam vovere ſuam vitam ducere in hujuſmodi ſocietatibus, in quibus ſub præceptione alterius ſeſe exerceant in operibus, quæ ſunt ſecundum virtutem: niſi quiſquam adeo fuerit inſipiens, ut affirmare auſit, communi bono vitæ præſentis opponi, ut ſint aliqui, qui ex ſua inſtitutione vitæ vir-

virtutem sibi singulariter colendam proponant. Quod ergo de duobus aliis consiliis tulimus, est etiam de consilio obedientiæ ferendum judicium, hoc est, non obesse communi bono vitæ præsentis, ut aliqui obedientiam voveant uni alicui præstandam in exercitatione virtutum.

§. VIII. Communi bono vitæ præsentis nullo modo adversatur, ut sint qui tria Evangelica consilia, voti religione sibi imposita, sequantur.

Ea est natura, atque conditio horum trium consiliorum, si ea in se spectemus, ut nihil in illis a quoquam deprehendi possit, quod communi bono opponatur (1): quum igitur, uti ex se manifestum est, suam naturam, atque conditionem non amittant, dum in uno aliquo simul uniuntur; est inde sane consequens, communi bono vitæ præsentis non obesse, ut sint, qui tria Evangelica consilia sequantur.

Multo vero minus obest, ut ea sequantur, religione voti sibi imposita. Nam quod aliquid perfectiori ratione fiat, communi bono obesse non potest. At vero qui Evangelica consilia, voti religione sibi imposita, sequuntur, perfectiori ratione sequuntur. Nam, sicuti inquit S. Thomas *Opusculo* 17. cap. 12. « Ad laudem boni operis pertinet, quod voluntas firmetur in bono, sicut ad aggravationem culpæ „ pertinet, quod voluntas sit obstinata in malo. Manifestum „ est autem, quod qui aliquid vovet, voluntatem suam firmat ad id, quod vovet; & sic quum implet, quod voverat, opus bonum ex voluntate firmata procedit ... Item. „ Quanto aliquis actus ab excellentiori virtute progreditur, „ tanto laudabilior est; quum tota laus operis ex virtute „ procedat. Contingit autem quandoque actum inferioris „ virtutis a superiori virtute imperari, puta quum aliquis „ actum justitiæ ex charitate facit. Multo igitur melius est „ opus inferioris virtutis facere ex imperio superioris virtutis; sicut melius est opus justitiæ, si ex charitate fiat. „ Manifestum est autem, quod particularia bona opera, quæ „ faci-

(1) Hujus cap. §. 5. & seqq.

„ facimus, pertinent ad aliquas inferiores virtutes; puta „ jejunare ad abstinentiam, continere ad castitatem, & sic „ de aliis. Vovere autem est proprius latriæ actus: quam „ nulli dubium esse debet, esse potiorem vel abstinentia, „ vel castitate, vel quacumque alia hujusmodi virtute: ma„ jus est enim colere Deum, quam recte se habere erga „ proximum, aut erga se ipsum. Opus igitur abstinentiæ, „ vel castitatis, vel cujuscumque talium virtutum, quæ sunt „ infra latriam, laudabilius est, si ex voto fiat “.

§. IX. Tum corporis, tum animæ, tum præsentis, tum futuræ vitæ communi bono conducit, esse in Republica societates hominum, in quibus paupertas, continentia, & obedientia voveatur.

Ad commune bonum animæ & corporis, vitæ præsentis atque futuræ valde conferre, in Republica esse aliquos, quorum sit singulari ratione secundum virtutem agere, atque in iis potissimum ceteris omnibus suo exemplo prælucere, in quibus humana fragilitas sæpe, ac facile labitur, nullus sane negaverit. Hoc vero est, quod habetur ab illis, qui in singulares coacti societates, paupertatem, castitatem, atque obedientiam vovent. Isti enim dum renuntiant iis, quæ habent, aut habere possunt, ut magis expedite Divino cultui vacent, quo in pretio hujus vitæ bona habenda sint, quamque ea impediant Divinum cultum, saltem diligentiorem, omnibus suo exemplo præseferunt. Ut autem mentem ad contemplationem Divinorum magis solutam habeant, voto continentiæ ab eo omni genere delectationum abstinendum sibi proponunt, quæ sensum vividiori ratione præ omnibus aliis demulcent. Quo sane & quanta sit vis rationis supra sensus, & quomodo etiam intensiores appetitus sensus ab ea regi, & comprimi possint, suo omnibus experimento comprobant. Obedientiæ demum voto edocent omnes, non difficile esse, propriæ voluntati resistere, atque eam alienæ quoad illa subjicere, quæ si fiant, & meliora sunt, & ad Dei majorem cultum honoremque conducunt. Hæc

autem si non sunt exempla virtutum, non video, quænam tandem alia esse possint.

Sunt etiam exempla virtutum ejus potissimum generis, quo humana fragilitas quam maxime indiget. Quandoquidem quanta sit plerumque in omnibus divitiarum inordinata cupiditas, quotve ob eam scelera omni tempore commissa sint, ac etiam quotidie committantur, neminem latet. Animalis vero libidinis æstus quam multa mala in societatem hominum, ipsique societati omnino opposita inducat, semperque induxerit, quis unquam commemorare potest? Hinc discordiæ civium, atque familiarum multarum etiam deploranda pernicies: hinc sæpe filiorum, qui generantur, multæ variæque infirmitates, & ærumnosa vita: hinc robustorum etiam juvenum plures infirmitates, & desperata salus: hinc multorum, qui nascuntur, misera conditio: hinc demum mentis obtusitas, & imbecillitas, neglectus, & dissipatio rei familiaris, ad publica munera incapacitas, aliorumque sexcentorum malorum fœcundissima proles. Tandem quæ detrimenta in humanum genus proficiscantur, quia sæpe homines suum, prout deberent, alterius voluntati non subjiciunt arbitrium, quis unquam satis enarraverit? Suam ex hoc capite originem ducit puerorum improbitas, perversitas juvenum, nuptarum mulierum pervicacia, petulantia servorum, seditiones civium, ac fractio ejus fidei, quam unusquisque erga eum servare debet, qui æquo jure sibi præest. Contra tanta itaque mala, esse ob omnium oculos posita contraria præclarissima exempla virtutum, qualia ex sui conditione status ab his exhibentur, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, anne humanæ societati omni ex parte utile, atque salutare non erit? Ad bonum ergo commune corporis & animæ, vitæ præsentis & futuræ, valde conducit, esse in Republica societates, in quibus paupertas, continentia, & obedientia ab hominibus voveatur.

§. X. Quæ nunc quoque sunt utiliora nobis, in commune

mune bonum facilius præſtari poſſunt ab iis, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, quam ab aliis.

Præ ceteris, quæ ad commune bonum conducunt, illa utiliora dici debent, quæ ad excolendum animum comparata ſunt. Excolitur autem animus recta cognitione tum illarum ſcientiarum, quæ res Divinas, atque naturales attingunt, tum aliarum, quæ circa morum directionem verſantur. Solitudinem, quietem, ſobrietatem, vitamque expertem tum venereæ delectationis, tum illarum multarum curarum, quæ ſingularis poſſeſſio bonorum exteriorum, uxor, filii, familia ſecum neceſſario ferunt, tum etiam variarum ſollicitudinum, quibus quoad ea ſæpe angimur, quæ agere debemus, quam maxime conferre ad ſcientias perdiſcendas, aliosque etiam in iiſdem inſtituendos, compertum eſt omnibus. Profecto qui paupertatem, continentiam, atque obedientiam vovent, ex ſua inſtitutione vitæ ſolitudinem, & quietem habent, ſobrietati ſtudent, carnis illecebris non indulgent, ejus curæ ſunt expertes, quæ cum ſingulari poſſeſſione bonorum, cum uxore, filiis, & familia neceſſario conjungitur, atque etiam de iis, quæ a ſe agenda ſunt, non oportet, ut aliquam ſollicitudinem habeant: ſunt ergo præ aliis magis diſpoſiti ad ſcientias perdiſcendas, deque iis in utilitatem quoque aliorum diſputandum, atque ſcribendum. Quum igitur inter cetera, quæ ad commune bonum conducunt, illa utiliora ſint, quibus excolitur animus, atque idem ipſe animus ſcientiarum cognitione potiſſimum excolatur; ſemel ac ad iſtas perdiſcendas, atque etiam alios in iiſdem imbuendos, ſint ex ſua inſtitutione vitæ magis diſpoſiti, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent; eſt profecto dicendum ea, quæ nunc quoque ſunt utiliora nobis, facilius ab iſtis, quam ab aliis, in commune bonum præſtari poſſe. Hoc vero eſt, quod longa experientia temporum ſuadet, ſi ad eam attendamus. Nam, ſi quæ debet, proportio ſervetur; Evangelicorum conſiliorum ſectatores, quamvis occupati in aliis, quæ ad

salutem animarum potissimum spectant, præ ceteris scientiarum fuisse cultores, inque eis tradendis plurimum semper adlaborasse, & antiquorum opera, quæ supersunt, & recentiorum, quæ sine interruptione eduntur, neminem dubitare sinunt. Hoc autem de iis potissimum scientiis intelligi volumus, quæ magis accomodatæ sunt professioni vitæ, quam sequuntur, quamvis etiam in aliis, studium, & labor eorum omnino desiderari non possit.

§. XI. Eorum vitæ institutio, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, tota comparata est ad curandum commune bonum ordinis præstantioris.

Commune bonum, quod ad corporis vitæque præsentis utilitatem refertur, inferioris ordinis præ illo bono esse, quod in commodum animæ, ac vitæ futuræ cedit, jam monuimus (1), & nemo non consentire non potest. Hujus vero generis illud bonum esse contendimus, ad quod potissimum vita eorum comparata est, qui paupertatem, castitatem, & obedientiam vovent. Non solum enim eorum proprium est in suis apud Deum precibus, quas diu noctuque fundunt, una cum sua, aliorum quoque salutem æternam petere, eaque auxilia postulare, quibus illa obtinetur; sed etiam quæ nunc ab uno præstari erga alterum possunt ad vitam ejus secundum virtutem informandam, ipsi præstant præ ceteris. Nam singulariter in eo suam operam ponunt, semperque posuerunt, ut qui male egerunt, resipiscerent; in bono confirmarentur, qui nondum in illo confirmati essent, atque ad currendum in via Dei magis magisque excitarentur, quid id jam facere instituissent. Hinc videmus, sanctissimos viros, quibus aliorum bonum animæ, atque vitæ futuræ adeo cordi erat, ut ejus amore deperirent, quique propterea nihil aliud in hac vita quæsiverunt, quam ut suos fratres Christo lucrarentur, id consilii ad rem istam perficiendam cœpisse, ut eos, qui se Deo devovere vellent, in singulares a se institutas societates reciperent, eo fine ut in istis non minus ceterorum, quam suo

(1) Hujus cap. §. 1.

suo potissimum spirituali procurando bono toti intenti essent, ac diligenter incumberent. Rem istam quidam sanctissimi viri a primis Ecclesiæ seculis feliciter aggressi fuere; ejus deinde utilitatem pervidentes alii, atque alii prosequuti sunt, & omnes ducti eo desiderio spiritualis salutis aliorum, quo flagrabant, in id semper subtilius, atque magis præcipue intenderunt, ut qui in suam societatem cooptandi essent, ex ipsius institutione societatis ad aliquod singulare commune bonum, quod ad animam futuramque vitam spectaret, tendere, atque adlaborare deberent. Est ergo manifestum institutionem vitæ illorum, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, totam comparatam esse ad curandum commune bonum ordinis præstantioris.

§. XII. Illos obesse communi bono, qui in quibusdam simul uniti societatibus paupertatem, castitatem, & obedientiam vovent, nonnulli nostris quoque temporibus irrito sane conatu contenderunt.

Hæc præcipua sunt, quæ in medium adducunt, ut suadeant, quod vellent: 1. eos, quia tria Evangelica consilia profitentur, ita nunc vivere, ut reipublicæ non solum non prosint, sed noceant: 2. quod vitæ genus profitentur, adversari reipublicæ bono, tum quia sustinendi reipublicæ munera sunt incapaces, tum quia major, quæ haberi posset, multiplicatio civium per eos impeditur, tum quia artibus mechanicis, atque liberalibus, aliisque sane multis, quibus commune bonum valde promovetur, nullam dant operam: 3. numerum illorum plus æquo excrevisse, indeque fieri, ut respublica multorum opera, quæ sibi valde salutaris esse potest, destituatur: 4. vel propria bona possideri ab hujusmodi societatibus, vel nulla possideri: si prius habeatur; in detrimentum civium illud cadere, quia inde fit, ut cives non solum multis prædiis, aliisque hujusmodi bonis priventur, sed etiam ne sperare quidem possint, aliquando futurum, ut sua pecunia in eorum possessionem veniant: si autem nulla bona possident; tunc quidem sunt oneri civibus, & quidem cum singulari gravamine aliquorum.

Sunt

Sunt quidem oneri civibus, quatenus præter omnem necessitatem illorum opibus alendi sunt: gravamen vero afferunt pauperibus, qui aliunde, quam ex eleemosyna, vivere non possunt: nam ob multitudinem hujusmodi hominum fit, ut multum de iis subtrahatur, quibus subveniretur pauperibus.

Belle sane omnia, & acutius excogitata, quæ tamen revera in se talia sunt, ut nihil in se vis ad convincendum habeant. Quandoquidem quod Christus consuluit, in verum commune bonum etiam vitæ præsentis non conducere non potest, ac propterea id obesse communi bono, qui affirmaverit, nomine tantum, non re, Christianus dicendus est, quum illud sentiat, quod ne dubitando quidem in mentem viri Christiani cadere debet (1). Si qui autem Evangelica consilia ob eam vitæ institutionem, quam amplexi fuerunt, perfecte sequi sibi constituere, maxime ii sunt, qui in singulares coacti societates paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent. Nam præcellentioris virtutis est, voluntariam paupertatem vovere, quam erogare eleemosynas ex his, quæ possidentur, atque ipsa voluntaria paupertas ad perfectionem Evangelicam spectat (2). Longe quoque perfectius est ob votum servare continentiam, quam ulla sine obligatione voti; illaque necessitas, quæ ex voto oritur, meriti rationem auget (3). Qui rursus suæ voluntati omnino renunciant, ac sub obedientia alterius vitam suam ducere vovent, obedientiæ consilium perfecte sequuntur; & plurimum inde meriti sibi apud Deum comparant (4). Ex quibus sane consequitur, ut si unquam Evangelica consilia tamquam noxia communi bono reprehendantur; tunc sane id fiat, dum eos, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam in singulares coacti societates vovent, communi bono adversari affirmatur. At singula, quæ opponuntur, expendamus.

Qui

(1) Hujus cap. §. 2. & seqq. (2) Hujus lib. cap. 3. §. 3. & seq.
(3) Ejusdem lib. cap. 4. §. 6. & seq. (4) Ejusdem lib. cap. 5. §. 8. & 10.

Qui (inquiunt) paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, secundum suam institutionem ita non vivunt, ut communi bono adjumento sint, sed talem vitam ducunt, ut ei detrimentum afferant. Hoc si intelligant de tota multitudine; vel de majori ejus parte, aut etiam de multis, reliquorum, qui contra agunt, habita ratione, profecto mentiuntur. Fuisse ergo, atque etiam nunc esse aliquos in hujusmodi societatibus, qui non vivant, prout ex sui instituti ratione deberent, ac propterea communi bono eam utilitatem non afferant, quam si suo muneri non deessent, proculdubio afferrent, & nos fatemur: immo & illud quoque damus, esse nonnullos, sed tamen si ad reliquos omnes attendatur, paucissimos, qui sua agendi ratione communi bono detrimentum aliquod afferant, quia sua perversitate ad ea quoque agenda perveniunt, quæ communi bono nocent. At vero illud primo adverto, quod nemo mihi non concedere debet, existimandum non esse, aliquam societatem, de quavis tandem earum loquamur, quæ diversi generis in republica sunt, eidem reipublicæ non prodesse, quia in illa aliqui sint, qui communi bono, quam possent, atque deberent, utilitatem non afferant, aut detrimentum aliquod inferant. De hominum societatibus nunc agimus, non vero Angelorum. Nam quamvis societates sint recte institutæ, licet sapientissimis sint communitæ regulis, firmatæ præceptis; tamen qui iisdem adscribuntur, sunt semper homines, hoc est obnoxii prævaricationi, & cujusvis rei patrandæ capaces. Unde mirandum non est, si aliquando contingat, ut quidam non impleant, quod deberent juxta præscripta societatis, cui uniuntur, & eo etiam quandoque pertingant, ut communi bono detrimento sint. Quapropter vel omnes hominum societates, quamvis ex iis plurimum utilitatis in commune bonum profluat, semperque profluxerit, uti inutiles, aut etiam perniciosæ haberi debent; aut dicendum est: quod sane ab omnibus recta ratione præditis dici debet; societates non desinere esse utiles communi bono, quamvis in eis aliqui sint, qui vel nullum communi bono

bono adjumentum afferant, vel etiam detrimento ſint; alioquin uti communi bono perniciosæ illæ omnes ſocietates hominum haberi deberent, ex quibus reſpublica pluribus commodis ſemper aucta fuit. Id quoque deinde advertatur oportet, eos, qui paupertatis, continentiæ, & obedientiæ voto obſtricti, & in ſingulares coacti ſocietates, in quibus multa ſecundum virtutem ſervanda præcipiuntur, non agunt, prout ex ſuæ vitæ ratione deberent, ſuaque opera communi bono vel non proſunt, vel etiam nocent, longe deterius acturos fuiſſe, ſi in ſeculo manſiſſent, valde probabiliter conjici poſſe. Nam quamvis abſolute non repugnet, ut longe alii extitiſſent, ſi hujuſmodi vitæ ſtatum amplexi non eſſent; quum tamen talis ſit ſtatus iſte, quem vovendo profeſſi ſunt, ut ex ſui natura non ſolum a malo avocet homines, ſed etiam ad virtutem accendat, amoremque verum & perfectum in eis excitet tum erga Deum, tum erga homines; inde conjici æquo jure poſſe videtur, hiſce ad virtutem ſubſidiis ſibi ſublatis, futurum fuiſſe, ut in deteriora ruerent.

Rem iſtam noſtram adhuc diligentius, & magis diſtincte expendamus. Iis ergo de ſocietatibus nunc loquimur, in quas homines ſimul convenientes obſervatione trium Evangelicorum conſiliorum ſeſe obſtringunt, vitamque ſuam ſub regimine alterius degere profitentur juxta ſingularem inſtitutionem, quæ judicio Apoſtolicæ Sedis probata ſit. In hujuſmodi ergo ſocietatibus quamvis nonnulli quandoque habeantur, qui omnino diverſa ratione agant, ac deberent propter illud vitæ genus, quod ſemel amplexi fuere; tamen quidam perfectiſſime, alii magis, vel minus perfecte, multi eo quidem modo bene agunt, qui a multitudine expectari poteſt. Hac de re conſtat, ſi ad eorum munera attendamus, quibus per ſingulos dies occupati detinentur, ad ſobrietatem victus, vigilias noctis, quas vel in ſtudio litterarum, vel in Divini officii perſolutione agunt, ad fugam a ſeculi illecebris, atque iis omnibus oblectationibus, quæ deprimunt ipſam naturam hominis, ac tandem, ne
ſin-

ſingula percenſeamus, ad ſingulares obligationes attendamus, quibus nemo ſane illorum omnino deeſſe poteſt. His accedit, in hujuſmodi ſocietatibus non ſolum agi nihil, quod communi bono ne leviſſime quidem, aut apparenter, opponi poſſit (1), ſed etiam eas in republica eſſe, ad commune bonum tum corporis, tum animæ, tum præſentis, tum futuræ vitæ valde conducere, quæque nunc quoque ſunt utiliora hominibus, atque ordinis excellentioris, ab illis in publicam utilitatem facile præſtari poſſe (2). Quapropter ſi quando unquam omnino præter rationem de alicujus ſocietatis inutilitate pronunciatur, quia aliqui in ea adinveniuntur, qui ſuo muneri deſunt; id potiſſimum contingit, dum inutilitas illarum ſocietatum, in quibus ſimul uniti homines tria Evangelica conſilia profitentur, inde extollitur, quia in iis quoque nonnulli reperiantur, qui non proſint communi bono, prout ex ſui inſtituti ratione deberent.

Non omnes omnia reipublicæ debent; immo neceſſarium eſt, ut ſinguli non omnia curanda ſuſcipiant, alioquin magna confuſio, atque perturbatio oriretur. Hac de re hujus cap. §.6. egimus, in quo oſtendimus, aliam habendam eſſe rationem de iis, quæ uniuſcujuſque neceſſitas poſtulat, & aliam de ceteris, quæ multitudinis neceſſitas exigit: illa curari a ſingulis debent, non vero iſta, ſed munera iſtorum inter cives partita ſint oportet: neque dicendum eſt, hanc, vel illam ſocietatem civium reipublicæ utilem non eſſe, quia iſtis, & non aliis reipublicæ negotiis incumbit. Illud ſane, ſi ſocietatum ratio habeatur, advertendum eſt, ut eas ceteris præferamus, quæ ad commune bonum magis conferunt. Id autem habemus in iis ſocietatibus, de quibus modo agimus. Nam hujuſmodi ſocietates in republica eſſe, plurimum conducit ad omnium commune bonum tum corporis, tum animæ, tum præſentis, tum futuræ vitæ; aliunde vero ex ſui inſtitutione ita comparatæ ſunt, ut & ad utiliora procuranda, & ad promovendum bonum præſtan-

(1) Hujus cap. §.4. (2) Ejuſdem cap. §.9. & ſeqq.

tioris ordinis aptiores sint (1). Non ergo, ficuti oftentant, utilitate boni communis ii ducuntur, qui inutilitatem hujusmodi societatum suadere contendunt, sed quadam aversione ab ipso ecclesiastico ordine, ne quid gravius dicamus.

Nimia autem, quam par est, multitudine hominum, qui in aliquam societatem convenerint, fieri posse, ut ejusdem societatis utilitas minuatur, & nos quoque fatemur. Verum quandonam tandem fit, ut propter multitudinem bonum societatis minuatur? Tunc profecto quando ob eam ordo societatis invertitur, institutio mutatur, confusio inducitur, atque fit, ne ipsa membra suo quæque munere fungi possint. Nihil vero tale habetur, semel ac plures in eas societates sese recipiant, de quibus modo agimus. Nam neque earum ordo perturbatur, neque propria institutio tollitur, neque locus confusioni datur, neque impeditur, ne suo quisque munere fungi possit, sed quævis tandem hominum in iisdem consociatorum multitudo habeatur, ea sane ita disponitur, ut sint, qui præsint, atque recto ordini juxta institutionem ipsius societatis advigilent, ceteri vero obtemperent, & quod sibi mandatum fuerit, exequantur. Et re quidem vera inde potissimum accidit, ut ob nimiam multitudinem societates hominum id boni, quod in se habent, amittant, quia ipsa multitudo ad illud conducere videtur, ut aliqui, si velint, a subjectione illorum, qui præsunt, sese facile subtrahere possint. Hoc autem est minus timendum in nostris societatibus, quam in quibuscumque aliis. Homines enim in illis, non vulgari, sed singulari ratione, & ea quidem, qua nulla alia sanctior esse potest, sese devinciunt, atque suæ voluntati omnino renunciant, ut alienæ obtemperent, in iis etiam, quæ sunt minutiora.

At vero tunc sane est, ut de nimia multitudine hominum cujusdam societatis quispiam queratur, quando vel ipsa societas instituta sit ad id, quod bono communi non valde prodest, aut quando ad illud bonum, propter quod insti-

(1) Loco citato.

instituta est, multorum cooperatio nec requiritur, nec est necessaria. Verum nihil horum de nostris societatibus dici potest. Nam (hoc idem enim sæpe non urgere non possumus) tum corporis, tum animæ, tum præsentis, tum futuræ vitæ communi bono prodest, eas in republica esse societates, a quibus utiliora in commune bonum facilius præstari possint, earumque institutio tota comparata sit ad curandum commune bonum præstantioris ordinis. Eodem autem fine, quo expedit esse in republica hujusmodi societates, eademque ratione boni, quam sibi propositam habent, quam maxime quoque conducit, ut plures in eas consocientur, atque ita ex sua institutione vitæ multorum fit, ad ea tendere, quæ sunt utiliora communi bono, & ei quidem ordinis præstantioris.

Tandem anne Christus quibusdam tantum, & non aliis, sua consilia sequenda proposuit? anne numerum illorum constituit, atque determinavit, qui sua consilia amplecterentur? Profecto quod juveni, uti *Matt.* cap. 19. v. 21. legitur, consilii dedit, ut venderet omnia, pretium eorum pauperibus distribueret, atque ipsum sequeretur; in quibus sane paupertatis, & obedientiæ consilium continentur (1), omnibus dedit (2). Dum vero Christus illos eunuchos, qui seipsos castraverant propter regnum cœlorum, ceteris idem non facientibus *Matt.* cap. 19. prætulit, dixit quidem ab omnibus non intelligi verbum istud, sed ab iis tantum, quibus datum est: tamen ab imitatione eunuchorum neminem exclusit. Quin immo Apostolus 1. *Corinth.* cap. 7. non nuptas, viduasque indiscriminatim monet, ut in eo statu permaneant, in quo sunt, & tunc eas nubere debere, quando se non continent, & post multa alia absolute pronunciat, bene quidem facere eum, qui suam matrimonio virginem jungit, melius vero alterum, qui non jungit. Semel ac ergo quispiam a consiliis Evangelicis sequendis non impediatur propter ea, quæ ipse singulariter vel reipublicæ, vel

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 7., cap. 5. §. 6. (2) Ejusdem lib. cap. 3. §. 8.

vel patriæ, vel parentibus debet, si illa amplectatur; quod Christus consuluit amplectitur, hoc est, quod illius suprema auctoritate consultum habemus, cui nemo resistere potest. Reipublicæ vero, aut patriæ, vel parentibus, nimis multi sunt, qui aliquid singulariter non debent, immo qui etiamsi vellent, nullam utilitatem afferre possent: ergo istis, si voluerint, liberum relinquitur, ut consilia Evangelica sequantur. Quod de possessione bonorum opponunt, est ejusdem, ac cetera, rationis. Nemini certe crimini tribuitur, uti communi societati perniciosum, quod bona possideat, vel non possideat, dum tamen si possidet, ea præter omnem injuriam aliorum habeat; si non possidet, illa a se semel possessa, male non dilapidaverit. Utrumque autem illis societatibus crimini tribuitur, quæ ut in republica sint, ad commune bonum plurimum undequaque conducit, sicuti jam ostendimus (1). Anne id æquitatem sapit? anne ipsi communi bono consentaneum est? Sed rem istam diligentius expendamus. Fac ergo, ut hujusmodi societates sua propria bona possideant, sicuti revera multæ earum possident: anne fortasse illa turpi quæstu compararunt? anne cum injuria aliorum? Nihil sane minus. Eorum præclara opera ad utilitatem quoque boni communis, & præsertim spiritualis comparata, singularis vivendi modus secundum virtutem, quam sequi, inito etiam voto, instituerunt, in causa profecto fuerunt, cur hæc sibi bona a fidelibus relinquerentur: qui sane dum hoc præstiterunt, & plurimum apud Deum meriti comparasse, & rem utilem reipublicæ fecisse, jure meritoque putarunt. Hæc tum privatorum hominum, tum maxime Principum, quorum in his etiam operibus, pietatis liberalitas, atque munificentia sese amplissime prodidit, semper una sententia fuit.

At usus, quem faciunt, hujusmodi bonorum, ad reipublicæ utilitatem non conducit. Ita ne vero? Profecto si agatur de illis, quæ ad administrationem, curam, culturamque hujusmodi bonorum requiruntur; sua opera omnes hujus-

(1) Hujus cap. §.9. & seqq.

jusmodi potius societatibus, quam aliis privatis dominis, deservire plerumque cupiunt. Unde vero id contingat, ipsa per se res loquitur. Deinde si qui unquam magis remoti sunt vel a male profundenda ipsa substantia eorum, quæ possident, vel a non retrahendo ab iis eum fructum, quem possent, vel a convertendo in pravos usus eum fructum, quem retrahunt, sunt eæ societates, a quibus nonnulli omnem possessionem bonorum sublatam vellent. Nam eorum, qui iisdem adscripti sunt, nemo unus est dominus bonorum, quæ ad ipsam societatem pertinent: administrationem sibi quidem commissam unusquisque habere potest hujusmodi bonorum, jurisdictionem autem sibi datam non potest. Hæc ergo penes omnia membra societatis semper manet. Gravissimis autem legibus sancitum est, ne & ipsa quoque societas bona, quæ possidet, distrahere ad suum arbitrium possit. Ab hujusmodi ergo societate quam maxime alienum est, ut male profundat ipsam substantiam bonorum, quæ sibi propria sunt. Est quoque alienum, ut ab iis, quem posset, fructum non retrahat. Nam uni quidem, aut alteri cura illorum vel a societate, vel ab ejus Præfecto committitur; tamen ii & amoventur, & magis idonei substituuntur, dum rem communem, prout debent, non curant, & aliis de administratione sibi commissa rationem reddant oportet, & sane multorum interest, ut res communis utiliter agatur. Semel ac quispiam homo privatus sua bona negligat, & nihil minus cordi habeat, quam rem familiarem curare: quod sane sæpe evenire videmus, non solum multorum fructuum jactura inde consequitur, sed quandoque etiam substantiæ ipsorum bonorum detrimentum consequitur, & quidem sine utilitate ullius, propter alluviones, aliaque infortunia, quæ diversis annis temporibus quandoque contingunt.

Tandem anne nostræ societates fructum bonorum, quæ possident, in rebus expendunt, quæ e dissitis longe regionibus advehantur, & nihil aliud, quam ad luxum fovendum, promovendum fastum, ambitionem nutriendam conducunt? anne in commessationibus, in ludis, in theatris,

in choreis, atque saltationibus, in venationibus, in alendis equis, in sustentanda ad fastum multitudine servorum, qui otiosam vitam ducant, ac propterea sint in omnia vitia proclives? Profecto ex fructibus, quos colligunt præter ea, quæ ad illorum honestam sustentationem requiruntur, omnia in hujusmodi usus erogant, qui ad commune bonum valde conducunt. Nam vel in eleemosynas impendunt, & eas quidem tunc potissimum uberiores, sicuti hisce annis superioribus vidimus, quando copia egenorum magis abundat, vel ad hospites recipiendos, alendosque peregrinos, vel ad reparandum detrimentum, quod suis bonis imminere posset, curandumque, ut majorem fructum afferant, vel ad suarum domorum nitorem, munditiem, atque decentem ornatum, vel demum ad templa cum ea, qua decet, majestate sarta tecta servanda, atque eorum sacram supellectilem custodiendam, curandam, & si opus sit, etiam augendam. Nihil sane horum est, quod ad bonum commune vel spirituale, vel hujus vitæ non conducat.

Quid? Anne querendi jus quispiam habet, quia alius sua bona, quæ possidet, servat, & custodit, atque ita fit, ut in illius potestatem, ne soluta quidem pecunia, venire possint? Erit ergo lex illa civilis *fidei commissorum* ut communi societati noxia de medio tollenda, qua diligentissime cautum est, ne bona familiarum distrahantur. Si tamen ad illum usum advertamus, in quo ea est, semperque fuit apud gentes, atque nationes, nihil minus dici potest, quam quod communi bono noxia sit. Utrum autem communi bono magis expediat, ut potius societates, de quibus nunc agimus, quam privatæ quædam familiæ, servent bona, quæ possident, ex iis perspectum est, quæ usque modo disseruimus.

Nunc pauca iis de societatibus, quæ nulla prædia possident, aliaque bona hujus generis. Est tamen illud primo advertendum, hujusmodi societates valde displicuisse Wiclesso, qui, uti habet Thomas Waldensis *Doctrinalis fidei* lib. 4. art. 1. cap. 1. nec *dotatos*, nec *mendicos Religiosos* patitur:

» Utro-

„ Utrobique aufert, unde victum quis transfigat, quoniam „ nec vult vivere illos per rerum copiam, nec hos per ino- „ piam “. Christum ergo egenum propter nos factum fuisse, a nemine negari potest, dicente Apostolo 11. *ad Corint.* cap.8. v.9. “ Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quo- „ niam propter nos egenus factus est “. Ita vero egenus factus fuit, ut non solum ipse ex se non haberet, unde viveret, sed etiam ubi caput reclinaret, quemadmodum proprio ore de se hisce verbis *Lucæ* cap. 9. v. 58. contestatus fuit: “ Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Fi- „ lius autem hominis non habet, ubi caput reclinet “. Nam, sicuti monet S. Gregorius Magnus lib.20. *Moralium* num.69. “ Ut ad internas divitias rediret homo, foras ap- „ parere pauper dignatus est Deus. Unde prædicator egre- „ gius ut ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis „ accenderet, dixit: *Propter nos egenus factus est, quum di-* „ *ves esset* “. De his ergo Christus vixit, quæ ab aliis misericorditer sibi data fuere, ac propterea medicavit. “ Quid „ est enim aliud mendicare, (inquit S. Augustinus ad hæc „ verba v. 10. *Psal.* 108. *Nutantes transferantur filii ejus, &* „ *mendicent*) nisi ad hominum misericordiam vivere “? Apostoli quoque, sicuti advertit S. Thomas *Opusculo* 16. cap.7. „ Jussi sunt a Domino necessaria ad victum in via non fer- „ re, ut patet *Matth.*10., *Marci* 6., *Lucæ* 9. & 10. Con- „ stat autem, quod ipsi imperiose non poterant accipere: „ ergo satis evidens est, quod necessaria victus humiliter „ petebant, quod est mendicare “. Christi ergo, & Apostolorum sequuntur exemplum, qui in eas societates sese recipiunt, quæ nulla prædia, aut alia quævis similia bona possident. Communi autem bono non expedire esse aliquos, sicuti semper in Ecclesia fuerunt, qui, & omnino dimissis, si quas habent, divitiis, vel si non habent, eas consequendi sibi sublata potestate, ex eleemosynis vivant, atque ita Christi, & Apostolorum exemplum sequantur, quis nam tandem affirmare auserit?

Neque Ecclesia gravatur, sicuti habet S. Thomas cit. Oph-

Opuſculo in reſponſione ad 4. " Si tales de eleemoſynis „ vivant, quia modicis ſunt contenti, magnum fructum in „ Eccleſia facientes; immo in hoc Eccleſia maxime allevia„ tur, quia quod alii, qui non ſunt ita modicis contenti, „ cum magnis expenſis faciunt, hoc idem per tales cum „ parvis ſumptibus expletur. Nec in hoc pauperibus ali„ quid ſubtrahitur, quod tales de elemoſynis vivunt: quia „ talium conſilio, & inductione multo plura pauperibus dan„ tur, quam ipſi accipiant ". Illud quoque ad hæc superaddi poteſt, ab iſtis quoque ſocietatibus, quæ ex eleemoſynis vivunt, & multa ad ſui ſuſtentationem pauperes recipere, & longe plura, quam a quibuſdam etiam prædivitibus familiis. Verum, uti proſequitur idem S. Doctor in reſponſione ad 5. " Merces operi debetur, non poteſtati, „ aut auctoritati. Quum ergo Religioſi ex commiſſione præ„ dicantes ſimiliter laborent, dignum eſt, ut & ipſi ab his, „ quibus prædicant, neceſſaria victus accipiant ". Idem vero dicendum eſt, habita ratione aliorum multorum, quæ in utilitatem animarum faciunt. " Sunt tamen & aliæ cau„ ſæ (proſequitur S. Thomas) propter quas & Religioſi etiam „ non prædicantes neceſſaria victus à Fidelibus accipere poſ„ ſunt: puta quia omnia ſua propter Chriſtum reliquerunt: „ vel quia miniſtrant altari, cujus ſacrificium, ubicumque „ agatur, commune eſt toti populo fidelium: vel quia va„ cant ſtudio Sacræ Scripturæ, contemplationi, orationi, „ & aliis ſpiritualibus ad communem utilitatem totius Ec„ cleſiæ ".

§. XIII. Sanctitati Chriſtianæ Religionis quam maxime conſentaneum eſt, ut ſint qui paupertatem, caſtitatem, & obedientiam voveant.

Cum Religione illud quoque conjungitur, ut inter alios quidam in ea ſint, qui ſingulari ratione curent, quæ ad ipſam Religionem ſpectant, atque ad id muneris ſingularem etiam quamdam prærogativam habeant. Non minus quam de Religione, eſt hac de re ex ipſa ratione perſpectum. Hinc videmus etiam Ethnicos in id intendiſſe, præcipuam-

que

que rei ſacræ curam nonnullis demandaſſe, quos & ex ſui officii ratione præcellere ſupra ceteros, & ob eam ſingulari quadam virtute præeminere debere putarunt. De re manifeſta loquimur, neque eſt, cur ad eam confirmandam loca antiquorum in medium afferamus. Nulla profecto Religio ſanctior, aut perfectior eſſe poteſt Chriſtiana Religione (1). Si quæ ergo unquam Religio poſtulavit, ut ſibi non deeſſent, qui rem ſuam & ſingulariter, & digne, prout fieri poteſt, curarent; Religio ſane Chriſtiana potiſſimum, atque majori jure præ omni alia, poſtulat. Ad iſtud autem munus qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, ex ſua inſtitutione vitæ præ ceteris aliis magis idonei ſunt, atque recte diſpoſiti. Nam, ſicuti advertit S. Thomas lib.3. *Cont. Gent.* cap.130. " Occupatur humana ſolicitudo ſecundum communem modum humanæ vitæ circa tria. Primo quidem circa propriam perſonam quid agat, aut ubi converſetur; ſecundo autem circa perſonas ſibi conjunctas, præcipue uxorem, & filios; tertio circa res exteriores procurandas, quibus homo indiget ad ſuſtentationem vitæ. Ad amputandam igitur ſolicitudinem circa res exteriores, datur homini in lege Divina conſilium paupertatis, ut ſcilicet res hujus mundi abjiciat, quibus animus ejus ſolicitudine aliqua implicari poſſet .... Ad amputandam autem ſolicitudinem uxoris, & filiorum, datur homini conſilium de virginitate, vel continentia ... Ad amputandam autem ſolicitudinem hominis etiam circa ſe ipſum, datur conſilium obedientiæ, per quam homo diſpoſitionem ſuorum actuum committit ſuperiori ... Quia vero ſumma perfectio humanæ vitæ in hoc conſiſtit, quod mens hominis Deo vacet; ad hanc autem mentis vacationem prædicta tria videntur diſponere: convenienter ad perfectionis ſtatum pertinere videntur, non quaſi ipſæ ſint perfectiones, ſed quia ſunt diſpoſitiones quædam ad perfectionem, quæ conſiſtit in hoc, quod

(1) De præcellentia Novæ Legis ſupra Veterem lib.11. cap. unico §.1. & ſeqq. egimus.

„ Deo vacetur". Qui igitur paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, res hujus mundi abjiciunt, ut animum ab earum ſolicitudine ſolutum habeant; continentiæ legibus ſeſe obſtringunt, ne cura uxoris, filiorum, atque domus a contemplatione Divinorum abſtrahantur; vitam in exercitatione virtutis ſub præceptione alterius degere ſibi conſtituunt, ut hac ratione ne ſui quidem aliqua cura detineantur. Hi autem ſi non ſint ex ſui inſtitutione vitæ præ ceteris magis accomodati, rectiuſque diſpoſiti, ad ea curanda, exequenda, & promovenda, quæ ſunt Divini cultus, non video ſane, nec quemquam videre arbitror, quinam alii eſſe poſſint. Eſt ergo dicendum, ſanctitati Chriſtianæ Religionis quam maxime conſentaneum eſſe, ut ſint, qui paupertatem, caſtitatem, & obedientiam voveant.

§. XIV. Catholicæ quoque Religioni omnino conſentaneum eſt, ut ſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam voveant.

De voluntaria paupertate amplectenda, continentia ſervanda, & obedientia alteri profitenda, Chriſtum in ſua ſanctiſſima lege conſilium nobis dediſſe, jam oſtendimus (1), atque Catholica Eccleſia firmiſſime tenet. Quod autem Chriſtus conſuluit, ut aliqui ſequantur, atque ex ſua quidem inſtitutione vitæ perfecte ſequantur, Catholica Religio poſcit; alioquin de conſiliis nobis a Ieſu Chriſto datis omnino ſollicita non eſſet. Qui autem paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, ob eam ipſam rationem, quia vovent, conſilia Evangelica perfecte ſequuntur (2): igitur Catholicæ quoque Religioni omnino conſentaneum eſt, ut ſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam voveant.

§. XV. Ad promovendum bonum Religionis, valde conducit, ut in ea ſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam voveant.

Religio eſt virtus, qua debitus honor Deo defertur. Ad

(1) Hujus lib. cap.3. §.7. & ſeq., cap.4. §.5., cap.5. §.6.
(2) Hujus lib. cap.6. §.5. & ſeqq.

Ad hunc autem honorem Deo deferendum, ejusque ſtudium etiam in aliis promovendum, ii ſunt præ ceteris magis expediti, apti, atque recte diſpoſiti, qui rerum omnium exteriorum a ſe curam abjecerunt, uxoris, filiorum, atque domeſticorum ſunt ſoluti ligamine, & etiam de ſe ipſis nullam ſolicitudinem habent, quia ſeſe imperio alterius, ut ſecundum virtutem viverent, omnino ſubjecere. Hujuſmodi vero ſunt ex ſuæ inſtitutione vitæ, & quidem propter Dei amorem, atque ut liberius, & expeditius iis, quæ ad Divinum cultum ſpectant, vacare poſſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam vovent, quemadmodum propter multa, quæ hac de re uſque modo diſſeruimus, nemo dubitare poteſt: ad promovendum igitur bonum Religionis valde conducit, ut in ea ſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam voveant.

Revera autem quantum commodi ab iſtis Religio ſemper retraxerit, tam ſi ſpectes, quæ illi pro defenſione ejus fortiter ſuſtinuerunt, quæque ad veritatem dogmatum vindicandam ſcripſere, quam ſi attendas ad propagationem fidei in diſſita quævis loca, & ejus conſervationem in aliis, in quibus ſuas jam radices vera Religio fixerat; immo vero ſi eorum omnium ratio habeatur, quæ ab iiſdem geſta fuere, atque geruntur ad Divinum cultum propagandum; non dicam, ſi diligentius nunc expendere, ſed ſolummodo leviter indicare vellemus; diutius quam par eſt, & inſtituti noſtri ratio patitur, hac in re exponenda verſaremur. Locupletiſſima monumenta hiſtoriarum neminem de ea dubitare ſinunt. Hæc ergo qui animadverterit, illud non fateri non poterit, ad promovendum bonum Religionis valde conducere, ut in ea ſint, qui paupertatem, continentiam, & obedientiam voveant, factis quoque comprobatum eſſe.

LIBER XV.

DE LEGE EVANGELICA NON SCRIPTA.

LEX Evangelica non ſcripta ſunt Sacræ Traditiones, quæ Chriſti, atque Apoſtolorum oracula vivæ vocis vocari poſſunt. Eorum enim, quæ ſua auctoritate Chriſtus, & Apoſtoli a Chriſto edocti, vel Divini Spiritus lumine illuſtrati, ad fidem, aut mores ſpectantia docuerunt, multa quidem ſcripta ſunt, quæ in Novi Teſtamenti libris continentur, non vero omnia. Sunt ergo aliqua a Chriſto tradita, & accepta ab Apoſtolis, atque ab iis viva voce tantum Eccleſiæ relicta: ſunt rurſus alia, quæ Spiritu Sancto docente, ab iiſdem Apoſtolis eodem modo commiſſa Eccleſiæ fuere, eaque nullus unquam auctorum Canonicorum litteris conſignavit. Hæc ergo utraque, quæ Divina verba ſunt, non aliter ac illa, quæ in libris Novi Teſtamenti legimus, continua ſucceſſione ſemper in Eccleſia cuſtodita fuere, & ad nos uſque devenerunt, atque Chriſti, & Apoſtolorum Traditiones appellantur. De hujuſmodi ergo ſacris Traditionibus nos hoc in libro diſputandum aggredimur, quemadmodum ipſius doctrinæ ordo poſtulat. Sunt enim illæ lex quædam Evangelica non ſcripta, ac propterea poſtquam de lege Evangelica ſcripta egimus, de ea, quæ non eſt ſcripta, oportet, ut agamus. Septem capitibus totam iſtam de re tam gravi diſputationem complectemur: in 1. de diverſitate Traditionum, in 2. de antiquitate ſacrarum Traditionum, in 3. de multiplici cauſa earum, in 4. de ea ratione, qua de eiſdem nobis conſtat, in 5. de exiſtentia, & auctoritate, in 6. de neceſſitate, in 7. de ea contradictione, qua in hoc quoque doctrinæ capite Proteſtantes implicantur.

CA-

CAPUT I.

DE DIVERSITATE TRADITIONUM APOSTOLICARUM.

§. I. QUÆ ab Apostolis tradita accepimus, non omnia esse debent unius ejusdemque rationis.

Apostolis non solum commissum fuit, ut ubique gentium Legem Evangelicam divulgarent, atque omnes ad eam amplectendam inducerent, sed etiam ut Christianam Rempublicam regerent, atque moderarentur. Inde vero est, ut solliciti esse debuerint, & ea omnia docere Fideles, quæ tum ad fidem, tum ad mores spectant, quæque dogmata dicuntur, tum etiam alia constituere, quæ ad Ecclesiæ exteriorem politiam pertinent, atque disciplinæ sunt. Quandoquidem unitati fidei cetera quoque omnia respondeant oportet, quæ ad Divinum cultum instituta sunt, & a Fidelibus aguntur, sicuti consentanea religioni, quam profitentur. Quare tam quæ ad fidem, atque mores spectant, quam quæ Ecclesiæ gubernationem exteriorem respiciunt, oportebat, ut ab Apostolis constituerentur. Ex hoc autem consequitur, ut quod ab Apostolis traditum accepimus, non omne unius ejusdemque rationis esse debeat.

§. II. Traditiones Apostolicæ in dogmaticas, & in eas, quæ disciplinæ sunt, distingui debent.

Illæ ad fidem spectant, atque mores, istæ ad exteriorem Ecclesiæ gubernationem. Prioribus sunt ea constituta, quæ semper Ecclesia Catholica firmissime professa fuit, atque profitetur; posterioribus autem, quæ non semper pro diversa ratione temporum in Ecclesia servata fuere. Hujus generis plura S. Basilius commemorat in lib. *De Spiritu Sancto* cap.27. num.66., quæ suo adhuc tempore servabantur. Nam ex traditione Apostolica, vultu verso ad Orientem, Christianos orare consuevisse, & die sabbati stantes, atque trinam immersionem in conferendo baptismate adhibere, ipse refert. Ab Apostolis illud quoque traditum accepimus, quemadmodum Acta Apostolica testantur, a sanguine, & suffocato

focato abstinendum esse. Hæc autem omnia, aliaque his similia non semper Ecclesia Catholica servavit, & modo etiam non servat.

§. III. Apostolicæ Traditiones, quæ ad disciplinam spectant, mutationi obnoxiæ sunt.

Sunt ergo præcepta, & instituta Apostolorum in duplici differentia, quemadmodum superiori §. monuimus, & etiam Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib.3. cap.5. hisce verbis advertit: " Quædam enim temporaria fuere, quo„ rum ratio brevis, & ad tempus fuit; alia fuere perpetua, „ utpote quæ causam habuere sempiternam, ut in Ecclesia „ servarentur. Illius generis exempla sunt, de baptismo in „ nomine Jesu, de abstinentia a sanguine, & suffocato: „ hujus autem posterioris exemplum est, de aqua permi„ scenda calici ". Et re quidem vera quod tam una, quam altera ratione peragi, quodque etiam tam peragi, quam non peragi potest, non oportet, ut vel unica ratione, vel semper peragatur; sed juxta diversitatem temporum, & aliorum, quæ cum successione temporum conjunguntur, illud eo modo agendum est, quo magis utile fuerit, aut etiam omittendum, si utile esse desierit. Hujus generis sunt nonnullæ Traditiones Apostolicæ, quæ versantur circa quædam, quæ in Christiana religione tam una, quam altera ratione, aut quæ etiam nullo modo servari possunt. Quæ enim orandi modum spectabant, ad id significandum præstituta erant, quod aliis quoque modis significari potest, mentique Fidelium repræsentari. Quod etiam de trina immersione olim in baptismo servari solita advertit S. Gregorius Magnus lib.1. Indict.9. epist.43. alias 41. " Nos autem quod tertio „ mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut „ dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio tridua„ ni temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro „ summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc „ aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: „ quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, re„ prehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate „ vel

„ vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersio-„ nibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis „ singularitas designari “. Institutum quidem fuit ab Apostolis, ut Fideles a sanguine, & suffocato abstinerent: verum hoc fecerunt, ut Ecclesia ex Gentilibus, & Judæis coalesceret. Quapropter ut id servaretur, non semper conveniens fuit. Cetera quoque omnia hujus generis, quæ ab Apostolis accepimus, sicuti ab illis certa prudentique ratione, atque accomodata temporibus constituta fuere; ita etiam ob mutationem plurimorum, quæ secum fert ipsa successio temporum, tolli deinde prudenti judicio potuerunt. Apostolicæ ergo traditiones, quæ ad disciplinam spectant, mutationi obnoxiæ sunt.

§. IV. Dogmaticæ Apostolicæ Traditiones, quæ ad fidem, & mores spectant, Christum auctorem habent.

Quæ fidem Christianam complectuntur, Christus per se Apostolis proposuit, dum cum illis commoratus fuit, non tamen eo modo, quo postea manifestavit, dum Spiritum Sanctum super eos misit. “ Adhuc multa (inquit Christus „ loquens Apostolis *Joan.* cap. 16. v. 12. & seq.) habeo vo-„ bis dicere, sed non potestis portare modo. Quum autem „ venerit ille spiritus veritatis; docebit vos omnem veri-„ tatem “. Quæ vero tunc Apostoli portare non poterant, hæc erant; plena cognitio Divinorum, spiritualis intellectus omnium Scripturarum Divinarum, & pericula, atque mala, quæ passuri erant (1). Nam, uti habet S. Thomas lect. 6. in cap. 14. *Evangelii Joannis*: “ Quæcumque homo doceat „ extra, nisi Spiritus Sanctus interius det intelligentiam, „ frustra laborat: quia nisi Spiritus Sanctus adsit cordi au-„ dientis, otiosus erit sermo doctoris. *Job* 33. 8. *Inspiratio* „ *omnipotentis dat intelligentiam*: & in tantum, quod etiam „ ipse Filius organo humanitatis loquens, non valet, nisi „ ipsemet interius operetur per Spiritum Sanctum “. Quem vero Christus Apostolis promisit, Spiritum Sanctum, nondum recepere ipsi, quando cum eis humanitatis organo loque-

(1) Vide S. Thomam lect. 3. in cap. 16. *Evangelii Joannis*.

quebatur. Quemadmodum ergo Christus Apostolis futurum promisit, ut Spiritus Sanctus eos omnia doceret, atque suggereret, quæcumque illis dixisset, indeque fieret, ut sui clarificatio haberetur, descendente Spiritu Sancto super Apostolos, id totum impletum fuit. Nam, uti prosequitur S. Thomas in citata lectione: " Eorum, quæ Christus dixit Discipulis, quædam non intellexerunt, quorumdam autem memoriam non habebant. Dicit ergo Dominus: *Ille vos docebit omnia*, quæ intelligere nunc non potestis; *Et suggeret vobis omnia*, quæ non potestis memoriæ commendare. Quomodo enim Evangelista Joannes post quadraginta annos potuisset omnium verborum Christi, quæ in Evangelio scripsit, habere memoriam, nisi ei Spiritus Sanctus suggessisset "? Clarificatio quoque ipsius Christi ad adventum Spiritus Sancti consequuta fuit, tum quia, uti monet idem S. Doctor lect. 4. in cap. 16. *Evangelii Joannis*: " Adhuc carnales erant, & ad Christum afficiebantur secundum carnem, id est secundum infirmitatem carnis, non cognoscentes Divinitatis ejus majestatem, cujus postmodum per Spiritum Sanctum capaces effecti "; tum quia Discipuli antea timidi erant, ita ut non auderent publice Christum confiteri; sed Spiritu Sancto repleti, timore depulso, annunciaverunt hominibus Christum, ab ipso spiritu quodammodo impulsi ". Quapropter, adveniente Spiritu Sancto, quæ Apostoli antea portare non poterant, hoc est plenam cognitionem Divinorum, spiritualem intelligentiam Divinarum Scripturarum, & pericula, quæ passuri erant, portandi capaces effecti fuere, atque id omne ab eis depulsum fuit, quo a promulgatione Evangelicæ legis impediebantur.

Illorum vero omnium, de quibus Christus instruxit Apostolos, dum cum eis degeret nonnulla quidem auctores Canonici, ducti Divino Spiritu litteris consignarunt, alia vero scripta non fuere, sed per traditionem ad nos usque devenerunt. Scripta, inquam, non fuere ab eis, quorum ministerio ad nos primitus devenerunt, hoc est ab Apostolis,

lis, ea tamen postea Veteres Ecclesiæ Patres mandarunt memoriæ posterorum. Hujusmodi ergo omnes Dogmaticæ Traditiones ea quidem ratione Apostolicæ recte dicuntur, quatenus Apostoli earum promulgatores fuerunt, non vero quatenus earumdem auctores exstiterint: sunt enim, uti ad suum principium, ad Christum referendæ, earumque illustratio ad Spiritum Sanctum. Quapropter Dogmaticæ Traditiones non tam Apostolorum, quam Christi sunt; quæ autem ad disciplinam spectant, sunt revera Apostolorum, quatenus tamen ii a Spiritu Sancto singulariter regebantur.

Est tamen advertendum inter Traditiones Dogmaticas eam quoque habere locum, qua constat de numero librorum Canonicorum. Ad Apostolos enim spectavit, quemadmodum Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib.2. cap.7. recte monet " Libros sacros probare, non sacros rejicere. " Nec enim alios libros Canonicos habemus sive Veteris, " sive Novi Testamenti, quam quos Apostoli probaverunt, " atque Ecclesiæ tradiderunt ". Quapropter hæc Traditio de numero Canonicorum librorum est vere Apostolica. At quamvis dogmatica sit, aliquis tamen fidei articulus credendus, qui veritatem supernaturalem contineat, aut quidpiam spectans ad mores, servandum ea non proponitur, sed solummodo determinatur, quænam tandem Sacri Auctores ducti Spiritu Sancto scripserint. Quapropter ad illud ipsa refertur, quod Apostoli a Christo intellexerunt, hoc est, futurum, ut Spiritus Sanctus illos doceret omnia, atque ita fieret, ne docendo, aut scribendo falli, vel fallere possent.

§. V. Dogmaticæ Traditiones sunt in quibusdam rebus unicum fidei nostræ fundamentum, in aliis vero magis minusve clare fides nostra innititur etiam auctoritati Divinarum Scripturarum.

Ad priorem ordinem, ut in allato mox exemplo sistamus, numerus librorum Canonicorum inter cetera referatur oportet. Nam ex Sacris Litteris de numero librorum Canonicorum nobis constare non potest. Etsi enim reliqui omnes

in aliquo ſacro Libro recenſerentur; ſemper tamen quærendum ſupereſſet, unde nam fieret compertum, illum revelatum eſſe. Semel ac enim iſta de re Eccleſiæ aliquam revelationem divinitus factam non habeamus, divinitas hujuſmodi libri unicuique ſuſpecta eſſe deberet. Aliunde autem Eccleſia facere non poteſt, ut ſit divinitus revelatum, quod revera non eſt, vel divinitus revelatum non ſit, quod revera eſt. Traditione ergo tantum hac de re perſuaſi eſſe poſſumus, ipſaque præeunte traditione, hos, & non alios libros eſſe Canonicos Eccleſia definivit. Hinc Origenes Tom. 1. *Comment. in Matthæum*: " Sicut (inquit) ex Traditione accepi de quatuor " Evangeliis, quæ ſola in univerſa Eccleſia, quæ ſub cœlo " eſt, citra controverſiam admittuntur". S. Cyrillus *Catech.* 4. num. 35. canonem Sacrarum Scripturarum *ab Apoſtolorum*, *&* *veterum Epiſcoporum Eccleſiæ rectorum* auctoritate deſumit.

Plura quoque eorum, quæ ad fidem pertinent, in Sacris Litteris indicata, in Traditione autem omnino expreſſa habemus. In hunc cenſum veniunt perpetua B. Mariæ virginitas, Baptiſmus parvulorum, deſcenſus Chriſti ad inferos, multaque etiam illorum, quæ ad Sacramenta pertinent. Demum de pluribus fidei dogmatibus non minus ex ſacra Traditione, quam ex Divinis Litteris omnino perſpectum eſt. Nam plura dogmata fidei in Sacris Litteris non obſcura, ſed manifeſta ratione tradi, nemo unquam negaverit.

§.VI. Quod Dogmaticis Traditionibus conſtitutum habemus, nulla auctoritate vel mutari, vel convelli poteſt.

Eccleſia quidem quinam ſint articuli fidei ex Sacris Litteris, atque Apoſtolica Traditione definire poteſt, novos autem condere, aut conſtitutos abrogare, non poteſt. Id enim juris Eccleſiæ datum a Chriſto fuiſſe nunquam legimus. Auctoritatem ergo ſuam Eccleſia a Chriſto habet, non eam tamen, quæ etiam ſupra ipſum Chriſtum ſit; at vero hujuſmodi auctoritatem haberet, ſemel ac quæ Apoſtoli ad fidem, aut mores ſpectantia tradidere, vel tollere, vel mutare poſſet. Hæc enim Apoſtoli a Chriſto acceperunt (1), eaque Eccleſiæ reli-

(1) Hujus cap. §. 4.

reliquere, ut semper ab illa servarentur. " Quamobrem (inquit S. Hilarius *Ex Opere Historico Fragmento* 3. num. 23.) „ quoniam a parentum traditione discedere non possumus, „ quia nec talem auctoritatem sumpsit Ecclesia, nec talem „ potestatem a Deo accepit ". Quod ergo Dogmaticis Traditionibus constitutum habemus, nulla auctoritate vel mutari, vel convelli potest. Hujusmodi vero Traditiones eæ sunt, de quibus in sequentibus capitibus disputabimus.

CAPUT II.

DE ANTIQUITATE SACRARUM TRADITIONUM.

§. I. Religio sine ulla Sacra Scriptura incepit.

Nullam tum Adam, tum filii, nepotes, atque posteri ejus usque ad longum tempus scriptam a Deo Legem acceperunt. Quamvis autem tunc homines Lege naturali quoad ea dirigi possent, quæ supra nos posita non sunt, atque naturæ ordinem non excedunt; quoad alia tamen, quæ sunt ordinis supernaturalis, nullo modo poterant, quum hujusmodi ordo sit suprà vires humanæ rationis. Quapropter qui hoc tempore homines vixerunt, aut erant instituti ad finem supernaturalem, aut non erant: non fuisse ad finem supernaturalem institutos, quisnam tandem affirmare potest, quum ob hunc finem natura rationalis a ceteris differat, indeque ob eum nunc id omne habeat, quo supra ceteras præcellit? Erant ergo & hi quoque homines instituti ad finem supernaturalem. At vero media cum fine habere proportionem debent, ut ad assequutionem ejus ducant: si ergo finis sit supernaturalis, etiam media supernaturalia sint oportet. Quare quum ratio naturalis attingere non possit, quod supernaturale est; fieri non poterat, ut tunc homines sola Lege naturæ assequerentur tum finem supernaturalem, tum media, quæ ad eum ducunt: aliunde autem nullam tunc habebant Legem scriptam, qua huic defectui rationis suppleretur. Divinitus ergo institutos fuisse necesse est, ut dicamus, tum quoad finem supernaturalem, tum quoad media ei proportionata; illa quidem instru-

ctione, quæ interius majoribus facta fuerit, atque ex iis deinde voce, & traditione ad alios dimanaverit. " Ante Legem
" (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 174. art. 6.) Abraham, & alii
" Patres prophetice sunt instructi de iis, quæ pertinent ad fi-
" dem Deitatis: unde & Prophetæ nominantur secundum il-
" lud *Psal.* 104. *In Prophetis meis nolite malignari*: quod spe-
" cialiter dicitur propter Abraham & Isaac". Primis ergo Patriarchis ante diluvium Deum nonnulla revelasse, firmissime tenendum est; hæc vero illi suis posteris prodiderunt, ut ipsi quoque cognoscerent, quæ ad Dei cultum requirebantur. Ob vitam autem longævam, quam tunc ducebant Patriarchæ, multis suorum posterorum communicare commode poterant, quæ sibi divinitus revelata fuerant. " Tunc ut homines (ait Bos-
" suetius in *Comment. Universæ Historiæ* par. 2. cap. 2.) Divi-
" nam agnoscerent virtutem, eique debitam exhiberent re-
" verentiam, præsto erant Traditiones, quæ ab Abraham
" usque ad Noe stabili perpetuaque serie promanarant, rectæ
" rationi ita consentaneæ, ut nulla suspicio suboriri posse vi-
" deatur, fore, ut unquam e cordibus elaberentur. Is fuit
" usque ad Abraham Religionis status; qua ætate, sola ratio-
" ne prævia, & memoria, Divina magnitudo cognosci po-
" terat".

§. II. Sine ulla Sacra Scriptura diutius Religio subsititit.

Illo ergo toto tempore, quod ab Adam usque ad Moysem interfluxit, nullam Legem scriptam hominibus promulgatam fuisse accepimus. Hoc itaque toto intervallo temporis, quod sane minimum non fuit, sed multorum annorum, oportet, ut homines ex suorum traditione majorum semper acceperint, quæ ad vitam æternam consequendam cognosci debebant. Semel enim ac nulla Lex scripta habeatur, id unum tantum reliquum est, ut qui institui aliqua in re debent, oretenus tantum, atque a suorum traditione majorum instituantur. Hujusmodi ergo fuit modus instructionis eo toto intervallo temporis, quod ab Adam usque ad Moysem defluxit.

§. III. Si quid hoc intervallo temporis Deus servandum singulariter præcepit, Traditione tantum id posteri cognoverunt.

Deum

Deum igitur hæc Abrahamo præcepisse *Genesis* cap. 17. v. 10. & 14. legimus: " Circumcidetur ex vobis omne ma-
" sculinum ..... Masculus, cujus præputii caro circumcisa
" non fuerit; delebitur anima illa de populo suo ". Hujus autem observatio præcepti in Abrahami posteris usque ad Moysem sine ullo scripto verbo perduravit. Nam Moyses ille fuit, qui, scripta Lege *Levitici* 12., infantem die octavo circumcidi præcepit. Toto ergo illo spatio temporis, quod ab Abrahamo usque ad eam ætatem interfluxit, qua Moyses Legem scripsit, hoc de circumcisione præceptum ab Abrahami posteris ob solam Traditionem servatum fuit. Neque rem parvi momenti istam fuisse, dici potest. Quandoquidem Deus Abrahamo indixit, eum masculum de suo populo delendum fore, cujus præputii caro circumcisa non esset. Ex quo sane constat sicut ex iis, quæ in duobus superioribus §§. animadvertimus, res gravissimas soli Traditioni innixas eo tempore fuisse, quod ab Adamo usque ad promulgationem Legis a Moyse factam interfluxit.

§. IV. Etiam post promulgationem Mosaycæ Legis suas habuerunt Judæi Traditiones.

Undenam tandem, nisi ex Traditione Judæi noverunt, Moysem eorum librorum auctorem esse, quæ sub nomine illius circumferebantur, eosque esse divinitus inspiratos? Unde ceterorum sacrorum Librorum canonem habuerunt? "Quia
" etiam (inquit S. Clemens Alexandrinus lib. 5. *Stromatum*
" num. 10.) tradebantur Judæis quædam sine scriptis (1):
" *Etenim quum deberetis*, inquit, *esse doctores propter tempus*,
" ut qui in Testamento Veteri consenueritis, *rursus opus ha-*
" *betis, ut vos doceam, quænam sint elementa initii eloquiorum*
" *Dei, & facti estis, quibus lacte sit opus, non solido cibo. Omnis*
" *enim, qui lactis est particeps, est imperitus sermonis justitiæ. Est*
" *enim parvulus*, ut cui primæ solæ creditæ sunt disciplinæ ".
Hoc idem confirmat S. Hilarius *Tract.* in *Psal.* 2. num. 2. dicens: " Idem Moyses quamvis Veteris Testamenti verba in
" litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis
" Le-

(1) *Hebræor.* cap. 5. v. 12. & seq.

„ Legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Do-
„ ctores deinceps manerent, intimaverat ".

§. V. Lex Evangelica prius voce tradita, & suscepta, quam scripta fuit.

Christus omnium primus hanc Legem promulgavit, eumque turbæ sequebantur; nullum tamen librum scripsit. Apostoli post mortem Christi hanc eamdem Legem manifestarunt, omnibusque servandam indixerunt, si æternam salutem consequi vellent. In hujus autem manifestatione Legis id Apostoli, Spiritu Sancto ducti, ejusque illustrati lumine, credi, & servari præcipiebant, quod vel viderant, vel a Christo audierant, & nullam scriptam Legem sibi datam proferre poterant. Primorum ergo Fidelium fides tota Traditioni innitebatur. Et quidem si *Actus Apostolicos* consulamus, hac nos de re dubitare non sinunt. Quid? Anne qui omnium primi Hierosolymis Christianam Fidem amplexi fuere, suam in aliqua scripta Lege assensionem reposuere, & non potius in iis, quæ a S. Petro dicebantur? " Qui ergo receperunt sermonem ejus, ba-
„ ptizati sunt; (ita *Actorum* cap. 2. v. 41.) & appositæ sunt in
„ die illa animæ circiter tria millia ". Et cap. 4. v. 4. " Multi
„ autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & fa-
„ ctus est numerus virorum quinque millia ". Cap. 8. v. 12. Samariæ quum " Credidissent Philippo Evangelizanti de re-
„ gno Dei: in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, & mu-
„ lieres ". Hæc profecto primorum Fidelium una omnium ratio fuit, ut iis crederent, quæ sibi, nulla scripta Lege, annuntiabantur, traditisque firmissime assentirentur.

§. VI. Apostoli potissimum fuere solliciti, ut Lex Evangelica sua opera in cordibus omnium insculperetur, non vero ut litterarum monumentis consignata remaneret.

Ad illud sane præstandum prope infinitos sine intermissione labores susceperunt, universum orbem peragrarunt, & ubique indixere ad salutem æternam consequendam fidem in Jesum Christum necessario requiri. Hac ratione Sanctissimi sui Magistri præcepto paruere, quo sibi mandatum habebant, ut euntes docerent omnes gentes. Ceterum ut litteris consi-

gnaretur, quod evulgabant in populos, curæ illis non valde fuit. « Neque curæ illis erat libros scribere (inquit Eusebius „ *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 24. (quippe qui longe præstantio- „ ri ministerio, & supra humanas vires posito fungerentur. „ Paulus certe, qui inter omnes Apostolos & verborum ap- „ paratu, & sententiarum pondere facile præstabat, præter „ paucissimas epistolas nihil omnino scriptum reliquit: ta- „ metsi innumera mysteria exponere potuerit, quippe qui ad „ earum rerum, quæ in tertio sunt cœlo, contemplationem „ pertigisset..... Sed & reliqui Servatoris nostri adjutores, „ duodecim videlicet Apostoli, & septuaginta Discipuli, alii „ denique præter eos innumerabiles, earumdem rerum mini- „ me expertes fuerunt. Soli nihilominus ex cunctis Domini „ Discipulis, Matthæus, & Joannes scriptos nobis rerum „ commentarios reliquerunt«.

Sanctus quidem Matthæus omnium primus Evangelium Hebraice scriptum promulgavit. At non statim ab initio sui Apostolici muneris id fecit, sed postquam multos Hebræorum in Christiana fide instituerat, & consilium inierat promulgandi Evangelium etiam Gentibus. « Matthæus (prosequitur Eu- „ sebius mox citato loco) quum Hebræis primum fidem præ- „ dicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evange- „ lium suum patrio sermone conscribens, id, quod præsen- „ tiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relin- „ quebat, supplevit«. Hoc autem non tam cito ab instituta Evangelii promulgatione contigit. Tradit enim S. Irenæus apud Eusebium *Hist. Ecclesiast.* lib. 5. cap. 8. Matthæum suum Evangelium Hebraice scriptum edidisse, « Dum Petrus, & „ Paulus Romæ Christum prædicarent, & Ecclesiæ fundamen- „ ta jacerent«. Id autem post plures ab instituta Evangelii promulgatione annos accidit,

S. Matthæi exemplum S. Lucas, & S. Marcus proxime sequuti fuerunt. S. Irenæus lib. 3. *Adversus Hæreses* cap. 1. num. 1. tradit post mortem Apostolorum Petri, & Pauli Evangelium ab illis conscriptum fuisse: tamen, vivente S. Petro, S. Marcum id præstitisse, ejusque Evangelium sua auctoritate

Petrum

Petrum comprobasse, ut in Ecclesiis legeretur, *Ecclesiasticæ Historiæ* lib. 2. cap. 15. Eusebius affirmat. S. Johannes ultimus omnium, quum Ephesi in Asia moraretur, Evangelium conscripsit, sicuti accepimus ab Eusebio *Ecclesiast.Hist.*lib.6.cap.14. Quo sane constat, S. Joannem id in sua senectute præstitisse, & postquam ubique fere terrarum Evangelium innotuerat. Nimis ergo manifestum est, Sanctos Apostolos sollicitos potissimum fuisse, ut sua opera Jesu Christi Evangelium ubique promulgaretur, non vero ut litterarum monumentis consignatum remaneret. Quod sane inde quoque evidentissime colligitur, quia statim ac S. Matthæus omnium primus suum Evangelium hebraice edidit, non curarunt, ut in alias quoque linguas transferretur, quemadmodum oportebat, si veram fidem in Jesum Christum, & observationem præceptorum ejus sine scripto consistere non posse arbitrati fuissent.

Illud tandem omittere non debemus, Symbolum Apostolicum, quod certum determinatumque earum veritatum numerum in se continet, quæ sunt nostræ fidei præcipua capita, quodque ipsi Apostoli composuerunt, antequam ab invicem separarentur (1), non curasse eosdem Apostolos, ut litterarum monumentis traderetur, sed voce tantum illud ubique terrarum promulgasse. Quo sane uno, quamvis multa ad id non suppeterent, nemo non intelligit, SS. Apostolos de promulgatione quidem Evangelicæ Legis potissimum fuisse sollicitos, non vero de scriptione ejus.

§. VII. Si Christianam Religionem sine scripto subsistere non posse, Apostoli putassent, neque recte, neque prudenter sese in Evangelii promulgatione gessissent.

Quod enim fundamenti loco habeatur oportet, est sane illud primo constituendum. Contra autem Apostoli fecissent, semel ac ponamus, putasse eos, Christianam Religionem sine scripto subsistere non posse. Ipsi enim in id potissimum incubuerunt, ut Lex Evangelica sua opera promulgaretur omnibus, non vero ut litterarum monumentis mandaretur (2).

Qua-

(1) Vide Natalem ab Alexandro in *Hist.Ecclesiast.* seculi 1. Differt. 12.
(2) Præced. §.

Quapropter aut vehementer optabant, aut nullo modo Apostoli solliciti erant, ut Lex Evangelica, quam cum tanto labore omnibus servandam indicebant, e cordibus hominum nunquam deleretur. Hoc sane esse, quod maxime cupiebant, neminem dubitare sinunt tam multa, quæ pro defensione ejus sustinuerunt. Repugnat autem hujus rei vehementi desiderio actos fuisse, & simul non curasse, ut Lex Evangelica litteris mandaretur, si eam sine scripto subsistere non posse putavissent. Unde si ille recte se gerit, qui non omittit, quod ad præintentum finem requiritur; inde consequitur Apostolos in Evangelii promulgatione se non recte gessisse, si putassent Christianam Religionem sine scripto subsistere non posse.

Neque etiam prudenter sese gessissent. Quandoquidem, uti monet S. Thomas 2. 2. qu. 47. art. 1., prudentiæ laus in eo posita est, ut demonstret quæ ad intentum finem conducunt, & simul faciat, ut iis utamur. Semel ac autem ponatur, Christianam Religionem sine scripto subsistere non posse, ex eo quod Apostoli singulariter non curassent, ut illa litteris mandaretur, in utroque defecissent; hoc est, iisdem secundum prudentiæ rationem neque novissent, neque adhibuissent illud medium, quod ad finem, quem sibi præstituerant, quam maxime conducebat. Nam, ut, abjecta superstitione, relictisque Judaicis ritibus, atque cæremoniis, omnes Legem Evangelicam amplecterentur, inque eorum animis perpetuo illa insideret, hoc vero est, quod sibi potissimum constituerant.

§. VIII. Sola Traditione apud multos semper substitit, nunc etiam subsistit, atque in posterum subsistet vera Lex Evangelica.

Vera profecto fuit eorum omnium fides, quos S. Petrus statim a receptione Spiritus Sancti baptizavit, postquam illos Religionem Christianam sola voce edocuerat: vera fides ceterorum, & hi sane non pauci fuerunt, qui Christianæ Religioni assensi fuere, antequam Lex Evangelica litteris ab aliquo mandaretur: vera fides aliorum multorum, qui post scriptam Legem Evangelicam nihil de ejus scriptione noverunt. Ne-

que enim statim ac Matthæus suum Evangelium hebraice, aut alii tres Evangelistæ græce scriptum ediderunt, Apostolis curæ fuisse legimus, ut in alias subinde linguas hæc Evangelia transferrentur, quibus tam multi eorum utebantur, quos in Christiana fide jam instituerant. " Apostoli non scripto tan-
„ tum (ita etiam Grotius *in Adnotatis ad Consultationem Cas-*
„ *sandri* ad art. 20. *De sufficientia Sacræ Scripturæ*, *& auctorita-*
„ *te Traditionum*) sed & ore docuerunt II. *Thessalon.* 11. 5.,
„ I. *Corinth.* 11. 2., & prius ore, quam scripto; sicut & Re-
„ ligio primorum seculorum sola Traditione propagata fuit;
„ & Jesus Christus ipse nec scripsit, nec scribendi præce-
„ ptum dedit, sed prædicandi. Et narrant Veteres apud Indos
„ Asiæ Ecclesias fuisse sine libris per centum annos ". Sequentibus quoque temporibus plurimorum, immo maximæ partis Christianorum fides sola Traditione substitit. Nam Fideles litterarum expertes semper fuisse longe plures iis, qui litteras nossent, nemo est, qui in dubium revocare possit. Traditio ergo tantum hujusmodi hominum fidem semper moderata fuit: quamvis enim suæ fidei assensionem in Deum uti in primam infallibilemque veritatem retulerint; tamen uti divinitus inspiratum habuerunt, quod tale esse a sui Pastoribus acceperunt. " Quid autem (inquit S. Irenæus lib. 3.
„ *Contra Hæreses* cap. 4. num. 1.) si ne Apostoli quidem Scri-
„ pturas reliquissent nobis, non oportebat ordinem sequi Tra-
„ ditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ec-
„ clesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbaro-
„ rum, eorum, qui in Christum credunt, sine charta, &
„ atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis
„ salutem, & veterem Traditionem custodientes, in unum
„ Deum credentes fabricatorem cœli, & terræ ". *Num.* 2.
„ Hanc fidem, qui sine litteris crediderunt, quantum ad
„ sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sen-
„ tentiam, & consuetudinem, & conversationem, propter
„ fidem, per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, con-
„ versantes in omni justitia, & castitate, & sapientia. Qui-
„ bus si aliquis annunciaverit ea, quæ ab hæreticis inventa
„ sunt,

„ sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longe longius fugiunt, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum Traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium est“.

Qua vero ratione hujusmodi hominum fidem traditio moderata fuit, semper quoque moderabitur. Nam nunc quoque plerique quid Sacræ Litteræ sint, non noverunt, sed quæ ex facta sibi institutione uti divinitus inspirata credenda esse intellexere, firmissime credunt; & quamvis in Deum inspirantem suam ultimo fidem referant, tamen ob sibi traditam doctrinam, Deo interius agente, id faciunt.

Et re quidem vera nonne apud eos quoque, qui Sacras Traditiones rejiciunt, eadem ratio servatur? Nam si de imperitis agamus, isti profecto nullum Sacrorum Librorum a Canonicis Scripturis sublatum volunt, Sacras Scripturas in pravum sensum non detorquent, pristinam fidei rationem in Catholicis mutatam esse non calumniantur, aliaque hujusmodi, quæ homines periti faciunt, ipsi non faciunt. Quod ergo sibi traditum est, tenent, profitentur errores, quos a suis Pastoribus combiberunt, eosque tuentur, atque qua sunt instituti ratione, ita omnino credunt. Sola ergo Traditione apud multos fidem semper substitisse, & nunc etiam subsistere, atque in posterum futurum, ut ea subsistat, neque etiam ii negare possunt, qui sacras Traditiones rejiciunt.

CAPUT III.

DE MULTIPLICI CAUSA SACRARUM TRADITIONUM.

§. I. Apostoli dum aliqua spectantia ad Legem Evangelicam sine scripto nobis tradiderunt, sui Sanctissimi Præceptoris exemplum sequuti fuere.

Christus nihil eorum, quæ docuit Apostolos, scripto tradidit. Hoc autem servavit non solum quando hic in terris mortalem vitam duxit cum eis, sed etiam postquam a morte redi-

redivivus, iisdem " Præbuit se ipsum vivum post passionem
„ suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens
„ eis, & loquens de regno Dei " (1); atque " Aperuit sen-
„ sum, ut intelligerent Scripturas " (2). Hanc vero rationem Christus tenuit & cum Apostolis, & cum Discipulis, immo cum omni quoque genere hominum. Discipulis namque euntibus Emmaus, atque inter se colloquentibus de his omnibus, quæ acciderant, Christus apparens, quæ de se a Moyse, & Prophetis prædicta fuerant, iis quidem explicavit, tamen suam explicationem neque ipse scripto tradidit, neque præcepit, ut ea scriberetur. Ante mortem vero suos omnes Discipulos, æque ac turbas, sola voce semper instituit. Quapropter dum Apostoli nonnulla, quæ ad Legem Evangelicam spectabant, voce tantum tradiderunt, sui Sanctissimi Præceptoris exemplum sequuti fuere; indeque nemo eos hac de re citra summam injuriam accusare potest.

§. II. Ut aliqua, voce tantum, non autem scripto, S. Apostoli traderent, ipsa Divinorum mysteriorum ratio postulabat.

Ut secretiora mysteria in vulgus efferantur, nulla sana ratio patitur: quæ enim in vulgus efferuntur, esse secretiora non possunt. Quemadmodum ergo in unaquaque recte instituta Republica id semper servatum fuisse novimus, ut non omnia, quæ ad ipsam pertinent, singuli cognoscant, sed quæ graviora sunt, ipsis tantum primatibus manifesta fiant, & vulgus ad cognitionem eorum, quæ Principatum respiciunt, nunquam admittatur; ita etiam Sancti Apostoli in institutione Christianæ Reipublicæ Pastoribus Ecclesiæ aliqua voce tantum tradiderunt, ut quæ in eisdem inerat, sacri mysterii ratio servaretur. " Quippe illud didicerant (inquit S. Basilius in lib.
„ *De Spiritu Sancto* cap. 27. num. 66.) mysteriorum reveren-
„ tiam silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non
„ initiatis, qui conveniebat horum doctrinam scriptis vulga-
„ ri? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moyses, qui
„ non omnia, quæ erant in templo, passus sit omnibus esse
„ pervia? Sed prophanos extra sacros cancellos statuit, ac
„ prio-

(1) *Actor.* ca. 1. v. 3. (2) *Lucæ* cap. 24. v. 45.

„ priora quidem atria purioribus permittens, Levitas solos „ dignos censuit Numinis ministerio ..... Ad eumdem profe- „ cto modum & qui ab initio certos Ecclesiæ ritus præscripse- „ runt Apostoli, & Patres in occulto silentioque mysteriis „ suam servavere dignitatem. Neque enim omnino myste- „ rium est, quod ad populares, ac vulgares aures affertur. „ Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sint, ne „ dogmatum notitia neglecta, vulgo venirent in assuetudi- „ nem".

§. III. Ethnicorum quoque habita ratione, convenientissimum erat, ut Sancti Apostoli voce tantum quædam secretiora traderent.

Primos Apologistas Christianæ Religionis si legamus, in eo quoque Ethnicos industriam suam posuisse comperiemus, ut ludibrio vulgo haberentur, quæ Majores nostri ad Dei cultum operabantur, quando religionis causa in unum locum congregati inter se conveniebant. Ad hanc calumniam depellendam duas edidit Apologias S. Justinus: satis est, ut quispiam eas legat, ne de hoc dubitare aliquo modo possit. " Jam vero (ita recte ad rem nostram Mamachius „ *Origin. & Antiquit. Christian.* lib. 1. cap. 2. §. 7.) quum Eth- „ nici esse alienos ab idolorum cultu Christianos cerne- „ rent, multaque iis objici audirent, quæ pietati erga „ Deum, atque homines, integritatique morum contraria „ esse viderentur; hoc sibi facile persuaserunt, consectari „ nostros *superstitionis* quoddam genus, quod quum inane, „ & recens, & malum, illorum quidem judicio, esset, „ tum est ab illis & *novum*, & *pravum*, & *immodicum*, & „ *exitiabile*, & *maleficum* appellatum. Cujus sane rei apud „ Svetonium (1), Plinium (2), atque Tacitum (3) vestigia „ reperiuntur". Quare si Apostoli omnia, quæ in administratione Sacramentorum servari debent, aliaque similia ad religionem pertinentia scripto tradidissent, majorem profecto occasionem inde Ethnici nacti fuissent calumniandi Christianam

(1) *In Neronis vita* cap. 16. (2) Lib. 10. epist. 97. (3) *Annalium* lib. 15. cap. 44.

ſtianam religionem, eamque de inani ſuperſtitione inſimulandi. Nam quum propter inanes rumores ſuperſtitiones non paucas Chriſtianis falſo Ethnici imputarent, ſi devenire in cognitionem tot ſacrorum rituum potuiſſent, qui nihil aliud, quam aliquid ſpirituale, repræſentant, a quo ipſi tam longe diſtabant; noſtra profecto gravius irriſiſſent. Hæc ergo occaſio ut eis amputaretur, nonnulla hujus generis ſola voce tradere Eccleſiæ paſtoribus, ſapientiſſime SS. Apoſtoli conſtituerunt.

§. IV. Inde etiam SS. Apoſtoli voce tantum nonnulla ſapientiſſime tradiderunt, ut ea in cordibus Fidelium facilius, atque fortius imprimerentur.

Quæ viva voce traduntur, & facilius in mente auditorum imprimi, & majorem vim ad perſuadendum habere, quam quæ ſcripta leguntur, nemo non novit. Nam quæ ſcripta ſunt, eam tantum vim retinent, quæ in modo ſcriptionis, atque in pondere rationum interius ineſt: quæ autem voce proferuntur, vim etiam, & efficaciam loquentis, vivamque exprimendi rationem ſibi adjunctam habent; quibus ſane audientis animus non ſolum facilius devincitur, ſed etiam quandoque frangitur. Hac ergo de cauſa Sancti Apoſtoli voce tantum nonnulla tradiderunt. Ita enim futurum videbant, ut in poſterorum animis facilius imprimerentur, fortius inhærerent, atque ab eis veluti quoddam fidei depoſitum, voce tranſmitterentur aliis, qui præfecturam in Eccleſia habituri eſſent. " Etenim ſi recondita my-
„ ſteria ſciſſent Apoſtoli (inquit S. Irenæus lib. 3. *Contra*
„ *Hæreſes* cap. 3. num. 1.) quæ ſeorſim, & latenter a reli-
„ quis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea,
„ quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim
„ perfectos, & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant
„ eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum lo-
„ cum magiſterii tradentes ".

§. V. Si ejus miniſterii ratio habeatur, quo Apoſtoli defungebantur, convenientiſſimum erat, ut oretenus tantum multa traderent.

Hæc

Hæc ergo erat ratio ministerii, quo Apostoli defungebantur: juxta mandatum Christi Domini Legem Evangelicam ubique promulgare sibi proposuerant, ejusque veritatem multis signis confirmare, ut ad eam amplectendam homines facilius inducerentur. Quapropter promulgationi quidem Evangelicæ Legis ex sui instituti ratione omnino intenti esse debuerunt, idque eos contendere oportebat, ut in omnem terram sonus eorum exiret: ceterum nulla illos ratio cogebat, si ad eorumdem ministerium attendatur, ut, omissa promulgatione Evangelicæ Legis, quodcumque a suo sanctissimo Præceptore didicerant, & a Divino Spiritu ad Fideles edocendos adigebantur, litterarum memoriæ mandarent, atque scriptionem verbi Dei promulgationi ejus præferrent, hoc est, munus minus præcellens præcellentiori anteponerent.

Deinde ut omnia scripto complecterentur, illud quoque requirebatur, ut in ipsas Sacras Litteras quædam commentaria ederent, quibus de vero germanoque earum sensu constaret. Quam multa enim sunt in Sacris Litteris, quæ malitia, & nequitia hominum in pravum sensum facile detorqueri possunt? quam plura, quæ si in uno sensu accipiantur, hæresim continent: si autem in altero, fidei dogma constituunt? Quare semel ac Sancti Apostoli omnia, quæ ad fidem spectant, scripto complecti sibi proposuissent, nimis multa oportuisset, ut scriberent: quod sane ab eorum officii ratione, qua & primi magistri, primique etiam promulgatores Evangelicæ Legis constituti erant, omnino abhorrebat. « Atque hinc patet causa gravissima, (ita sapientissime Canus *De Locis Theologicis* lib.3. cap.4.) cur Traditiones Apostolicæ fuerint necessariæ. Sensus enim Apostolicarum scripturarum, non erat ab Apostolis scripturis aliis explicandus, nisi ipsi in opera sua ederent commentaria, quod a viris gravissimis semper alienum fuit. Intelligentiam ergo Scripturæ Sacræ discipulis suis viva voce tradiderunt: ut illud Deus in suis Ecclesiis omni tempore impleret: *Dabo legem meam in visceribus eorum* ».

§. VI.

§. VI. Ex eo quod voce tradita magis obnoxia sint mutationi, quam scripta, nemo Sanctos Apostolos de imprudentia accusare potest, quia non omnia scripto tradiderunt.

Quamvis quæ sola voce tradita sunt, si humanæ dumtaxat providentiæ nitantur, facilius aut corrumpantur, aut interpolentur, aut etiam oblivione deleantur, quam scripta; tamen utrumque Divinæ providentiæ æque facile est, & voce tradita semper integra servare, & quæ scripta sunt efficere, ne aliquo modo mutentur, aut pereant. Ecclesiam autem semper futuram columnam, & fundamentum veritatis Apostoli certissime noverant, atque ab ipso Christo didicerant, tam sibi, quam suis successoribus semper adfuturum spiritum ejus. Nam Christus, quando eis præcepit, ut Legem Evangelicam ubique promulgarent, eorum animos, atque aliorum etiam, qui eisdem successuri erant, ita confirmavit *Matt.* cap. 28. v. 20. " Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi ". Hoc autem semel posito, anne interius convicti esse non debebant, nunquam futurum esse, ut ea Deus aut mutari, aut interpolari, aut omnino deleri permitteret; quæ ad ipsius Ecclesiæ fidem spectabant, sed sua bonitate, atque omnipotentia provisurum, ut istiusmodi omnia etiam voce tradita semper integra, atque incorrupta in Ecclesia servarentur? Quid? Nonne tota eorum officii ratio singulari quodam præcipuoque modo Dei providentiæ innitebatur? Ita sane: huic enim certissime confisi Evangelium ubique gentium promulgare aggressi fuerunt. Quapropter quæ voce traduntur, facile mutari, aut in oblivionem abire posse, Apostoli quidem viderunt; verum ea, quæ hac ipsi ratione relinquebant memoriæ posterorum, hujusmodi conditionem nunquam subitura esse, certissime noverant. Imprudentiæ ergo accusare sanctissimos viros, quia non omnia scripto tradiderunt, nullus nisi impudentissime potest.

CA-

CAPUT IV.

DE EA RATIONE, QUA NOBIS CONSTAT DE SACRIS TRADITIONIBUS.

§. I. SI quod dogma fidei Patres ab initio secundum successionem suorum temporum concordissime tenuerunt, ejusque contrarium uti hæreticum refutarunt, quod tamen ex Sacris Litteris non habeatur, illud nimirum Ecclesia ab Apostolica Traditione habet.

Neque enim tantorum, tamque præcellentium virorum summa pietas, & sanctitas, atque etiam maxima doctrina patitur, ut ab eis vel confictum credamus, quod uti divinitus inspiratum nobis tradiderunt, vel uti divinitus inspiratum habuerint, firmissimeque tenuerint, quod revera non erat. " Isti Episcopi sunt docti (ita quondam Augustinus „ agens de Traditione Patrum *Contra Julianum* lib.2. n.33.) „ graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona judici tribuisti, non potes invenire, „ quod spernas. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere, „ quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei „ placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus, atque regionibus, „ ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in unum „ locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, „ qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti „ judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto „ tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, „ quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac, & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam „ contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, unde „ nunc revelamini, apertissime, ac fortissime defenderunt.

„ Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia Plantatoribus, Ri-
„ gatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus cre-
„ vit ". Talibus, inquam, Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus Sancta Ecclesia crevit. Nam S. Ignatius Martyr, uti refert Eusebius lib. 3. *Ecclesiast. Hist.* cap.36. " Quum per Asiam sub accuratissima sa-
„ tellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civi-
„ tatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus, & co-
„ hortationibus suis confirmans, monebat in primis, ut sibi
„ a pravis hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc pri-
„ mum in lucem emergere quum cœpissent, copiosius pul-
„ lulabant. Hortatusque est, ut Apostolorum Traditionibus
„ tenaciter inhærerent: quas quidem ad certiorem poste-
„ ritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis man-
„ dare necessarium duxit ". Sanctus vero Polycarpus, sicuti a Sancto Irenæo apud Eusebium lib.5. *Ecclesiast. Hist.* cap.20. traditum accepimus. " De miraculis Domini, ac
„ de doctrina, prout ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspe-
„ xerant, acceperat, eodem prorsus modo referebat, & in
„ omnibus cum Scriptura Sacra consentiens. Hæc ego (in-
„ quit S. Irenæus) Divina mihi largiente clementia, tunc
„ studiosius audiebam, non in charta, sed in corde meo
„ audita describens: eademque per Dei gratiam assidue re-
„ peto, ac revolvo ". Lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 4. de Polycarpo hæc alia superaddit: " Et Polycarpus autem
„ non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum mul-
„ tis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam
„ in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Epi-
„ scopus ... hæc docuit semper, quæ ab Apostolis didice-
„ rat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera ". Hinc merito inquiebat, idem S. Irenæus cit. loco num.1. " Tra-
„ ditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifesta-
„ tam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera
„ velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apo-
„ stolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eo-
„ rum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque co-
„ gno-

„ gnoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita „ mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim, & latenter a re- „ liquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, „ quibus etiam ipsas Ecclesias committebant“. Num.2. affirmat usque ad sua tempora pervenisse “ In Ecclesia Ro- „ mana omnium Ecclesiarum maxima, & antiquissima eam, „ quæ est ab Apostolis, traditionem, & enuntiatam homi- „ nibus fidem per successiones Episcoporum“; qua sane, inquiebat: “ Confundimus omnes eos, qui quoquo modo, „ vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cœci- „ tatem, & malam sententiam, præter quam oportet, col- „ ligunt“. Recensita postmodum successione duodecim Romanorum Pontificum, hoc est a Petro usque ad Eleuterium num.3. ita concludit. “ Hac ordinatione, & successione, „ ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia Traditio, & veri- „ tatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissi- „ ma hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem „ esse, quæ ab Ecclesia in Apostolis usque nunc sit conser- „ vata, & tradita in veritate“. Quod ergo Apostoli fidei depositum voce tantum Ecclesiæ tradiderunt, illud a successoribus eorum receptum, custoditum, servatumque fuit, atque idem alii omni tempore præstiterunt, quos Ecclesia habuit sui Plantatores, Rigatores, Ædificatores, Pastores, atque Nutritores. Hoc vero tam præclaro munere SS. Patres in Ecclesia semper perfuncti fuerunt. Si quod ergo fidei dogma SS. Patres ab initio secundum successionem suorum temporum concordissime tenuerunt, ejusque contrarium uti hæreticum refutarunt, quod tamen ex Sacris Litteris non habeatur, id nimirum Ecclesia ab Apostolica Traditione habet.

Idem vero hoc Tertulliani argumento, ut alia omittam, magis magisque confirmatur: “ Age nunc (inquit „ ipse *De Præscription. Hæret.* cap. 28.) omnes erraverint: „ deceptus sit Apostolus de testimonio non reddendo: nul- „ lam respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem de- „ duceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a

„ Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei „ villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim „ intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos præ„ dicabat: ecquid verisimile est, ut tot, ac tantæ in unam „ fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est. „ Exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ce„ terum quod apud multos unum invenitur, non est erra„ tum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos er„ rasse, qui tradiderunt".

§. II. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, est illud revera fidei, quamvis, instituto judicio, ab Ecclesia id definitum non habeamus.

Quid intelligi debeat ejus judicii nomine, quod ab Ecclesia institutum esse, a quibusdam requiritur, ut quod fidei dogma communi consensione secundum successionem temporum Patres tradiderunt, ad fidem revera pertineat, est primo loco explicandum a nobis. Hoc ergo judicium juxta nostros contradictores, vel in ea totius Ecclesiæ definitione positum est, qua Præsules ejus in Œcumenica Synodo simul congregati, quid sit hæreticum, quidve hac, vel illa in re juxta doctrinam Christi, & Apostolorum sentiendum tenendumque sit, declarant, atque decernunt; aut in quadam singulari definitione, quæ prolata sit a pluribus Ecclesiæ Præsulibus simul in unum certo ordine, atque ratione congregatis: profecto semel ac de judicio Ecclesiæ, nulla adhibita distinctione, & exceptione sermo sit, illud sane intelligendum venit, quod Ecclesia fert in persona suorum Præsulum, qui universitatem ejus repræsentant. Talis vero congregatio Præsulum ante an. 325. nulla habita fuit: semel ac ergo ponatur, Ecclesiæ judicium requiri, ut revera fidei sit illud dogma, quod Patres ab initio secundum successionem suorum temporum concordissime tenuerunt, est inde sane consequens, ut usque ad an. 325. ea omnia dogmata dubia fuerint, quæ suum fundamentum in ipsa Traditione vel omnino habent, quia de iisdem nullo

modo

modo perspectum est ex Sacris Litteris, vel saltem præcipuum, quia in Sacris Litteris eo modo, quo in Traditione, illa expressa non habemus: qui ergo hoc toto intervallo temporis in hujusmodi dogmatibus errarunt, obstinateque contrario errori patrocinati fuerunt, hæresis accusari non poterunt. At vero Sanctus Irenæus (1), & una cum ipso tunc temporis Ecclesia, habuit ut hæreticos Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionitas, Nicolaitas, Tatianum, Gnosticos, Ophitas, Sethianos, Cajanosque; & S. Polycarpus, uti apud Irenæum lib.3. *Cont. Hæreses* cap.3. num.4. legitur „ Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti: *Cognoscis* „ *nos*? respondit: *Cognosco te primogenitum Satanæ*. Tantum „ Apostoli (sicuti S. Irenæus prosequitur) & horum disci„ puli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communi„ carent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quem„ admodum & Paulus ait (2): *Hæreticum autem hominem* „ *post unam correptionem devita, sciens quoniam perversus est,* „ *qui est talis, & a semetipso damnatus* ". Hi autem omnes longe ante an.325. rectæ fidei veritatem opprimere conati fuerunt, nullumque contra eos omnium Ecclesiæ Præsulum judicium latum fuit. Ecclesiæ ergo universale judicium non requiritur, ut revera fidei sit, quod a Patribus uti dogma fidei secundum successionem suorum temporum concordissime traditum accepimus.

Si autem nomine judicii ab Ecclesia instituti eam sententiam quispiam intelligat, quæ saltem a pluribus Ecclesiæ Præsulibus simul in unum legitime congregatis fertur; idem error semper consequitur, hoc est, multos eorum, qui non debebant, ab Ecclesia, & a Patribus uti hæreticos habitos fuisse. Rem istam hoc tantum exemplo (plura enim in medium afferri possent) nunc ostendamus. Seculo 2. una cum Ecclesia Irenæus, atque Tertullianus Marcionem, & sequaces illius uti hæreticos habuerunt, eosque, non aliter

(1) Lib. 1. *Cont. Hæreses* cap. 22. & seqq. (2) *Ad Titum* cap. 3. v.10.

aliter ac hæreticos, suis scriptis insectati fuere. Inter cetera vero isti illud quoque cum hæreticis eorum temporum commune habebant, ut Divinarum Scripturarum nonnullas rejicerent, alias vero detruncatas admitterent (1). Hoc autem Marcionitæ fecerant, ne de blasphemiis, quas contra Christi carnem proferebant, Sacrarum Scripturarum auctoritate convincerentur: „ His, opi-
„ nor, consiliis (ita Tertullianus Marcionem insectatur in
„ lib. *De Carne Christi* cap. 2.) tot originalia instrumen-
„ ta Christi delere, Marcion, ausus es, ne caro ejus pro-
„ baretur“. Profecto neque ex Sacris Scripturis determinari potest, uti nemini compertum non est, numerus librorum Canonicorum, neque ab Ecclesia ullo judicio vel multorum, vel paucorum, definitum illo tempore habebatur, esse divinitus inspirata, quæ Marcion vel omnino rejiciebat, vel mutilata admittebat: nullum ergo aliud principium supererat, quo hoc de errore refelleretur, atque ita etiam de multis aliis convinceretur, si tamen, uti hæretici faciunt, ad falsas interpretationes non recurrerent, nisi ipsa Traditio. Hæc vero est, qua Tertullianus contra eum usus fuit, ipsumque Christiano nomine indignum esse ostendit, nisi cum Apostolis sentiret, atque hac in re amplecteretur, quod traditum erat. Postquam ergo illi objecit, Sacræ Scripturæ libros integros e medio sustulisse, nonnullos autem interpolasse, ne caro Christi probaretur, ita eumdem aggreditur: “ Ex qua, oro te,
„ auctoritate? Si Propheta es, prænuntia aliquid: si Apo-
„ stolus, prædica publice: si Apostolicus, cum Apostolis sen-
„ ti: si tantum Christianus es, crede quod traditum est: si ni-
„ hil istorum es, merito dixerim: morere: nam & mortuus
„ es, qui non es Christianus: qui quum fuisses, excidisti,
„ rescindendo quod credidisti. Non tamen quia credere de-
„ siisti, recte rescidisti, atque in rescindendo quod credidisti,
„ probas, antequam rescinderes, aliter fuisse quod credidi-
„ sti. Aliter illud, ita erat traditum: porro quod traditum
„ erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tra-
„ dere.

(1) Vide S. Irenæum lib. 1. *Cont. Hæreses* cap. 27. num. 2.

„ dere. Ergo quod erat traditum, rescindens, quod erat ve-
„ rum, rescidisti. Nullo jure fecisti “. Quod ergo tunc unanimi consensione traditum erat, ut fidei dogma certum, atque determinatum Tertullianus, & Ecclesia illius temporis habuit, quamvis illud nullo prorsus Ecclesiæ instituto judicio definitum esset, & contra sentientes inter hæreticos recensuit. Hoc autem injuria fecisset, si quod est dogma fidei unanimi consensione traditum a Patribus, revera illud fidei esse censeri non debeat, quoad usque suum de ea judicium Ecclesia non protulerit.

At vero pestes illæ omnes seculi 2., hoc est, Basilidiani, Saturniani, Gnostici, Marcionitæ, Montanistæ, Encratitæ, quonam tandem modo, quave ratione uti hæretici condemnati, atque ab Ecclesia ejecti fuere ? An fortasse id contra eos Ecclesia, instituto judicio, fecit ? verum seculo 2. aliquod concilium ad judicium istud ferendum, vel a multis, vel a paucis Ecclesiæ Præsulibus simul congregatis celebratum fuisse, memoriæ posteriorum traditum non habemus. Scripturarum Sacrarum auctoritate fortasse refutati, atque convicti fuerunt ? Fateor quidem Patres non solum seculo 2., sed etiam sequentibus auctoritatem Divinarum Scripturarum hæreticis sæpe objecisse, iisdemque eos de suo errore contra fidem convincere contendisse, & quandoque etiam falsa illa interpretatione, quam Sacris Litteris hæretici dabant, quod sibi proposuerant, evicisse (1) : attamen semper ut hæreticos illos habuerunt, qui non recipiebant omnes Sacros Libros, qui tunc communi consensione Ecclesiarum recipiebantur, quamvis de Divinitate illorum ex ipsa tantum Traditione constaret, nullo autem modo ex aliquo judicio Ecclesiæ vel universali, vel particulari.

Neque, quis reponat, hoc non obstare, quin Sancti Patres ex illis Sacris Scripturis, quas hæretici recipiebant, errorem illorum refutaverint, indeque eos ab Ecclesia expulerint, ac propterea ullo sine adjumento Traditionis rem totam contra illos confecerint : nam Traditio sane illa fuit, qua Mar-

(1) Vide S. Irenæum lib.4. *Cont. Hæreses* cap.25. num.1.

Marcionitas Tertullianus pressit, sicuti modo animadvertimus: Traditione omnino confutari hæreticos, ita ut nullum amplius subterfugiendi locum habeant, S. Irenæus lib.3. *Cont. Hæreses* cap.3. affirmavit. Quid? Nonne ad refellendos hæreticos Traditio necessaria est, quamvis contra eos quibusdam Sacris Scripturis uti possimus, quæ & ab iisdem quoque admittuntur? " Hæresis (inquit Tertullianus in lib. *De Carne Christi* cap. 17.) non recipit quasdam Scripturas: & si quas
" recipit, non recipit integras, abjectionibus, & detractio-
" nibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si aliqua-
" tenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones
" commentata convertit. Quid promovebis, exercitatissime
" Scripturarum, quum, si quid defenderis, negetur, ex di-
" verso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil
" perdes nisi vocem in contentione: nihil consequeris nisi
" bilem in blasphemia. Ille vero, (inquit cap. 18.) si quis
" est, cujus causa in congressum descendis Scripturarum, ut
" eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis hæreses
" deverget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovis-
" se, æquo gradu negandi, & defendendi adversa parte, statu
" certe pari, altercatione incertior discedat, nesciens quam
" hæresim judicet". Ex quibus cap. 19. ita colligit: " Ergo
" non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituen-
" dum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria
" est, aut par incertæ. Nam etsi non ita evaderet collatio
" Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo
" rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum di-
" sputandum est: quibus competat fides ipsa? cujus sint Scri-
" pturæ? a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradi-
" ta disciplina, qua fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit es-
" se veritatem & disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit ve-
" ritas Scripturarum, & Expositionum, & omnium Traditio-
" num".

Hæc vero quum ita se habeant, mirandum non est, si S. Augustinus Pelagianos obtrudentes credendum non esse simplicibus Episcopis, qui non sint in Synodum simul congregati,

gati, ita refellit lib. 5. *Contra Julianum* cap. 6. " Quid est er-
„ go, quod dicunt? *Simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est*? Nunquid
„ beatissimis, & in fide Catholica excellentissimis viris, Cypriano, & Ambrosio, ante istos adversus istos extorta subscriptio est: qui eorum impia dogmata tamen manifestatione
„ subvertunt: ut quæ contra eos manifestiora dicamus, vix
„ nos invenire possimus? Aut vero congregatione Synodi
„ opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla
„ hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit:
„ quum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multæque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, ibi improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras evitandæ innotescere potuerunt ". Hac eadem de re agit Sanctus Doctor lib. 2. *Oper. Imperfecti contra Julianam* cap. 37., atque affirmat, tantum abesse, ut ullo examine, aut definitione opus sit ad hæresim Pelagianam condemnandam, ut ad id omnino sufficiat consensio Ecclesiæ Pastorum, qui tum ante Pelagium, tum ejus tempore vixerunt: " Quid adhuc (inquit) calumniaris, conviciaris, tergiversaris? Si in concilio, cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus,
„ Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut alios taceam, nunquid doctiores,
„ prudentiores, veraciores Judices quærere auderes? Ipsi
„ contra dogmata vestra clamant; ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant. Quid quæris amplius? Hoc jam in primo, & in secundo librorum meorum docui, quos contra
„ tuos quatuor ego sex edidi ". Ad hæc alia quoque superaddere possemus: verum satis multa sunt, quæ usque modo protulimus, iisque omnino confectum arbitramur, quod in nostra propositione proposuimus.

Nemo tamen ex his inferat, frustra ab Ecclesia, instituto judicio, contra eos quoque errores, qui unanimi, atque evidenti Traditioni Patrum adversabantur, latam fuisse sententiam. Id enim factum ab Ecclesia fuit, tum ut incautis, atque

atque imperitis, qui subesse poterat de veritate rei, omnis dubitandi locus auferretur, tum ut Catholica veritas magis magisque confirmaretur, tum etiam ut hæreticis ea omnis subterfugii occasio sublata esset, quam inde accipere fortasse poterant, quod nullo publico Ecclesiæ judicio condemnati essent. " Hac regulam (hoc est præscriptionis „ inquit Tertullianus in lib. *Adver. Praxeam* cap. 1.) ab initio Evangelii decucurrisse etiam ante priores quosque „ hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit „ tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxææ hesterni. Quo peræque adversus universas hæreses jam præjudicatum sit: id esse verum, quodcumque primum: id esse adulterum, quodcumque posterius: sed salva ista præscriptione, utique tamen propter instructionem, munitionem quorumdam, dandus est „ etiam retractatibus locus, vel ne videatur unaquæque perversitas non examinata, sed præjudicata damnari ".

Si autem de aliquo dogmate agatur, quod multis seculis a non paucis Scriptoribus in dubium revocatum fuerit, & de quo præcipuorum, non sane paucorum, Patrum tam involutæ, atque implicatæ sententiæ sint, ut non facile cognosci possit, quid senserint; tunc certe judicium instituendum est, loca Divinarum Scripturarum expendenda, consulenda Traditio, ac demum Ecclesiæ auctoritate definiendum, quid ea de re Sacra Scriptura, atque Traditio ferat (1).

§. III. Auctoritati communis Traditionis Sanctorum Ecclesiæ Patrum nihil inde derogatur, quod aliqui eorum in quibusdam non consentiant cum ceteris.

Hujus rei veritas ut manifeste perspiciatur, illud adverti debet, quemadmodum Melchior Canus lib. 7. *De Locis Theologicis* cap. 3. sapientissime monuit, exceptis Canonicis Scriptoribus, neminem alium fuisse, qui labi non potuerit. Unde mirandum non est, si aliquando etiam non-

(1) Consulatur Mamachius in Opere: *De Animabus Justorum in sinu Abrahæ &c.* lib. 1. cap. 2. §. 1. & seqq.

nonnulli Sanctorum Patrum lapsi fuerunt, atque contra communem Traditionem sensere, immo auctoritate Traditionis falso ducti ipsam Traditionem oppugnarunt. Nam S. Cyprianus ab hæreticis baptizatos iterum baptizandos esse, quando ad Ecclesiam Catholicam redirent, acriter defendens, illud ulla sine dubitatione reponebat, sententiam suam non esse *novam*, sed *jampridem ab antecessoribus statutam* (1), *religiosam*, & *legitimam*, & *salutarem*, *fidei*, & *Ecclesiæ congruentem* (2); contra oppositam vocavit *humanam traditionem*, quæ Divinæ dispositioni adversaretur (3). Tamen quamvis Cyprianus ita sentiret, atque Agrippini sui prædecessoris auctoritate niteretur; licet plurimorum Episcoporum coactis Carthagine Synodis hoc idem confirmatum esset; etsi Cypriano Firmilianus Cæsaræx Episcopus assentiretur (4), atque in Phrygia provinciæ Asiæ Concilia Iconiense, & Synnadense celebrata essent, in quibus plurimorum consensione Episcoporum declaratum fuerat, baptizatos ab hæreticis non sine altero baptismate in Catholicam Ecclesiam recipi debere; universa tamen Ecclesia semper sequuta est sententiam S. Stephani Summi Pontificis juxta Patrum Traditionem ita definientis (5): " Si quis ergo a ,, quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi ,, quod traditum est, ut manus illis imponantur in pœni- ,, tentiam ". Qua de caussa S. Augustinus lib. 3. *Cont. Donatistas* num. 2. & seq., lib. 5. num. 30. hoc idem semper adstruxit, scilicet rebaptizandos non esse hæreticos, semel ac, quæ debet, Traditionis ratio habeatur.

Et re quidem vera communem Traditionem, cui S. Stephanus innitebatur, Agrippini, & Episcoporum Africanorum sub Agrippino, Cypriani Synodorumque Carthaginensium sub Cypriano, Firmiliani Episcopi Cæsariensis, & Synodorum Iconiensis, atque Synnadensis contraria opinione aliquid detrimenti non accepisse adeo certum est, ut S. Augustini

(1) In epist. Synodica apud S. Cyprianum 70. (2) Epist. 71. (3) Epist. 74. (4) Inter S. Cypriani epist. 75. (5) Apud S. Cyprianum epist. 74., & Vincentium Lirinens. in *Commonit.* cap. 9.

gustini ætate communi consensione omnium firmata illa esset, & a nemine, quin religionis reus evaderet, negari posset. " De baptismi ergo quæstione (inquit S. Augustinus lib. 1. *De Baptismo Cont. Donatistas* num. 27.) jam, quantum arbitror, satis disserui: & quia hoc manifestissimum schisma est, quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat, ut de hoc baptismate pie credamus, quod universa Ecclesia a sacrilegio schismatis remota custodit ". Lib. autem 2. num. 2. affirmat, " Quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum " esse, illudque Donatistis semper opponit, quod " Si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in unitate servanda, quam in Ecclesiæ consuetudine immutanda (1) ". Communem vero Ecclesiæ fuisse consuetudinem, iterum non baptizare eos, qui ab hæreticis baptizati erant, dum in Ecclesiam Catholicam sese recipere illi volebant, ex verbis S. Cypriani S. Augustinus colligit lib. 2. *De Baptismo Cont. Donatistas* num. 14. " Hanc autem (inquit) fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea, multis discussis ambagibus, perspecta veritate, plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur ex ipsius S. Cypriani verbis in eadem ad Jubajanum epistola, quæ in Concilio lecta commemoratur. Ait enim: *sed dicit aliquis: quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt?* Ubi certe quid fieri soleret, etsi non fieri vellet, satis ostendit ". Et num. 12. " Nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia ... Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem ... Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum, dicit S. Cyprianus, quasi cœpisse corrigi. Sed, sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, " ve-

(1) Lib. 2. *Cont. Donatistas* num. 14.

„ verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non „ corrigi ". Etiam S. Hieronymus in *Dialogo cont. Luciferianos* cap.9. ad antiquam hac de re Ecclesiæ consuetudinem contra Hilarium Diaconum Luciferianum appellat, atque id quidem auctoritate scriptorum S. Cypriani facit : „ Quod si negandum (inquit) quispiam putaverit, hæreti- „ cos a majoribus nostris semper fuisse susceptos ; legat „ B. Cypriani epistolas, quibus Stephanum Romanæ urbis „ Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem: „ legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de hæ- „ reticis rebaptizandis edidit : & ibi reperiet, ipsum Hila- „ rium confiteri a Julio, Marco, Sylvestro, & ceteris ve- „ teribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hære- „ ticos susceptos ". Communis ergo Ecclesiæ Traditio semper fuit, ut hæretici Catholicæ communioni adscribi volentes non rebaptizarentur, semel ac verum in hæresi baptisma suscepissent: unde mirandum non est, si contra eam Agrippino, & Episcoporum Africanorum sub Agrippino, Cypriani Synodorumque Carthaginensium, Firmiliani Episcopi Cæsariensis, & Synodorum Iconiensis, ac Synnadensis auctoritas non prævaluit. Nam, uti etiam Vincentius Lirinensis in suo *Commonitorio* cap. 3. tradidit, tunc tenemus, quod omnes crediderunt, " Si in ipsa vetustate om- „ nium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & Ma- „ gistrorum definitiones sententiasque sectemur ". Si autem eos, qui hæreticos rebaptizandos non esse omni tempore senserunt, cum S. Cypriano, atque aliis ejusdem cum Cypriano opinionis conferantur, sententiam illorum pene omnium fuisse dicendum est. Ex iis ergo, quæ in hac controversia contigerunt, unicuique compertum esse potest, auctoritati communis Traditionis SS. Patrum nihil inde derogari, si aliqui Patres contra senserint.

§. IV. Hoc idem confirmatur altero facto, quo contra auctoritatem Traditionum utuntur illarum oppugnatores.

Nonnullos itaque Patres, & quidem diversis Ecclesiæ temporibus, putasse animas justorum, licet iis nihil pœnæ in

in altera vita luendum supereſſet, non ſtatim poſt mortem donari viſione Dei, a nemine dubitari poteſt. Ut enim de Papia dicere omittam, qui, uti refert Euſebius lib. 3. *Eccleſiaſt. Hiſt.* cap.39., *ex male intellectis Apoſtolorum narrationibus* Chriſtum poſt ultimi judicii diem mille annos cum ſuis Sanctis in terris eſſe regnaturum poſuit, S. Juſtinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone* num.80., S. Irenæus lib.5. *Cont. Hæreſes* cap.31., Tertullianus lib.3. *Adverſus Marcionem* cap.3., S. Victorinus Petabionenſis Epiſcopus, uti teſtatur S. Hieronymus *Comment. in Ezechielem* lib.11. cap.36., Lactantius *Divin. Inſtitut.* lib.7. cap.24. & 26., & Severus Sulpitius in *Dialogo*, quem Gallio inſcripſit, quemadmodum idem Hieronymus fidem facit, ejus ſententiæ fuerunt, ut putaverint, viſionem beatificam differri uſque ad ultimi judicii diem. Neque alii Patres deſunt, qui apud nonnullos in hujuſmodi ſuſpicionem erroris venerint. Verum enimvero communis Traditio Patrum omnium ſeculorum, qua certiſſime retentum fuit, animas juſtorum ſtatim poſt mortem pertingere ad viſionem Dei, ſemel ac eis nihil pœnæ luendum in altera vita ſuperſit, ſemper firma ſubſtitit, & etiam totius Eccleſiæ definitione confirmata fuit. Nam quamvis primis Eccleſiæ ſeculis nonnulli Patrum non ſtatim a morte etiam hujuſmodi juſtos viſione beatifica donandos eſſe cenſuerint; non defuere tamen alii Sancti Patres, & quidem numero longe plures, qui contrariam ſententiam docuerunt. Nam 1. ſeculo S. Clemens in ſua 1. epiſtola *ad Corinthios* num.5. tradit, S. Petrum effectum Martyrem *diſceſſiſſe ad debitum gloriæ locum*, & Sanctus Ignatius in epiſtola *ad Romanos* num.4. rogat eos, ut ſinant ſe fieri eſcam ferarum, quia ita licet *Deum adipiſci*, *& purum lumen haurire*. Seculo 2. Catholicam veritatem diſerte tradiderunt Sanctus Polycarpus in epiſtola *ad Philippenſes*, & ejus Eccleſia Smyrnenſis apud Euſebium lib.4. *Hiſt. Eccleſiaſt.* cap. 15., ac Athenagoras in *Legatione pro Chriſtianis* num. 31. In vetuſtiſſimis autem Actis S. Symphoroſæ, quæ martyrium ſubiit anno Chriſti 120. virum ejus Getulium, & Amantium

tium fratrem hæc Hadriano dixisse leguntur apud Ruinartium pag. 20. " Elegerunt enim magis decollari, quam vinci, „ passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta inter ho- „ mines terrenos quidem ignominiam eis peperit tempora- „ lem, inter Angelos vero decus, & gloriam sempiternam: „ inter quos nunc gradientes, & trophæa passionum suarum „ dantes cum æterno Rege vita æterna fruuntur in cœlis ". Seculo 3. Apostolicæ Traditionis assertores fuerunt S. Clemens Alexandrinus lib. 5. *Stromatum*, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. *Ecclesiast: Histor.* cap. 22., Origenes lib. 3. *Periarchon* num. 6., & lib. 6. *Contra Celsum* num. 5., & præter alios S. Cyprianus in *Exhortat. Martyrii* num. 12. inquiens: " Quanto potior, & major est gloria, victo diabo- „ lo, ad Paradisum triumphantem redire, & unde Adam „ peccator ejectus est, illuc, prostrato eo, qui ante dejece- „ rat, trophæa victricia reportare? offerre Deo acceptissi- „ mum munus, incorruptam fidem, virtutem mentis inco- „ lumem, laudem devotionis illustrem? ..... Cohæredem „ Christi fieri? Angelis adæquari "? Quæ autem istorum, eadem quoque & sequentium temporum Patrum sententia fuit. Nam Sanctos Ambrosium, Augustinum, & Bernardum non consensisse eis, qui animas justorum non statim a morte beatifica visione Dei frui volebant, etiamsi nihil illis expiandum superesset, nullus æquo jure dubitare potest (1). Quapropter mirandum non est, si in Ecclesia, etiam de hoc dogmate vera fides semper prævaluit, habitumque pro certo fuit, animas justorum statim post mortem, semel ac eis nihil luendum supersit, ad Dei visionem pertingere. Hoc vero est, quod definierunt Sum. Pont. Benedictus XII. in *Extravaganti Benedictus Deus*, Patres Concilii Florentini sess. ult. in *Decreto unionis*, & Tridentini sess. 25. Ex his vero omnibus magis magisque comprobatum manet, quod nos modo volumus, hoc est, auctoritati communis Traditionis Sanctorum Ecclesiæ Patrum nihil inde derogari, quia aliqui eorum contra quandoque censuerint.

§. V.

(1) Consulatur Bertius *De Theolog. Disciplinis* lib. 3. cap. 10.

§. V. Quod in expositione Sacrarum Scripturarum SS. Ecclesiæ Patres unanimi consensione docuerunt, ad Divinam illud Traditionem procul dubio pertinet.

Recte animadversum a Melchiori Cano fuit lib. 7. *De Locis Theologicis* cap. 3., " Scripturam Sacram pro ipsa sui & „ altitudine, & obscuritate non uno eodemque sensu omnes „ accipere, sed aliter atque aliter, alium atque alium inter- „ pretari, ut pene quot homines, tot illinc sententiæ erui „ posse videantur. Aliter namque illam Novatus, aliter Sabel- „ lius, aliter Arius, aliter Donatus exponit. Quocirca ne- „ cesse est, ut propheticæ, & Apostolicæ interpretationis li- „ nea propter tam varios erroris amfractus secundum nor- „ mam aliquam dirigatur ". Hoc enim si non habeamus, quoad multa, immo quoad maximam partem eorum, quæ in Sacris Litteris continentur, in perpetua omnes fluctuatione versabimur. Divinæ igitur Providentiæ fuit, ut hac de re semper in Ecclesia certa regula superesset, quam dum sequeremur, periculo errandi amplius obnoxii non essemus. Hæc autem regula si unanimis expositio, & intelligentia Patrum non sit, nulla sane àlia esse potest. Nam Ecclesia in sui initio, atque prima progressione hanc tantum habuit, unam istam solummodo etiam sequentibus temporibus retinuit, dum ejus Præsules in unum congregari cœperunt. Nam Pontifices, atque Concilia dum de sensu aliquorum Sacræ Scripturæ locorum definiunt, non confidunt in singulari quadam illustratione, qua Deus in hunc, aut alterum modum, hæc, vel illa Sacræ Scripturæ oracula intelligenda esse, sibi supernaturaliter revelet, sed in ea, qua assequantur, quid de illis vera Ecclesiæ Traditio habeat. Hæc autem in Patrum unanimi consensione manifestatur: nam traditum non esse Ecclesiæ non potest, quod Patres unanimi consensione etiam in expositione Sacrarum Scripturarum tradiderunt. Hæc igitur est ea regula, quam suæ Deus Ecclesiæ providit, quamque dum sequimur, nullo amplius errori in expositione Sacrarum Scripturarum obnoxii esse possumus.

Hanc vero regulam sequuti Summi Pontifices, sequuta Con-

Concilia fuerunt. Quum enim quæstio esset de intelligentia illorum verborum S. Joannis (1): *Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum mortuum &c.* Clemens V. in Viennensi Concilio, in hunc modum sententiam tulit (2): " Nos igi„ tur ad tam præclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum, „ & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considera„ tionis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem „ convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus, præ„ dictum Apostolum, & Evangelistam Joannem rectum in „ in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quod „ Christo jam mortuo, unus militum lancea latus ejus ape„ ruit ". In Synodo VI. Generali Act. 11. damnati fuere Origenistæ, quia novas expositiones Sacræ Scripturæ introducere conarentur contra *Apostolicam*, & *Paternam Traditionem*, ut constat ex epistola Sophronii in eadem Act. 11. lecta, & in Actione 13. probata (3). Synodus Trullana can. 19. in hunc modum hac de re statuit (4): " Quod oportet eos, qui præ„ sunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed præcipue „ Dominicis, omnem Clerum, & Populum docere pietatis, „ & rectæ religionis eloquia, ex Divina Scriptura colligentes „ intelligentias, & judicia veritatis: & non transgredientes „ jam positos terminos, vel Divinorum Patrum traditionem. „ Sed etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua exci„ tata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomo„ do Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposue„ runt ". Leo X. in V. Lateranensi Concilio mandavit omnibus (5), " Ut Evangelicam veritatem, & Sanctam Scriptu„ ram juxta declarationem, interpretationem, & ampliatio„ nem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus appro„ bavit, legendosque hactenus recepit, vel in posterum re„ cipiet, prædicent, & explanent: nec quidquam ejus pro„ prio sensui contrarium, aut dissonum adjiciant, sed illis „ semper insistant ". S. Clemens Alexandrinus *Stromatum*

(1) Cap. 19. v. (2) Clement. *De Summ. Trinit.* cap. unico.
(3) Tom. 3. Concil. Edit. Hard. colum. 1282. (4) Ibid. col. 1667.
(5) Tom. 9. Concil. ejusdem edit. colum. 1808.

lib. 7. num. 16. poſtquam tradidit, regula veritatis eſſe illos deſtitutos, qui Sacras Scripturas contra Eccleſiaſticam traditionem interpretantur, de hæreticis hæc ſuperaddit: “ Gloriæ autem tenentur deſiderio, qui ea, quæ conveniunt „ ſermonibus divinitus inſpiratis, tradita a Beatis Apoſtolis, „ & Magiſtris, voluntarie eludunt per alias argumentationes, „ humanis doctrinis reſiſtentes Divinæ Traditioni, ut hære„ ſim conſtituant “. Divinæ, inquam, Traditioni reſiſtentes, quemadmodum ex loco Apoſtoli Pauli *Epheſior.* cap. 4. v. 11. & ſeqq., ut alia omittam, aperte colligitur: “ Et ipſe „ dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, „ alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, „ ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in „ ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes „ in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfe„ ctum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; ut jam „ non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni ven„ to doctrinæ in malitia hominum, in aſtutia ad circumven„ tionem erroris “. Hæc vero omnia Melchior Canus citato loco expendens, ita recte colligit: “ Ex his itaque verbis „ plane intelligitur, Divinæ Providentiæ fuiſſe, ut non ſolum „ Prophetarum, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum Codices „ haberemus, verum etiam Sanctorum Doctorum in illos „ commentaria. Ob eam enim certe cauſam, poſt Prophe„ tas, Apoſtolos, & Evangeliſtas, Eccleſiæ a Chriſto Docto„ res dantur, ut illorum Sacros hi Libros interpretentur. „ Hos ergo in Eccleſia Dei divinitus per tempora, & loca pro„ curatos, quiſquis in Scripturæ ſenſum eumdem conve„ nientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum: „ a quo in id illi fuere deſtinati, ut populum Chriſtianum Sa„ cras Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarumque Lit„ teras edocerent. Quod ſi Sancti omnes, dum illas inter„ pretarentur, errarunt, Deo auctore, erraret Eccleſia; „ quum Doctores ſibi a Chriſto datos ſequeretur, & in Sa„ crorum Codicum intelligentia eorum veſtigiis inſiſteret “. Ad Divinam ergo Traditionem illud quoque pertinere, quod

SS. Pa-

SS. Patres in expositione Divinarum Scripturarum unanimi consensione docuerunt, nullus superest dubitandi locus.

§. VI. Ea certitudo non minuitur, quam communis consensio Sanctorum Patrum in se habet in expositione Divinarum Scripturarum, quamvis aliqui Patres, in hujus, vel illius explicatione loci non convenerint.

Sicuti quod supra §. 3. constituimus, ita hoc quoque evincitur tum ex illa contentione, quæ quoad baptismum datum ab hæreticis inter plures Africanos Antistites, & Sanctum Stephanum Papam exarsit, tum ex ea opinione nonnullorum Patrum, qui putarunt visionem beatificam differri justis usque ad extremi judicii diem, quamvis iisdem nihil pœnæ in altera vita luendum superesset. Nam S. Cyprianus, & cum eo Africani Antistites nimis multa loca Sacræ Scripturæ pro sua sententia in medium proferebant, uti ex epistola 70. & 71. S. Cypriani compertum habemus. Ea autem loca diverso sensu, ac Cyprianus acceperat, intelligenda esse, & Patrum communis Traditio declaravit, & S. Augustinus in libris De Baptismate contra Donatistas, & potissimum lib.3. num.21., ex auctoritate Majorum evidenter adstruxit.

Error quoque Millenariorum suum fundamentum habuit in falsa interpretatione nonnullorum Sacræ Scripturæ locorum. Ut enim de aliis sileamus, S. Irenæus lib.5. *Contra Hæreses* cap. 32. suam sententiam ex Apostolo *Roman.* cap.8. v.19., & ex promissione Abrahamo facta *Genesis* cap. 13. confirmavit. Cap. 33. ejusdem libri idem subinde adstruere persistit ex *Matthæi* cap.26. v.27: & seq., *Lucæ* cap. 14. v.12. & 13., ac ex aliis Veteris Testamenti locis. Cap. 34. adhuc ulterius rem eamdem ostendere aggressus fuit ex capite *Isaiæ* 26. v.19., *Ezechielis* cap.37. v.12., *Jeremiæ* cap.28. v.7., ac tandem cap.35. nonnulla alia loca ex Isaia, Jeremia, & Apocalypsi Joannis citavit. At vero de utroque doctrinæ capite, hoc est, & de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerant, & de beatifica visione post mortem non differenda iis justis, quibus nihil luendum supererat, semper ex communi Traditione constitit,

atque apud Ecclesias certum omnino fuit, etiam secundum unanimem expositionem factam a SS. Patribus de iis Sacræ Scripturæ locis, quæ Rebaptizantes, & Millenarii pro se afferebant. Quibus sane compertum abunde fit, nihil de ea certitudine tolli, quam in se habet communis consensio Patrum in expositione Sacræ Scripturæ, quamvis aliqui in eam Patres non consenserint.

§. VII. Quod non constat ex Sacris Litteris, & tamen Ecclesiæ Catholicæ consensio credendum proponit, ex Divina Traditione illud derivatum fuisse censendum est.

„ Ecquid verisimile est (inquit Tertullianus in lib. *De „ Præscrip. adversf. Hæreticos* cap.27. eos refellens, qui Ec„ clesias in errorem inductas esse effutiebant) ut tot, ac „ tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos even„ tus unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ec„ clesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, „ non est erratum, sed traditum ". Et re quidem vera, quod consensio omnium Ecclesiarum Catholicarum credendum proponit, nonnisi ab uno principio, cui nulla Ecclesia non assentiri deberet, profluxisse debuit. Quodnam vero tandem esse potuit hujusmodi principium, nisi illud, a quo primum Ecclesiæ Apostolicæ institutæ, & ceteræ deinde propagatæ fuere? Hinc est, ut Sancti Ecclesiæ Patres ab unitate fidei veritatem Ecclesiæ Catholicæ repetendam esse censuerint (1), & Tertullianus in eodem lib. cap.21. ex unitate doctrinæ ostendit, quod nos tenemus, ex Traditione Apostolorum ad nos devenisse: " Superest ergo, ut „ demonstremus, (inquit) an hæc nostra doctrina, cujus re„ gulam supra edidimus, de Apostolorum Traditione cen„ seatur, & ex hoc ipso, an ceteræ de mendacio veniant. „ Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli do„ ctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis ". At vero fidei doctrinæque unitas in consensione omnium Ecclesiarum, quæ aliquid credendum proponant, quam maxime sese pro-

(1) Vide Mamachium in Opere *De Sancto. Vet. Testam. ante Christum &c.* lib.1. cap.2. §.1.

prodit: quod ergo non constat ex Sacris Litteris, & tamen illud credendum omnium Ecclesiarum Catholicarum consensus proponit, ex Divina Traditione profluxisse censendum est. Hinc merito apud S. Augustinum Catholicæ Ecclesiæ auctoritas tantum ponderis habuit, ut nisi commotus ea fuisset, ne Evangelio quidem se crediturum esse scripserit in lib. *Cont. Epist. Manichæi* cap.5. num.6., & cap.4. ejusdem libri num. 5.: " In Catholica Ecclesia (inquit) ut „ omittam sincerissimam sapientiam . . . multa sunt alia, „ quæ in ejus me gremio justissime teneant; tenet consen- „ sio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miracu- „ lis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate fir- „ mata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas „ oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, us- „ que ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; te- „ net postremo ipsum Catholicæ nomen ".

§. VIII. Si quid credendum Ecclesiæ Catholicæ communis consensio proponit, est illud revera fidei, quamvis, instituto judicio, id ab Ecclesia definitum non sit.

Ea omnia universe, atque generatim firmissime tenenda esse, quæ communi consensione Ecclesiarum credenda proponuntur, Patres docent, atque ita quidem, ut nullam judicii ab Ecclesia instituti rationem habeant, aut habere potuerint. Nonnulla tantum loca Patrum in hanc rem in medium afferemus, ne, nimis quam par est, longiores simus. S. Irenæus lib.1. *Cont. Hæreses* cap.10. num.2. ita habet: " Acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, „ (ab Apostolis, & Discipulis Apostolorum) uti ante dixi- „ mus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem spar- „ sa, summo studio, & cura, perinde atque unam domum „ incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum „ idemque cor habens, his æque fidem accomodat, & mi- „ ro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, do- „ cet, ac tradit ... Ut sol hic a Deo conditus in univer- „ so mundo unus, atque idem est; ita etiam veritatis præ- „ dicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis „ cogni-

„ cognitionem venire cupiunt, illustrat “. Lib. 3. cap. 4. num. 1. “ Tantæ igitur (inquit) ostensiones quum sint, non „ oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile „ est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli quasi in depositorium „ dives, plenissime in eam contulerint omnia, „ quæ sunt veritatis: ut omnis quicumque velit, sumat ex „ ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem „ reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet „ devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum „ summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionem „ ditionem “. Tertullianus in lib. *De Præscript. adver. Hæreticos* cap. 21. ita in eamdem rem habet: “ Hinc igitur dirigimus „ rigimus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos „ stolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos „ prædicatores, quam quos Christus instituit ... Quid autem „ tem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, „ & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per „ easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, eis prædicando „ dicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas „ las postea. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, „ ctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, „ & originalibus conspiret, veritati deputandam, sine dubio „ bio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a „ Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam „ de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem „ Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei “. Ea vero doctrina, quæ Ecclesiarum Catholicarum communi consensione probatur, atque traditur, si eadem omnino cum illa non sit, quæ Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, & Christus a Deo acceperunt, non video sane, quænam tandem alia esse possit: hujusmodi ergo doctrina citra ullam dubitationem est veritati deputanda. Origenes *Tract.* 27. *in Matthæum* num. 34. “ Nos (inquit) illis (hoc est qui nova „ proferunt, & Divinarum Scripturarum locis abutuntur) „ credere non debemus, nec exire a prima, & Ecclesiastica „ ca Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum

„ per

„ per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis “. S. Cyprianus in lib. *De unitate Ecclesiæ* inquit: “ Et pastores sunt „ omnes, & grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omni„ bus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia una mon„ stretur ... Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, te„ nere se fidem credit “? Et post nonnulla alia: “ Hanc „ unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non te„ net Patris, & Filii fidem, vitam non tenet, & salutem “. Dubitari vero non potest, Patris, & Filii fidem ab eo non teneri, qui non recipit, quod communi Ecclesiarum Catholicarum consensione traditum habemus. Clemens Alexandrinus lib. 7. *Stromatum* num. 15. “ Necesse est descen„ dere ad quæstiones, (inquit) & per ipsas Scripturas di„ scere demonstrative, quomodo lapsæ sint hæreses; & con„ tra quomodo in sola veritate, & antiqua Ecclesia sit per„ fectissima cognitio, & ea quæ est revera optima hæresis “. S. Hilarius *De Trinit.* lib. 7. num. 4. “ Magna enim (inquit) „ vis est veritatis, quæ quum per se intelligi possit, per „ ea tamen ipsa, quæ ei adversantur, elucet: ut in natu„ ra sua immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quo„ tidie, dum attentatur, acquirat. Hoc enim Ecclesiæ pro„ prium est, ut tunc vincat, quum læditur, tunc intelli„ gatur, quum arguitur, tunc obtineat, quum deseritur “. S. Leo epist. 61. cap. 1. (1) “ Illa est enim (ait) virgo Ec„ clesia, sponsa unius veri Christi, quæ nulla se patitur er„ rore vitiari: ut per totum mundum una nobis sit unius „ castæ communionis integritas “. S. Cyrillus Hierosol. *Catechesi* 18. num. 23. tradit ea etiam de causa Ecclesiam vocari Catholicam, “ Quia universe, & absque defectu docet omnia, „ quæ in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de „ visibilibus & invisibilibus, sive de cœlestibus & terrestribus „ rebus “. Tandem S. Augustinus *Ep. ad Januar.* 54. n. 51., alias „ ep. 118. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pra„ vumque sapiunt, si correpti, ut sanum, verumque sapiant, re„ sistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dog-

„ mata

(1) Juxta edit. Cacciarii.

„ mata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici „ fiunt". *Epist. ad Dioscorum* 118. num. 32. alias epist. 56. „ Illi, quum in unitate, atque communione Catholica non „ sint, Christiano tamen nomine gloriantur, coguntur ad„ versari credentibus, & audent imperitos, quasi ratione, „ traducere, quando maxime cum ista medicina Dominus „ venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere co„ guntur, quia jacere se abjectissime sentiunt, si eorum au„ ctoritas cum auctoritate Catholica conferatur. Conantur „ ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi „ rationis nomine, & pollicitatione superare. Omnium „ enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas". His vero omnibus positis, omissisque aliis ejusdem generis, quæ superaddi poterant, nunc ita: firmiter tenenda esse, quæ Ecclesiarum consensione tradita habemus, Patres absolute affirmant, quamvis tunc contra hæreticos de multis agerent, quæ nullo ab Ecclesia instituto judicio definita erant; immo vero quamvis latum ab Ecclesia judicium opponere voluissent, nullum sane potuissent. Nam quodnam tandem sui temporis hæreticis opponere Ecclesiæ judicium potuissent S. Irenæus, Tertullianus, & S. Cyprianus, si tunc temporis Ecclesia suorum Præsulum in unum simul coeuntium publico judicio eos non damnaverat? Hinc illorum Patrum contra hæreticos semper una vox fuit, aliter nos credere non debere, quam ab Ecclesiis Dei traditum accepimus, ac propterea eum, qui id omne non tenet, non tenere Dei Legem, non tenere veram fidem. Ea itaque omnia universe, atque generatim firmissime tenenda esse, quæ communi consensione Ecclesiarum credenda proponuntur, Patres docent, ut nullam judicii ab Ecclesia instituti rationem habeant, aut habere potuerint. Patrum ergo auctoritate evidentissime constat, id omne spectare ad fidem, quod communis consensio Ecclesiæ Catholicæ credendum proponit, quamvis illud, instituto ab Ecclesia judicio, definitum non sit.

Et re quidem vera nemo est, qui negare possit, Ecclesiam esse *columnam, & firmamentum veritatis*, quemadmo-

dum

dum tradit Apostolus 1. *ad Timoth.* cap. 3. v. 15.: quæro nunc ego, utrum tunc tantum sit columna, & firmamentum veritatis, quando, instituto judicio, de re aliquam sententiam profert, an vero semper: esse tunc tantum, quando post institutum judicium suam sententiam profert, citra hæresim dici non potest, quia tunc fere nunquam esset columna, & firmamentum veritatis. Nam Apostolus de ea absolute pronunciat esse columnam, & firmamentum veritatis, & Christus *Matth.* ult. v. ult. Apostolis promisit, & *omnibus diebus*, & *in æternum* se futurum cum eis: quibus sane duo significavit, se & omni tempore, & tum cum Apostolis, tum cum illis, qui eisdem successissent, sese futurum: qua de causa *Joann.* cap. 14. v. 16. se rogaturum Patrem promisit, ut alium Paraclitum daret, qui cum eis maneret in æternum. Restat igitur, ut dicamus, Ecclesiam semper esse columnam, & firmamentum veritatis: semper ergo ad fidem spectat, quod ipsa quovis tempore credendum proponit, illudque esse traditum ab Apostolis, dubitari non potest.

§. IX. Est dogma fidei, quod ut tale communi Ecclesiæ Catholicæ consensione recipitur, & traditur, etiamsi illud apud Sanctos Patres expressum non habeatur.

Etsi nunc nullum sit fidei dogma communi omnium Ecclesiarum consensione ab initio receptum & traditum, quod in Patrum scriptis aliquo modo non inveniatur; idem tamen dici non potest, si ad prima Ecclesiæ tempora attendamus. Confessio itaque omnium Ecclesiarum in aliquo dogmate fidei, etiamsi istud apud Sanctos Patres expressum non habeatur, est argumentum Traditionis, quam Patres ab Apostolis, Apostoli a Christo acceperint: " Traditionem Apostolorum „ (inquit S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 1.) „ in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim

„ & latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. „ Valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos „ esse volebant, quos & Successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. „ Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus „ Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ „ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & „ annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus „ omnes, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam „ gloriam, vel per cœcitatem, & malam sententiam, præter „ quam oportet, colligunt “: Esse ergo Ecclesias testes simul, & custodes traditionum Apostolicarum, affirmat S. Irenæus, atque ad testimonium eorum non quidem scriptum, sed traditione transmissum, qui Apostolis in Episcopatu successerunt, illos omnes provocat, qui male sentiebant. Hujus autem rei inde rationem accipit, quia Apostoli *valde perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant*, qui in sui locum successuri erant, eosdemque *seorsim, & latenter a reliquis recondita mysteria docebant*. Quia vero S. Irenæus nimis longum futurum esse prospiciebat, investigare successiones omnium Ecclesiarum; ideo traditione Ecclesiæ Romanæ, quam omnium *maximam, & antiquissimam* appellat, falsas opiniones refutare aggreditur. Postea autem ubi successiones Romanorum Antistitum descripsit, mentionem eorum primo facit, qui Smyrnæ Polycarpo successerant, deinde descendens ad Ecclesiam Ephesi a S. Paulo constitutam, eam esse affirmat *verum testem Traditionis Apostolorum*: ait enim: “ Sed & „ quæ est Ephesi Ecclesia a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis „ est verus Apostolorum Traditionis “. Asservari in Ecclesiis Traditiones Apostolorum inde supra docuit S. Irenæus, quia Apo-

Apoſtoli *valde perfectos*, *& irreprehenſibiles in omnibus eos eſſe volebant*, qui in ſui locum ſucceſſuri erant, eoſdemque propterea *latenter ab reliquis recondita myſteria docebant*; nunc vero ejuſdem lib. cap. 4. num. 1. hoc idem ex eo confirmat, quia Apoſtoli apud Eccleſias pleniſſime id omne depoſuerunt, quod ad veritatem ſpectat. Inde autem quod ſibi initio propoſuerat, iterum colligit, hoc eſt, a Traditione Eccleſiæ veritatem requirendam eſſe, etiamſi parvi momenti diſceptatio aliqua oriatur. Et re quidem vera, proſequitur S. Irenæus, huicne viæ inſiſtendum non eſſet, ſemel ac Apoſtoli nihil ſcriptum nobis reliquiſſent? " Tantæ igitur oſtenſiones quum
„ ſint, (inquit) non oportet adhuc quærere apud alios veri-
„ tatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, quum Apoſto-
„ li, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſime in eam contu-
„ lerint omnia, quæ ſunt veritatis, ut omnis quicumque ve-
„ lit, ſumat ex ea potum vitæ .... Propter quod oportet ....
„ quæ ſunt Eccleſiæ cum ſumma diligentia cuſtodire, & ap-
„ prehendere veritatis traditionem. Quid enim? Etſi de ali-
„ qua modica re diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſ-
„ ſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt,
„ & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & re-
„ liquidum eſt? Quid autem ſi ne Apoſtoli quidem Scripturas
„ reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Tra-
„ ditionis, quam tradiderunt iis, quibus Eccleſias commit-
„ tebant "? Immo, dico ego, nonne Eccleſiæ poſt mortem Apoſtolorum, tum in explicatione illorum dogmatum, quæ in Sacris Litteris obſcure continentur, tum in expoſitione eorum, quæ ne obſcure quidem continentur, huic generi Traditionis totæ innitebantur? Quapropter ita concludo cum S. Irenæo lib. 4. cap. 33. num. 8. " Agnitio vera
„ eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in
„ univerſo mundo, & character corporis Chriſti ſecundum
„ ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in uno-
„ quoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt: quæ pervenit
„ uſque ad nos cuſtoditione ſine fictione ſcripturarum tra-
„ ctatio pleniſſima, neque additamentum, neque ablationem

T 2 „ reci-

„ recipiens; & lectio sine falsatione, & secundum scriptu„ ras expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & „ sine blasphemia ". Eadem, ac S. Irenæus, hac in re tradit tum Tertullianus in lib. *De Præscrip. advers. Hæreticos* cap.21. (1), tum S. Basilius in lib. *De Spiritu Sancto* cap.27. num.66. " Ex asservatis (inquit) in Ecclesia dogmatibus, „ & prædicationibus alia quidem habemus e doctrina scri„ pto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepi„ mus ex Traditione Apostolorum: quorum utraque vim „ eamdem habent ad pietatem, nec iis quisquam contra„ dicet: nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, „ quæ sint Ecclesiæ instituta. Nam si consuetudines, quæ „ scriptò proditæ non sunt, tamquam non multum haben„ tes momenti, aggrediamur rejicere, imprudentes in ipsis „ rebus præcipuis lædimus, immo potius prædicationem ad „ nudum nomen contrahemus. Verbi gratia ut ejus, quod „ primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem, „ ut signo crucis eos, qui spem collocant in Christo, signe„ mus, quis unquam scriptò docuit "? Est tamen res ista talis, ut ne pueros quidem eam ignorare patiamur, & inter cetera rudimenta fidei omnium primam eos nosse contendamus. Merito itaque uti certus hac in re canon est ab omnibus receptus, quod his verbis tradit S. Augustinus *Epist.*54. *ad Januarium* cap.1., alias epist.118. " Illa, quæ „ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto „ terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apo„ stolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia sa„ luberrima auctoritas, commendata, atque statuta retine„ ri ". Alia quoque in hanc rem afferre possemus; ea tamen omittimus, quia ex iis, quæ usque modo disseruimus, abunde omnibus constare posse arbitramur, dogma fidei esse, quod ut tale communi Ecclesiæ Catholicæ consensione recipitur, & traditur, etiamsi illud apud Sanctos Patres expressum non habeatur. Ecclesiam esse columnam, & firmamen-

(1) Vide locum ejus in §. superiori.

mentum veritatis, nunc urgere non insistimus, quum in superiori §. id jam fecerimus.

§. X. Quod communi Ecclesiæ Catholicæ consensione, ut fidei dogma traditur, tale esse inde non desinit, quia aliquæ Ecclesiæ a Catholica etiam non separatæ communione, contra senserint, atque tenuerint.

Negari a nemine potest, Cathagine, & alibi in pluribus Synodis decretum fuisse, ut qui in hæresi baptizati erant, non sine novo baptismate ad Catholicam communionem reciperentur (1); tamen ex hoc nullo modo diminuta fuit auctoritas contrarii dogmatis, quod ab universa Ecclesia tenebatur. Hæc ergo controversia de hæreticis rebaptizandis primo exarsit sub Agrippino S. Cypriani prædecessore, atque habito ab eodem Agrippino Concilio, quod ad an. Christi 225. secundum novissimam editionem Conciliorum refertur, definitum fuit, ut baptizati in hæresi iterum baptizarentur, semel ac in Catholicam communionem admitti peterent. Agrippini vero auctoritate, & Episcoporum cum illo in Concilio sedentium S. Cyprianus potissimum motus ad Januarium, & ceteros Numidiæ Episcopos quærentes, utrum in hæresi baptizati, iterum baptizandi essent, dum in Ecclesiam Catholicam reciperentur; revera iterum esse baptizandos respondit *secundum sententiam a suis antecessoribus statutam*, quam etiam in Concilio cum pluribus Episcopis confirmavit (2). Non multo post eadem de re S. Cyprianus rogatus a Quintino Episcopo Mauritaniæ eamdem responsionem illi dedit, atque altero etiam Concilio septuaginta & unius Episcoporum, quod in priori statutum erat, confirmandum curavit (3). Hisce peractis epistolam Synodicam ad Stephanum Romanum Pontificem S. Cyprianus dedit, in qua fecit illum certiorem de iis, quæ de baptismate hæreticorum tum a se, tum a suo prædecessore una cum aliis Episcopis statuta erant, rogavitque, ut illa confirmaret (4). At vero quamvis in pluribus Africanis Conciliis

(1) Vide §.3. hujus cap. (2) Vide Epist.70. S. Martyris.
(3) Vide Epist.71. (4) Vide Epist.72.

ciliis statutum esset, ut in hæresi baptizati sine novo baptismate in Ecclesiam Catholicam non reciperentur; tamen dogma contrarium semper retentum in universa Ecclesia fuit, & ab illo tunc tempore antiquæ traditioni standum esse Stephanus decrevit, ac manus tantum illis imponendas sanxit, qui, relicta hæresi, Ecclesiæ Catholicæ aggregari peterent. " Denique in epistola, (inquit Vincentius
„ Lirinensis in *Commonit.* cap.9.) quæ tunc ad Africam mis-
„ sa est, his verbis sanxit: (S. Stephanus) nihil innovan-
„ dum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim vir san-
„ ctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere,
„ nisi ut omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, ea-
„ dem fide filiis consignarentur, nosque Religionem, non
„ qua vellemus, ducere, sed potius qua illa duceret, se-
„ qui oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ,
„ & gravitatis, non sua posteris traducere, sed a Majori-
„ bus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exi-
„ tus? Quis utique nisi usitatus, & solitus? Retenta est
„ scilicet antiquitas, explosa novitas". Sicuti ergo in Catholica Ecclesia id semper, & ubique prævaluit, quod est Majorum nostrorum communi consensione traditum; ita etiam in hac quæstione de rebaptizandis hæreticis usuvenit, statutumque fuit, ut servaretur Traditio Majorum, communi Ecclesiæ usu recepta, ac nulla ratio eorum haberetur, quæ nonnullæ Ecclesiæ, quamvis a Catholica non divisæ, statuerant. Manifestum itaque est, quod communi Ecclesiæ Catholicæ consensione uti dogma fidei traditur, non desinere esse dogma fidei, quamvis aliquæ Ecclesiæ etiam a Catholica communione non separatæ contra senserint, atque tenuerint.

§. XI. Semel ac aliquid divinitus traditum esse dubitatur, nihilque de eo ab Ecclesia definitum habetur, atque ejus non una, & eadem apud diversas Ecclesias est fides, aut observatio; id tenere, aut servare debemus, quod a pluribus Ecclesiis, atque majoris auctoritatis tenetur, & servatur.

Hanc

Hanc regulam quoad libros Canonicos S. Augustinus tradit suo tempore servandam, quo nondum, sicuti modo est, de singulorum Divina inspiratione definitum erat: " In „ Canonicis scripturis (inquit lib. 2. *De Doctrina Christiana* „ cap. 8.) Ecclesiarum Catholicarum quam plurimum aucto- „ ritatem sequatur: (Christianus) inter quas sane illæ sunt, „ quæ Apostolicas Sedes, & epistolas accipere meruerunt. „ Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, ut „ eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, „ præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis ve- „ ro, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, „ quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores „ minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent ". Hoc idem ergo & in aliis, de quibus dubitatur, utrum divinitus tradita sint, sequamur oportet.

§. XII. Romana Ecclesia est certissima regula, qua cognoscitur, quod divinitus traditum habemus; indeque si aliqua quæstio in aliis Ecclesiis hac de re oriatur, secundum fidem Romanæ Ecclesiæ illa finienda est.

S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 1. agens de Divinis Traditionibus contra hæreticos, illud primi principii loco ponit, manasse ab Apostolis, quod in Ecclesiis Apostolicis ab Episcopis sibi invicem succedentibus populi acceperunt. Tamen ut Ecclesias Apostolicas in unam conspirasse sententiam Irenæus cognosceret, necessarium sibi esse non duxit, sententiam singularum Ecclesiarum explorare. Valde longum id fuisset, multisque obnoxium difficultatibus. Expeditiori ergo via sibi procedendum putavit, uniusque Romanæ Ecclesiæ Traditionem continua successione Episcoporum in ea conservatam consulere satis habuit, ut omnes hæreticos confunderet: " Sed quoniam valde longum est, (inquit „ num. 2.) in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enu- „ merare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omni- „ bus cognitæ, a gloriosissimis duobus Petro, & Paulo Ro- „ mæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habent ab „ Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem,

„ per

„ per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos „ indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo „ vel per sibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est „ eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui „ sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio". Plura autem ex his, quæ Irenæus habet, animadvertenda occurrunt: 1. Romanam Ecclesiam Irenæi tempore omnium maximam habitam fuisse, non quidem ob numerum Fidelium, de quo aliæ cum ea Ecclesiæ contendere sane potuissent, sed amplitudine auctoritatis: 2. dici antiquissimam non ob sui originem: Hierosolymitanam enim, & Antiochenam Apostoli antea constituerant; sed quia esset omnium princeps: 3. omnes ad eam qui sunt undique Fideles convenire debere, non ita quidem, ut ad illam sese conferant: nihil namque absurdius dici potest; sed quia cum ea, uti prima omnium, cunctos Fideles in una fide simul uniri oportet: 4. id positum non esse in libera electione Fidelium, sed necessitate quadam ad id faciendum adigi. Hujus supremæ auctoritatis, quæ est in Romana Ecclesia super alias S. Irenæus exemplum affert lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 3. dicens: " Sub igi„ tur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Co„ rinthi essent fratres, facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia „ potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, „ & reparans fidem eorum, & annuntians, quam in recenti „ ab Apostolis acceperat, Traditionem". Romana ergo Ecclesia ea est, ex qua certissima regula sumi debet ad cognoscendum, quod est divinitus revelatum, ita ut dubitari non possit, quod ipsa uti fidei dogma tenet, atque servat, a Deo traditum fuisse. Hanc veritatem, quod sane mirandum est, etiam Grotius in *Rivetiani Apologetici Discussione* fatetur, in qua ita habet: " Consensus autem istius (Traditionis) qui in „ veterum scriptis, maximeque in conciliis universalibus ap„ paret, custodes quidem sunt Episcopi omnes, sed auctori-
„ tatis

„ tatis ad veritatem unitatemque retinendam præcipue Episcopus Romanus, quem Ecclesiæ aliæ ad vitanda ex rebus „ dubiis schismata consulere, ex quo Apostoli in terra vivere „ desierunt, sunt solitæ. Et hinc est, quod Ecclesia Roma„ na ab antiquis dicitur aliarum Ecclesiarum magistra. Hanc „ viam iniit Hieronymus in quæstione de Hypostasibus: hanc „ Afri Episcopi in quæstione de gratia: hanc alii viri ingenio, „ eruditione, pietate præstantes. Corrumpi quidem mores „ Romæ, & alibi passus est Deus: at doctrina illis ipsis malis „ moribus contraria, Deo ita res dirigente, corrupta „ non est".

CAPUT V.

DE EXISTENTIA, ET AUCTORITATE SACRARUM TRADITIONUM.

§. I. De Apostolicis Traditionibus est nullo modo dubitandum, si eas spectemus, quatenus sunt quodam factum, quod revera contigisse a Majoribus nostris accepimus. Facti rationem in se continet, quod Apostoli suis successoribus nonnulla, quæ ad fidem spectant, voce tantum tradiderint, eaque voluerint, ut Ecclesiis communicarentur. Secundum hanc ergo acceptionem de Apostolicarum existentia traditionum nunc agimus. Quoties sermo est de aliquo facto, quod nostris sensibus subesse non potest, quia anteactis illud temporibus contigerit, evidentia morali tantum contenti esse debemus. Hæc autem evidentia moralis in eo posita est, ut quamvis rem aliquam fieri debuisse non ostendat, tamen revera factam esse, nullum dubitandi locum relinquat. Ea enim innititur tali testimonio hominum, quorum fides nemini æquo jure vel levissime suspecta esse potest, tantamque in se certitudinem habet, ut quæ morali evidentia constant, æque manifeste vera sint, ac illa, quæ sui physicam demonstrationem habent: atque aliunde si evidentiæ morali omnis assensus non præbeatur, totius ordinis rerum manife-

sta perturbatio consequutura sit (1). Esse ergo aliquid divinitus revelatum, quod in Sacris Libris scriptum non sit, sed sola ad nos traditione pervenerit, ita certum esse modo contendimus, ut omnem in se moralem certitudinem habeat.

Apostolicæ Traditioni acceptum referri debet illud dogma fidei, quod licet non contentum in Sacris Litteris, Patres ab initio secundum successionem suorum temporum concordissime tenuerunt, atque uti dogma fidei habuere: ad Divinam quoque Traditionem pertinet, quod Sancti Ecclesiæ Patres unanimi consensione in expositione Divinarum Scripturarum docuerunt (2). Profecto si tantorum virorum in unum semper omni ætate, & quidem de re gravissima, atque omnium maxima, consentientium auctoritas cum maxima veneratione non suscipiatur, non video sane, quænam tandem alia suscipi possit. De illorum namque fide agitur, quos in hunc usque diem tot seculorum consensus probavit, quos præter admirabilem peritiam rerum Divinarum vitæ quoque mira pietas commendat, quos Christus post Prophetas, Apostolos, & Evangelistas, dedit Ecclesiæ suæ Pastores, atque Doctores. " Ad „ consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædifi- „ cationem Corporis Christi ..... ut jam non simus parvuli „ fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in ne- „ quitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris ", sicuti inquit Apostolus *Ephesior.* cap. 4. v. 12. & seqq. Hinc Deus *Jeremiæ* cap. 4. v. 15. suæ Ecclesiæ hæc promisit: " Da- „ bo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, „ & doctrina ". Sanctos autem Ecclesiæ Patres, dum unanimi consensione, quamvis loco, atque tempore inter se quammaxime differentes, dogmata fidei tradunt, esse hos Pastores, nemo, vel invitus, non assentiri debet, si ad eorum consensionem animadvertat. " Nec enim idem intelligere omnes mente „ possent, nisi uno eodemque Christi spiritu in ea unitate „ con-

(1) Vide multa, quæ in pluribus Lemmatibus de hac morali certitudine disseruimus in nostra *Theologia Revelata* initio lib. 1.
(2) Præced. cap. §.1. & 5.

„ continerentur “, quemadmodum Melchior Canus lib. 7. *De Locis Theologicis* cap. 3. ratiocinatur, qui etiam non minus acute ita prosequitur : “ Sanctos quippe antiquos sapientes „ fuisse, nemo negat; Ecclesiæ fuisse magistros certo con„ stat : a Deo fuisse Ecclesiæ datos, Christi erga Ecclesiam „ providentia manifestat : datos esse, ut Apostolorum, Pro„ phetarum, Evangelistarumque oracula exponerent, Pau„ lus innuit: ab uno Pastore tam multos, atque adeo diver„ sis loco tempore fuisse procuratos, sententiæ unitas & con„ cordia monstrat: ut nihil aliud, quam magistrorum conci„ lium liceat intueri, quod ab uno veritatis spiritu fuerit „ congregatum “ (1). Ea igitur consensio Sanctorum Patrum, de qua nunc loquimur, in illius solummodo mentem evidentiam ingenerare non potest, qui nihil eorum, quæ ab aliis accepimus, certum esse posse effutierit, atque ita omnem moralem evidentiam de medio sustulerit.

Ea quoque dogmata a Traditione manant, quæ licet in Sacris Litteris non contineantur, tamen unanimis Ecclesiæ Catholicæ consensio credenda proponit (2). Hujusmodi autem testimonio nullum gravius, atque certius ab hominibus expectari potest. Fidem enim in se illud continet, quod firmatur testimonio totius Ecclesiæ Præsulum, doctorum, sanctissimorumque virorum, ac prope infinitorum hominum omnium temporum, & nationum, quorum alii exilio, quidam exspoliatione bonorum, nonnulli tolerantia cruciatuum, atque etiam effusione sanguinis confirmarunt, quod ab Ecclesia uti divinitus traditum receperunt. Tanta ergo certitudo in hoc testimonii genere inest, quæ ne expeti quidem posse videtur. Dubitari itaque non potest de Apostolicis Traditionibus, si eas spectemus, quatenus sunt factum quoddam, quod revera contigisse a Majoribus nostris accepimus.

§. II. Secundum eamdem acceptionem de illarum quoque auctoritate constat.

(1) Vide Augustini locum relatum a nobis superiori cap. §.1.
(2) Cap. super. §.7.

Quod tam Patres concordissime secundum successionem suorum temporum, quam Ecclesia Catholica unanimi semper consensione pro fidei dogmate habuerunt, omnem in se moralem evidentiam habet, quæ de aliquo facto desiderari potest, immo etiam ea majorem, quæ experi posse videtur (1): at vero quod ab utroque principio ita recepimus, uti divinitus inspiratum nobis traditum habemus, estque illud omne Divinæ inspirationi deputandum, quamvis in Sacris Litteris non contineatur (2): igitur etiam secundum eam acceptionem, qua Traditiones nunc sumimus, est de illarum auctoritate omnino perspectum.

§. III. De existentia, atque auctoritate Divinarum Traditionum semper magis constat, si ad consensum illum attendamus, quo tum Patres omnium temporum, tum universa Ecclesia quædam fidei dogmata constantissime tenuerunt, quæ in Sacris Litteris vel obscure, vel nullo modo habentur.

Hoc argumenti genere contra hæreticos sui temporis Tertullianus sæpe pugnavit, atque urgere illud nunquam destitit, Divinum esse necessario debere, quod in universa Ecclesia semper una eademque ratione traditum servatumque fuit: contra vero fieri non posse, ut a Deo originem habeant, quæ inter se diversa, atque contraria sunt, pluribusque mutationibus obnoxia fuerunt. " Nullus (inquiebat Tertullianus) inter multos eventus unus est exitus: Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum ". Doctrinam autem Ecclesiæ suam a Traditione Apostolorum originem habuisse, ita colligebat: " Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis (3) ". Quemadmodum vero ex continua consensione Ecclesiarum in unam doctrinam, illius Divinam originem colligit; ita etiam ex diversitate doctrinæ de ejus errore pronunciat: " Sed etsi

(1) Superiori §. (2) Præced. cap. §. 1. & 5. (3) Vide §. 7. cap. super.

„ etsi confixerint, (hoc est hæretici, ab Ecclesiis Apostolicis „ se originem ducere dicentes, inquit in lib. *Præscript*. cap. 32.) „ nihil promovebunt: ipsa enim doctrina eorum cum Apo„ stolica comparata ex diversitate, & contrarietate sua pro„ nunciabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque „ Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se do„ cuissent; ita & Apostolici non contraria Apostolis edidis„ sent; nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt, & aliter „ prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur „ ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel ex „ Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posterio„ res, quæ denique quotidie instituuntur; tamen in ea„ dem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur „ pro consanguinitate doctrinæ". Et re quidem vera duo ex consensione tum Sanctorum Patrum, tum Ecclesiarum in aliquibus fidei dogmatibus, quæ nullo modo, vel obscure tantum in Sacris Litteris continentur, necessario consequuntur: 1. tum Patres, tum Ecclesias firmiter constanterque tenuisse, illa esse divinitus revelata; alioquin inter cetera non deputassent, quæ in Sacris Litteris continentur, eamdemque tam istorum, quam illorum fidem non habuissent: 2. ea Divina promissione, qua Christus cum successoribus Apostolorum, & sua Ecclesia semper se futurum prædixit (1), factum fuisse, ut fides hujusmodi dogmatum non solum nunquam periret, sed ne levissime quidem mutaretur, atque variaretur. Ejus enim tantum virtute contingere poterat, ut unanimis in ea consensio tum Patrum, tum Ecclesiarum omni loco, & tempore, semper una, atque immutabilis consisteret, qui sua suprema virtute omnia attingit. Quum ergo de pluribus fidei dogmatibus sit nobis ex unanimi consensione tum Patrum, tum Ecclesiarum compertum, atque in iis consistant eæ Divinæ Traditiones, de quibus loquimur; consequens inde est, de existentia, atque auctoritate Divinarum Traditionum semper magis magisque constare, si ad consensum illum attendamus, quo

tum

(1) Vide §. 7. cap. præced.

tum Patres omnium temporum, tum omnes Ecclesiæ quædam fidei dogmata constantissime tenuerunt, quæ in Sacris Litteris vel obscure tantum, vel nullo modo continentur.

§. IV. Voce tantum Ecclesiæ tradita fuisse aliqua divinitus inspirata, quæ ad fidem ipsius Ecclesiæ æque spectarent, ac cetera omnia, quæ in Sacris Litteris legimus, concors omnium Patrum sententia fuit, exque ea propterea tum de existentia, tum de auctoritate Divinarum Traditionum nemini non esse compertum debet.

Ne ergo loca S. Ignatii, atque Polycarpi nunc repetamus (1), initium a S. Irenæo sumimus. Ipse ergo lib. 3. *Contra Hæreses* cap.3. esse in Ecclesia Traditiones Apostolicas, quibus regatur fides illius, pluribus ostendit: ea nos summatim attingemus. Affirmat itaque primo *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam* in omni Ecclesia perspici posse, quia Apostoli *recondita mysteria, quæ seorsim, & latenter a reliquis perfectos docebant, iis vel maxime traderent, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant*. 2. *Eam, quæ est ab Apostolis, Traditionem per successiones Episcoporum* usque ad sua tempora pervenisse docet. 3. Tradit S. Clementem, qui *adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & Traditionem ante oculos* habebat, occasione non modicæ dissensionis, quæ inter Corinthios orta erat, scripsisse ad eos *litteras potentissimas*, quibus eorum fidei consuluit, eisdemque annuntiasse *quam in recenti ab Apostolis acceperat Traditionem*: 4. Facta mentione duodecim Pontificum Romanorum, qui sibi successerunt, dicit, quod *hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia Traditio, & veritatis præconizatio pervenit usque ad nos*. 5. Ad Polycarpum descendens, quem ab Apostolis edoctum tradit, eorumque consuetudine usum, qui Christum viderunt, semper docuisse, atque Ecclesiæ illa tradidisse monet, quæ ab Apostolis didicerat. Tandem statuit etiam Ephesinam Ecclesiam a Paulo fundatam, esse verum testem *Apostolorum Traditionis*. Loqui vero S. Irenæum non de scriptis Traditionibus, sed de non scri-

(1) Vide loca eorum super. cap. §. 1.

ſcriptis, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime. Nam Traditiones, de quibus loquitur, in quibuſdam reconditis myſteriis reponit, quæ Apoſtoli ſeorſim a reliquis ſuos ſucceſſores docebant, ſucceſſioneque Epiſcoporum factum aſſeverat, ut Traditiones Apoſtolorum ad nos pervenirent. Deinde poſt ea, quæ commemoravimus, atque nonnulla alia ita habet: " Quid autem ſi ne Apoſtoli quidem ſcri„ pturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ſequi ordinem „ Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant „ Eccleſias "? Ultimo tandem illud præ omnium oculis ponit, multas barbaras gentes Traditioni inhærentes abſque Scripturis conſequi ſalutem. Hæc autem omnia ad non ſcriptas Traditiones referenda eſſe, nemo non videt. Hinc vero eſt, ut lib.3. cap.2. num.2. hæreticos inde quoque arguat, quod tam Sacram Scripturam, quam Traditionem non admitterent: " Evenit itaque, (inquit) neque ſcripturæ jam „ neque Traditioni conſentire eos ". Similiter Traditionem a Scripturis diſtinguit in eodem lib. cap. 5. num. 1. „ Traditione igitur, quæ eſt ab Apoſtolis, ſic ſe habente „ in Eccleſia, & permanente apud nos, revertamur ad eam, „ quæ eſt ex Scripturis, oſtenſionem, eorum, qui Evange„ lium conſcripſerunt, Apoſtolorum ". S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib.7. num.17. unam fuiſſe affirmat ſicuti doctrinam, ita etiam Traditionem Apoſtolorum, & num.18. ſanctas Traditiones iis occultare ſe velle dicit, qui ſacris myſteriis initiati non ſunt. Origenes in *Præfat.* libror. *De Principiis* num.2. " Servetur vero (inquit) Eccleſiaſtica præ„ dicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & „ uſque ad præſens in Eccleſiis permanens: illa ſola cre„ denda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica, & Apo„ ſtolica diſcordat Traditione ". S. Cyprianus (ut nihil ex Tertulliano depromam: ſatis enim multa ſupra deprompſimus) epiſt.63. tum *Evangelicæ veritatis*, tum *Dominicæ Traditionis* rationem habendam aſſeverat, & ex hac aquam cum vino miſcendam eſſe colligit. S. Hilarius *Ex Opere Hiſtorico Fragmento* 7. num3. affirmat recedendum non eſſe a recepto ſym-

symbolo, quod secundum successionem ab Apostolis suo adhuc tempore supererat. S. Basilius ita eos depingit, qui sacras Traditiones rejiciunt in lib. *De Spiritu Sancto* cap. 10. num. 25. " Iste scopus communis est omnibus adversariis, „ & sanæ doctrinæ inimicis, ut soliditatem fidei in Chri- „ stum concutiant, Apostolicam Traditionem solo æquatam „ abolendo. Ea propter sicut solent, qui malæ fidei debi- „ tores sunt, probationes e scriptura clamore exigunt, Pa- „ trum testimonium, quod scriptum non est, velut nullius „ momenti rejicientes ". S. Gregorius Nyssenus *Orat. 3. Cont. Eunomium* sibi sufficere dicit ad confirmationem sui sermonis *a Patribus venientem ad nos Traditionem*. S. Epiphanius *Hæresi* 75. num. 8. " Necessario facere illud Eccle- „ siam dico, quæ traditum sibi ritum illum a Majoribus „ acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, „ aut legem patris evertere? Quemadmodum a Salomone „ scriptum est (1): *Audi, fili, sermones patris tui, & ne* „ *repellas leges matris tuæ*. Quibus Patrem, hoc est, unige- „ nitum Deum cum Spiritu Sancto declarat partim scripto, „ partim sine scripto docuisse ". S. Hieronymus in *Dialogo cont. Luciferianos* num. 8. " Etiamsi Scripturæ auctoritas non „ subesset, (qua nimirum probatur ab Episcopis impositio- „ ne manuum Spiritum Sanctum tradi Fidelibus) totius or- „ bis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. „ Nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesiis ob- „ servantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt ". S. Augustinus lib. 2. *De Baptis. cont. Donatistas* num. 12. contendit, baptizatos in hæresi ex Apostolica Traditione rebaptizari non consuevisse, ac propterea id nullo modo committendum esse. Lib. 4. num. 30. Sacramentum baptismi parvulis ad salutem prodesse, quamvis non sit in eis hujus sacramenti suscipiendi voluntas, ex universa Ecclesiæ Traditione, sicuti ex certissimo principio, probat. Verum non solum Donatistas, sed etiam Pelagianos hoc a se argumenti genere esse urgendos S. Augustinus censuit, ut videre est

in

(1) *Proverb.* cap. 1. v. 8.

in lib.2. *Cont. Julianum Pelagianum* num.37. Tandem S. Leo in *Epist. Dogmatica ad Flavianum*, contra hæresim Eutychetis plura etiam tum Latinorum, tum Græcorum Patrum loca in medium protulit, ut ille Hæresiarcha verbo tam scripto, quam tradito convinceretur, atque ex utroque de Catholica veritate constaret. Ex his autem omnibus nullus dubitandi locus relinquitur, quin Patres unanimi consensione semper tenuerint, aliqua divinitus inspirata Ecclesiæ voce tantum tradita fuisse, quæ ad fidem illius æque spectarent, ac cetera omnia, quæ in Sacris Litteris habemus. Inde vero illud quoque alterum, quod volebamus, consequitur, eodem in pretio, ac propterea summo, apud Sanctos Patres Divinas fuisse Traditiones, ac Sacram Scripturam.

§. V. Existentiam, & auctoritatem Divinarum Traditionum etiam ex Sacris Litteris compertam habemus.

S. Paulus *ad Corinthios* in sua prima epistola cap. 11. v. 2. ita habet: " Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei " memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tene- " tis". Ante hanc vero epistolam suam nihil Apostolus scripserat Corinthiis: illos ergo laudat, quia ea præcepta tenerent, quæ voce, atque sermone a se audierant: voce ergo etiam, atque sermone tantum Divina præcepta Corinthiis S. Paulus tradiderat: at hæc Divina præcepta voce tantum, & sermone promulgata Sacras Traditiones nos vocamus: de Sacrarum ergo existentia Traditionum Apostoli auctoritate constat, quemadmodum ex citato loco inferunt S. Basilius in lib. *De Spiritu Sancto* cap. 29. nu. 7., S. Epiphanius *Heresi* 61. nu. 6., & S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 26. num. 1. in 1. epist. *ad Corinthios*.

Eodem autem 11. cap. 1. epist. *ad Corinth.* v.23. & seqq. multa quidem eorum, quæ a Domino acceperat, voce tantum a se antea exposita, etiam scripto declarat S. Apostolus; verum non omnia: hisce enim verbis capiti finem imponit: " Cetera autem, quum venero, disponam ". Hæc autem ab eo scripto tradita fuisse, nunquam comperimus. Hinc San-

ctus Augustinus epist. 50. *ad Januarium* num. 8., alias epist. 118. ita infert: " Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut „ in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem „ universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum es- „ se, quod nulla morum diversitate variatur ". Quod quidem ipse Apostolus in altera epistola confirmat, quam dedit ad Thessalonicenses, dum illos ita monet cap. 2. v. 14. " Ita- „ que, fratres, state, & tenete Traditiones, quas didici- „ stis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram „. Hoc autem in loco duplex genus Traditionum distingui ab Apostolo, hoc est tum sermone, tum epistola manifestatas, nemo non videre debet. Utrique autem generi Traditionis vult S. Apostolus, ut Thessalonicenses æque inhæreant: teste itaque Apostolo, & dantur non scriptæ Traditiones, & æqualiter, ac scriptæ, verbum Dei continent. " Hinc est perspi- „ cuum, (inquit S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 2. num. 2. „ in 2. epist. *ad Thessalonic.*) quod non omnia tradiderunt per „ epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt „ fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem „ censeamus esse fide dignam. Est Traditio: nihil quæras „ amplius ".

Tandem, ut alia omittam, S. Paulus Divinis Traditionibus apertissime attestatur, in secunda epistola *ad Timotheum*, in qua ita illum cap. 1. v. 13. monet: " Formam habe sano- „ rum verborum, quæ a me audisti in fide, & in dilectione „ in Christo Jesu. Bonum depositum custodi ". Cap. 2. v. 2. „ Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fideli- „ bus hominibus, qui idonei erunt alios docere ". Quum ergo ea audiri dicantur, quæ voce proferuntur, atque sermone manifestantur; Apostolus autem Timotheum moneat, ut non solum firmiter a se auditis inhæreat, sed etiam ut ea commendet fidelibus hominibus, qui idonei sint docere etiam alios; evidenti argumento id esse debet, plura sola voce, quæ quidem ad fidem pertinerent, a Sancto Apostolo tradita fuisse, illaque voluisse, ut aliis subinde in Ecclesia communicarentur. Hæc perspicua sunt, & nullam contrariam explicationem ad-

admittunt: quæ vero ex Sacris Litteris pro suo errore confirmando Divinarum Traditionum oppugnatores in medium adducunt, vel falso sensu accipi, vel referri non posse ad Divinas Traditiones, facile ostenditur, sicut multi Theologi Polemici jam præstiterunt, Quia ergo ut veritas plus, quam una sit, fieri non potest, aliundeque jam multis confecimus, Divinas Traditiones recipiendas esse, ut verbum Dei non scriptum, quod ad nos successione pervenerit; ideo in diluendis iis, quæ contra ipsum Sacræ Scripturæ sensum nobis opponuntur, nunc immorandum non esse arbitramur.

CAPUT VI.

DE NECESSITATE SACRARUM TRADITIONUM.

§. I. Sine Traditionibus Apostolicis neque etiam de Sacris Litteris constare potest.

Hunc librum esse divinitus revelatum, alterum vero non esse, aliunde certo comperire non possumus, quam ex Divino testimonio: hujus autem Divini testimonii sola Traditio nos certiores facere potest. Nam hujus scripti libri divinitas ex alterius scripti libri divinitate ut constare posset, ejusdem alterius Divinitas prius ex Divino testimonio comperta esse deberet. Undenam autem Divino testimonio comperta esse potest, si Traditione non sit? Anne fortasse aliquem Divinum librum habemus, in quo omnes libri Canonici Divinarum Scripturarum recenseantur? & licet haberemus, de Divinitate illius anne ex alio, quam ex Traditionis principio, constare posset? Ex Traditione ergo tantum, quæ est verbum Dei non scriptum, Divinum testimonium de Sacris libris haberi potest: sine Apostolicis ergo Traditionibus de Sacris Litteris nobis constare non potest. Hac in re etiam Protestantes nobiscum sentiunt, atque fatentur, eam Traditionem, qua nobis est sacrorum Librorum comperta Divinitas, ab Apostolis descendisse. Ita censuit Molinæus in *Novit. Pap.* lib. 1. cap. 51., Episcopius in *Respon.* ad 3. *Dilemma*, Calvinus lib. 1. *Institut.* cap. 8. §. 9., Brentius apud Hosium lib. 4.

De Tradit., & Zanchius tom. 8. *De Script.* qu. 1. prop. 1., & qu. 2. prop. 3., uti legere est apud sapientissimos Walemburgenses fratres *De Tradition.* part. poster. 5. probat. num. 1. 25. & 62.

§. II. Qui ergo non admittunt Traditiones Apostolicas, contra omnem rationem ad Sacram Scripturam, uti ad verbum divinitus inspiratum, recurrunt.

Quandoquidem de Divina inspiratione Sacrorum Librorum ex Traditionibus Apostolicis tantum constare potest (1): qui ergo Apostolicas Traditiones non recipit, nihil ei superest, unde Sacrorum Librorum Divinitatem perspectam habeat: contra omnem itaque rationem ad Sacram Scripturam, uti ad verbum divinitus inspiratum ille recurrit, qui Traditiones Apostolicas non admittit. Hinc quæ hæreticis sui temporis olim Tertullianus opponebat, Protestantibus opponere nos modo possumus: " Si hæc ita se habent, (inquiebat Tertullianus *De Præscript. adversf. Hæreticos* cap.37.) ut veritas „ nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, „ quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a „ Deo tradidit; constat ratio propositi nostri definientis, non „ esse admittendos ad ineundam de Scripturis disputationem, „ quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere ".

§. III. Nullus decertandi finis quoad res fidei, & morum inter homines esse potest, semel ac Apostolicæ Traditiones non admittantur.

Quod Sancti Ecclesiæ Patres in expositione Divinarum Scripturarum unanimi consensione docuerunt, ad Divinam Traditionem procul dubio pertinet (2): est igitur illud divinitus revelatum: nihil vero aliud habemus ad expositionem Divinarum Scripturarum spectans, quod sit divinitus revelatum: rejecta igitur hac in re Apostolica Traditione, nihil certum superest, quo verum sensum Divinarum Scripturarum assequi possimus. Quo ergo jure unus suæ fidei rationi Sacræ Scripturæ interpretationem accommodare poterit, eodem

(1) Super. §. (2) Hujus lib. cap.4. §.5.

dem quoque alter uti valebit, quamvis diversam fidei rationem ipse sequatur. Quod si unus hac de re alterum accusaverit, alter quoque accusare illum poterit. Nam infallibili judicio, quod a Divina Traditione habetur, semel sublato, est unicuique liberum, ut ea interpretatione potissimum utatur, quæ sibi magis arriserit. Litteralem ergo sensum ibi unus excogitaverit, ubi ne vestigium quidem ejus occurrit; metaphoricum alibi alter confinxerit, quamvis nihil minus, quam quid metaphoricum, fingi possit: nonnulli evidentiam, alii ne apparentem quidem rationem de eadem re in iisdem Sacræ Scripturæ locis videre sibi videbuntur, prout eorum erit diversa fides. Divinæ igitur Traditionis hac in re auctoritate sublata, nullus futurus erit dissidiorum finis. " Videtis „ ergo (inquit S. Augustinus *Contra Faustum* lib. 32. cap. 19.) „ id eos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur „ auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid quaque „ Scriptura probet, quid improbet, id est, ut non auctori- „ tati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas „ ipse subjiciat ". Et lib. 11. cap. 5. " Distincta est (inquit) „ a posteriorum libris excellentia canonicæ auctoritatis Vete- „ ris, & Novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata „ temporibus per successiones Episcoporum, & propagatio- „ nes Ecclesiarum, tamquam in sede quadam sublimiter collo- „ cata est, cui serviat omnis fidelis, & pius intellectus ".

Eum quidem spiritum unicuique adesse, quo sensum Divinarum Scripturarum assequatur, Protestantes tuentur; verum id falsum omnino esse, atque ex eo fieri, ut quot sunt homines, tot etiam sententiæ esse possint de varia interpretatione locorum Sacræ Scripturæ; immo hanc de privato spiritu sententiam ad Deismum ex sui natura ducere, est alibi, & quidem pluribus, jam ostensum a nobis (1).

§. IV. Sublatis Traditionibus Apostolicis, etiam Divinæ scriptæ Legis auctoritas tollitur.

Nullius rationis eam legem esse, quam, prout magis sibi placuerit, unusquisque interpretari poterit, nemo non videt.

(1) Vide nostræ *Theol. Revel.* lib. 3. qu. 4. art. 3.

det. Hoc vero est, quod Divinæ Legi contigeret, Traditionis Apostolicæ auctoritate sublata. Nam aliqua nova Revelatio nunc a Deo expectanda non est, qua de intellectione ejus Divinæ Legis certo nobis innotescat; multoque minus aliquem tam impudentem adinveniri posse arbitror, qui supra ceteros hanc sibi Revelationem factam præsumat. Solum ergo humanum judicium supererit, quo de sensu Divinæ Legis certo statui possit. Hoc autem humanum judicium nisi certa aliqua, & infallibili regula dirigatur, incertum, varium, atque multiplex esse necessario debet, prout incerta, varia, atque multiplici cogitandi ratione ducuntur homines. At nulla certa, & infallibili regula, cujusmodi est unanimis consensus Sanctorum Patrum (1), illud regi volunt, qui Traditiones non admittunt: ab incerto itaque, vario, atque multiplici judicio pendere sensum Divinarum Scripturarum, explicationemque Divinæ Legis, superest, ut dicamus. Hoc autem semel posito, si non omnis auctoritas scriptæ Legis tollitur, atque deletur, nulla alia profecto ratione eam tolli, & deleri posse arbitror.

§.V. Si quæ debetur Apostolicæ Traditionis ratio non habeatur, sententiæ hominum Divinis Legibus æquiparantur.

Quia Catholici Apostolicas Traditiones suscipiunt, & venerantur, atque pro fidei dogmate constantissime tenent, quod in verbo Divino non scripto continetur; illud eis ad nauseam usque Protestantes semper obtrudunt, tum Divinæ, tum humanæ auctoritatis eamdem habere rationem, & quod sensere homines, comparare cum Divinis præceptis. Verum ipsi sane hoc eodem crimine laborant, quo Catholicos per summam injuriam accusant. Nam, sicuti ipsi volunt, Sacræ Scripturæ sensus pendet ab interpretatione hominum: eæ ergo secundum interpretationem hominum intelligi debent: prout igitur homines Sacras Litteras intellexerint, Deum in eis aliquid præcepisse, vel prohibuisse, hoc dogma fidei nobis tradidisse, vel non tradidisse, metaphorice, aut litteraliter fuisse loquutum, censendum erit. Si ergo hoc totum ex

(1) Hujus lib. cap. 4. §. 5.

ex interpretatione illa pendet, qua Sacræ Litteræ exponuntur ab hominibus, ex ea quoque fidei morumque ratio pendebit. Quis autem modum isto similiorem unquam invenerit, quo judicia, & sententiæ hominum Divinis legibus æquiparentur?

Eo ergo, ut dicebamus, quo sunt ipsi Protestantes implicati crimine, Catholicos præter omnem rationem accusant. Nam dum Catholici affirmant, dogmata fidei esse, quæ tam in verbo Dei scripto, quam in tradito continentur, non idem tribuunt auctoritati Dei, & auctoritati hominum, sed Divinæ auctoritatis unam eamdemque rationem semper habendam esse constituunt, sive scripto, sive non scripto verbo Deus aliquid nobis revelaverit. Est autem Divinum verbum non scriptum, quod SS. Patres secundum successionem suorum temporum uti fidei dogma tradiderunt, vel in expositione Sacræ Scripturæ communi consensione docuerunt, sicut etiam quod Ecclesiæ judicio uti dogma fidei credendum proponitur (1).

§. VI. Sine Traditionibus sufficienter provisum non esset iis contentionibus, quæ in Ecclesia facile occurrere possunt, & revera sæpe occurrerunt.

Aliquando futurum, ut in Ecclesia non deessent, qui falsis traditionibus alios decipere conarentur, S. Paulus certo prævidit, & hac de causa Colossenses in sua ad eos epistola ita monuit cap.2. v.8. « Videte, ne quis vos decipiat „ per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum tradi„ tiones hominum, secundum elementa mundi ". Et 1. *ad Timot.*.cap.4. v.1. « Spiritus autem manifeste dicit, quia „ in novissimis temporibus discedent quidam a fide, atten„ dentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum ". Sanctus autem Petrus in sua altera epistola totus est in monendo Fideles, ut a falsis doctrinis sibi caveant. Quod autem hi Sancti Apostoli futurum præviderunt, omni ætate contigit, & multiplicibus rationibus, atque diversis contra Catholicam veritatem semper pugnatum fuit. Contra hos ergo

(1) Hujus lib. cap.4. §.2. 5. & 8.

ergo errores, quos Apostoli insurrecturos praeviderunt, & nos multiplices, & diversi generis insurrexisse videmus, sine Traditionibus Ecclesiae revera provisum non fuisset. Quandoquidem Traditio ea est, qua de vera intelligentia Divinarum Scripturarum certissime constat, ita ut fidei dogma id esse dubitari non possit, quod unanimi consensione Patrum in expositione illarum traditum habemus (1). Quod ergo ex Sacris Litteris falso colligitur, sicuti Haeretici facere consueverunt, ex Divina Traditione manifeste confutatur. Ex ea namque perspicuum fit, Dei verbum non scriptum adversari iis, quae ex scripto verbo Dei falso deducuntur. Hac unica ratione tantum ejusmodi errores refelli possunt. Quandoquidem quae aliunde ab homine interpretatio fiat, hominis est, & a Divina auctoritate non procedit. Si autem quispiam ex Sacris Scripturis tantum falsam de iisdem interpretationem refellere aggrediatur, nullus futurus erit disputandi finis. « Deinde (inquit Tertullianus „ *De Praescript. adver. Haereticos* cap. 15.) quoniam nihil pro„ ficiat congressio scripturarum, nisi plane aut stomachi quis „ ineat eversionem, aut cerebri. Ista haeresis non recipit „ quasdam scripturas: & si quas recipit adjectionibus, & „ detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: „ & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus in„ tegras praestat, nihilominus diversas expositiones commen„ tata convertit: tantum veritati obstrepit adulter sensus, „ quantum corruptor stylus. Variae praesumptiones neces„ sario nolunt recognoscere ea, per quae revincuntur: his „ nituntur, quae ex falso composuerunt, & de ambiguita„ te coeperunt. Quid promovebis, exercitatissime scriptu„ rarum, quum si quid defenderis, negetur ex diverso, & „ si quid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil per„ des, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi „ bilem de blasphematione. Ille vero, si quis est, cujus „ causa descendis in congressum scripturarum, ut cum du„ bitantem confirmes ad veritatem, an magis ad haereses „ diver-

(1) Loco cit. §. 5.

„ diverget? Hoc ipso motus, quod videat te nihil promo- „ visse æquo gradu negandi, & defendendi, diversa parte „ statutum ... Ergo non ad scripturas provocandum est, „ nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, „ aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non „ ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem „ parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius pro- „ poni, quod nunc solum disputandum est: quibus com- „ petat fides ipsa: cujus sunt scripturæ: a quo, & per quos, „ quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Chri- „ stiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & „ fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expo- „ sitionum, & omnium traditionum Christianarum “.

Ea autem fidei dogmata, quæ Catholici tenent, contra vero hæretici negant, quæque vel obscure tantum, vel nullo modo ex Sacris Litteris deducuntur, qua tandem ratione a Catholicis sine Divina Traditione defendi possent? Nulla est enim in Ecclesia potestas, quæ fidei dogmata condere possit: nam quod fidei est, divinitus revelatum esse debet, fidesque nostra in Deum revelantem ultimo referatur oportet. Si ergo Divinam Traditionem non haberemus, quæ est verbum Divinum non scriptum, seu non scripta Divina revelatio; ostendi nunquam posset revera dogmata fidei ea esse, quæ nos tenemus, Deoque revelanti propterea adversari illos, qui contra statuunt. Unanimis ergo, atque semper constans secundum successionem temporum consensio Patrum in tradendo aliquo dogmate fidei illa est, qua contra hæreticos ea fidei dogmata defendi possunt, quæ vel nullo modo, vel obscure tantum deducuntur ex Sacris Litteris.

Tandem novitati nihil magis adversatur, quam antiquitas: unde tunc evidenter demonstratur, fidem rei alicujus novam esse, quando a primis temporibus ad hanc usque ætatem apud Ecclesias nullam talem fidem fuisse ostenditur. Quod est enim ab Ecclesiis semper firmissime servatum, nonnisi ex Divina institutione proficisci potuit. At

vero hoc est, quod nos ex ipsa Traditione, quæ omnium Ecclesiarum perpetuæ consensioni innititur, contra eos demonstrare possumus, qui nova dogmata in Ecclesiam introducere, ac veterem fidem subvertere audent, sicuti hæretici nunc faciunt, semperque fecerunt: est ergo in iis Traditionibus, quæ ab Ecclesiarum perpetua consensione proficiscuntur, argumentum firmissimum, quo hæretici de suorum novitate dogmatum convincantur. Iis ergo contentionibus, quæ in Ecclesia facile occurrere possunt, & sæpe occurrerunt, sine Traditionibus sufficienter provisum non esset.

§. VII. Sine Traditionibus quælibet secta hæreticorum contra alteram sectam, aut etiam contra Catholicos, ne apparenter quidem suos errores tueri, immo neque etiam æquo jure id aggredi potest.

Semel ac Traditiones non admittantur, inde consequitur, nullam rationem esse habendam doctrinæ illius, quam Sancti Patres unanimi consensione secundum successionem suorum temporum, uti ad fidem spectantem, docuerunt, vel eadem consensione in expositione Sacræ Scripturæ tradiderunt, sicut etiam eorum omnium, quæ non minus unanimi conspiratione semper Ecclesiæ tenuerunt, atque servarunt. Hæc enim sunt illa capita, quibus de Divinis Traditionibus nobis compertum esse potest (1). Auctoritate ergo tantum Sacræ Scripturæ in defensionem suorum errorum quævis secta hæreticorum contra alteram, aut etiam contra Catholicos uti poterit. De fidei enim dogmatibus disputationem esse nunc supponimus, quæ sola Divina auctoritate adstruenda sunt. Si Protestans ergo rem cum Sociniano habeat, in id tantum adniti poterit, ut plura loca Divinarum Scripturarum in medium adducat, iisque contendat, quam ipse tenet, tradi sententiam. Verum si Socinianus reponat, longe alio sensu, ac Protestans vellet, illa Sacræ Scripturæ loca intelligi oportere, & eo quidam vel maxime, qui sibi favet, quid contra dicere Protestans pote-

(1) Hujus lib. cap.4. §.2. 5. & 8.

poterit? Anne ſuam auctoritatem opponere? anne ſibi tantum vindicare veram intelligentiam Divinarum Scripturarum? anne ſe ſolum hac in re ab errore immunem jactare, ceteros vero omnes errori ſubjectos dicere? Profecto non ſolum ſe quam maxime deridendum, ſed etiam conviciis onerandum præberet, ſi in tam gravi quæſtione ſe hac ratione extolleret, alios vero deprimeret. Quum ergo in interpretatione, & intelligentia Divinarum Scripturarum Proteſtans ſupra Socinianum, aut quemvis alium, nihil a Deo, ſibi promiſſum habeat; ſi æquo jure procedere velit, concedat oportet, æque verum eſſe poſſe, tum quod ipſe, tum quod Socinianus eruit ex Divinis Scripturis. „ Quod quum Calvinus non minus ſpreverit, (hoc eſt habere rationem Traditionis in expoſitione Sacræ Scripturæ, inquit Grotius *in Rivetiani Apologetici Diſcuſſione* num.40.) quam Menno, & Socinus, ideo quæcumque „ Mennoni, & Socino objicit D. Rivetus, eadem ab aliis „ pari jure objiciuntur Calvino. Quæ ergo via exeundi ex „ tot ſciſſuris, inter quas cum magno periculo fluctuant „ populorum animæ? An ea, quam D. Rivetus indicat, „ ut ſcripturas ſequamur ſolas? At eas, & quidem ſolas, „ ſequi ſe clamat Menno, Socinus, Brunus, & alii; & id „ clamando populos in iſtum labyrinthum induxere. *Non* „ *aliunde*, ait Auguſtinus, *natæ ſunt hæreſes*, *& quædam* „ *dogmata perverſitatis*, *illaqueantia animas*, *& in profundum* „ *præcipitantia*, *niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non bene*, „ *& quod in eis non bene intelligitur*, *temere*, *& audaciter* „ *aſſeritur* “. Quod autem hac de contentione diximus, quæ inter Proteſtantem, & Socinianum eſſe poteſt, dicendum quoque eſt de alia quavis contentione, quam unius ſectæ hæreticus cum hæretico alterius ſectæ, aut etiam cum Catholico habere poteſt. Sublatis ergo Traditionibus, nulla ſecta hæreticorum contra alterum ſectam, aut etiam contra Catholicos tueri ſuos errores, immo ne id quidem aggredi poteſt.

§. VIII. Nulla omnino fidei regula hæreticis superest, semel ac Traditiones non admittant.

Sacram Scripturam unicam fidei regulam esse illi contendunt, qui Sacrarum Traditionum nullam rationem habendam volunt. Nullam ergo fidei regulam istis superesse, hoc vero est, quod modo contendimus. Quandoquidem semel rejecta auctoritate unanimis consensionis Patrum in expositione Sacræ Scripturæ, inde consequitur, omnes pro suo arbitrio Sacram Scripturam interpretari posse. Nam etiam Ecclesiæ auctoritas cum auctoritate Patrum una simul tollitur: quum id omne, quod Ecclesia quoad sensum Divinarum Scripturarum definivit, atque futurum est, ut in posterum definiat, secundum auctoritatem Patrum definiverit, atque definitura sit. Protestantes eo volentes adiguntur, ut concedant, unicuique liberum esse interpretari Sacras Litteras, immo ad id nemini a Deo spiritum denegatum volunt. Hoc autem semel posito, Sacram Scripturam esse amplius non posse fidei regulam, nemo non videat oportet. Regula enim fidei certa, & nullo modo mutationi, & errori obnoxia sit oportet: si autem omnes Sacram Scripturam, prout sibi visum fuerit, interpretari possent, de certitudine, immutabilitate, & veritate hujusmodi regulæ omnino actum esset. Quandoquidem Sacræ Scripturæ sensus, & intellectio penderet a maxima diversitate opinionum, sententiarum, atque judiciorum, quæ esse possunt, & revera sunt inter homines. Quod autem pendet a maxima diversitate opinionum, sententiarum, atque judiciorum, quæ esse possunt, & revera sunt inter homines, certum esse non potest, aut mutationi, vel errori non obnoxium. In se ergo spectata, & quatenus est verbum divinitus inspiratum, erit quidem Sacra Scriptura regula certa, atque infallibilis: quod enim a Deo prima veritate proficiscitur, certum, & infallibile esse debet; sed quatenus nos ea utimur,& ad nostram fidei regulam deservit,nihil quoad nos certum, & infallibile continebit. Quo ergo modo humanæ leges nihil certi in se habere possunt, si eas interpretandi jus uni-

unicuique foret; ita etiam si idem juris sit in hominibus quoad interpretationem Legum Divinarum ; nihil ex iisdem certi erui poterit , sed tot diversa doctrinæ capita ex iis eruantur oportet , quot sunt sententiæ , & judicia hominum . Nullam ergo hæretici fidei regulam sibi reliquam habent , semel ac Traditiones non admittant . Quapropter mirandum non est , si apud eos, qui Divinas Traditiones non recipiunt , dum aliqua Sacræ Scripturæ loca exponunt,tanta diversitas habeatur,ut tot sint diversa dogmata fidei , quot fere capita hominum . Quo sane constat, quavis certa regula fidei eos esse destitutos . " Il-
» lic igitur (inquit Tertullianus in lib. *De Præscript. adversf.*
» *Hæreticos* cap. 38.) & Scripturarum , & expositionum adul-
» teratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ.
» Quibus propositum fuit aliter docendi , eos necessitas coe-
» git aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Alias enim non
» potuissent aliter docere , nisi aliter haberent , per quæ
» docerent hæresim . Sicut illis non potuisset succedere cor-
» ruptela instrumentorum ejus ; ita & nobis integritas do-
» ctrinæ non competiisset sine integritate eorum , per quæ
» doctrina tractatur . Etenim quid contrarium nobis in no-
» stris ? Quid de proprio intulimus , ut aliquid contrarium
» ei & in Scripturis deprehensum, detractione , vel adjectio-
» ne , vel transmutatione remediaremus ? Quod sumus , hoc
» sunt . Ab initio suo ex illis sumus , antequam nihil aliter
» fuit , quam sumus . Quid denique fuit , antequam a nobis
» interpolarentur ? Quum autem omnis interpolatio poste-
» rior credenda sit , veniens utique ex causa æmulationis,
» quæ neque prior , neque domestica est ejus unquam , quod
» æmulatur , tam incredibile est sapienti cuique , ut nos adul-
» terum stylum intulisse videamur Scripturis , qui sumus a
» principio , & primi , quam illos non intulisse, qui sunt po-
» steri , & adversi " . Quapropter non est sane , cur hæretici glorientur ex Sacris Litteris id a se peti , quod affirmant : non enim ex Sacris Litteris , sed ex suo ingenio petunt :
» Nec sibi blandiantur , (inquit S. Hieronymus in *Dialogo*
» *adversf. Luciferianos* num. 27.) si de Scripturarum capitulis
» viden-

„ videntur ſibi affirmare, quod dicunt; quum & diabolus de „ Scripturis aliqua loquutus ſit, & Scripturæ non in legendo „ conſiſtant, ſed in intelligendo «.

CAPUT VII.

DE EA CONTRADICTIONE, QUA PROTESTANTES ETIAM IN HOC DOCTRINÆ CAPITE IMPLICATI SUNT.

§. I. Proteſtantes negant Traditiones, eaſque in re graviſſima ſimul admittunt.

Judicium de Sacræ Scripturæ libris, res ſane graviſſima eſt: continent enim ii Divinam Revelationem, ex qua una tantum, ſive ſcripta ea ſit, ſive verbo tradita, de fidei noſtræ dogmatibus conſtare poteſt. At vero Proteſtantes ab ipſa Traditione Sacros Libros acceptos referunt (1): Traditiones ergo in re graviſſima admittunt: ſed ſimul etiam negant Traditiones, eaſque totis viribus oppugnant: ſimul igitur negant Traditiones, & eas in re graviſſima admittunt.

§. II. Totam fidei noſtræ rationem ſine Traditionibus conſtare contendunt, & ſimul concedunt, unicam fidei regulam, quam ipſi admittunt, & a qua tota eorum fidei ratio pendet, non conſtare ſine Traditionibus.

Sicuti nemo non novit, & nos quoque ſupra monuimus, illud exprobrare Catholicis nunquam Proteſtantes deſinunt, humanam auctoritatem eos æquare cum Divina, quia Traditiones admittunt, atque ex illis dogmata fidei colligunt, ipſique propterea ſolum Sacram Scripturam eſſe unicam fidei noſtræ regulam contendunt. Hanc ergo unicam regulam ex Traditione ſeſe accepiſſe, ipſi quoque profitentur, atque non profiteri non poſſunt (2). Nam tum ipſi, tum etiam Catholici, nullam ſingularem Divinam Revelationem habent, qua in cognitionem illorum Sacrorum Librorum venerint, qui divinitus inſpirati ſunt: in quibus ſane inſpiratis libris illa unica regula Proteſtantium continetur. Volunt ergo Proteſtantes, & totam fidei noſtræ ratio-

(1) Cap. præced. §. 1. (2) Cit. loco.

tionem constare sine Traditionibus, & illam unicam fidei regulam, quam ipsi admittunt, quæque juxta eos omnia fidei dogmata continet, non constare sine Traditionibus. Hujusmodi contradictionem etiam Grotius in *Rivetiani Apologetici Discussione* num. 30. Riveto opposuit: " Sicut autem (inquit)
" consentienti testimonio Veterum, qui non extra Ecclesiam,
" sed in Ecclesia sunt, credimus, hos libros esse Matthæi,
" Marci, Lucæ, Joannis, Pauli; pari modo, ac jure tali
" testimonio credimus, hæc, aut illa ore præcepta ab Apo-
" stolis, & in usum introducta ".

§. III. Protestantes nolentes concedunt eam quoque fidei rationem, quam ipsi sequuntur, a Traditionibus suum initium sumere, indeque nova contradictione implicantur.

Legem Evangelicam prius voce traditam, quam scriptam fuisse, jam ostendimus (1): a tradito itaque verbo, non a scripto, suum Lex Evangelica initium accepit. Legem autem Evangelicam se profiteri Protestantes contendunt: eam igitur legem profitentur, quæ ullo sine scripto verbo incœpit, & aliquando substitit: etiamsi ergo nolint, concedant oportet, eam fidei rationem, quam ipsi sequuntur, & incœpisse a Traditione, & sola Traditione aliquando substitisse: Traditionem igitur admittunt, a qua Lex Evangelica incœperit, & aliquando substiterit, ac eam quidem secundum fidei suæ rationem admittunt, & simul quascumque Traditiones negant, indeque nova contradictione implicantur.

§. IV. De contradictione, qua sunt implicati Protestantes, inde quoque constat, quia Traditiones & rejiciunt, & aliquando etiam recipiunt.

Chemnitius sane est unus ex illis, qui contra Traditiones magna animi contentione pugnavit. Nam in *Examine in 2. decretum sess. 4. Concilii Tridentini* totus in eo fuit, ut ostenderet, Traditiones, quæ admittuntur a Catholicis, maximam similitudinem, & affinitatem habere cum traditionibus Pharisaicis, atque Thalmudicis. Attamen dum agit de Traditionibus

(1) Hujus lib. cap. 2. §. 5. & seqq.

bus in *Examine in* 1. *decretum sessionis* 4. ejusdem Concilii ita habet: " Patres ubi hanc Traditionem de libris Scripturæ de-
" scribunt, probant illam ex testificationibus primitivæ Ec-
" clesiæ. Si idem, eadem certitudinis ratione de aliis etiam
" Traditionibus, quarum alicubi mentionem habent, fece-
" rint; valeat sane hoc, & eodem etiam jure recipiantur ". Omnes ergo eas Traditiones hoc in loco Chemnitius admisit, atque suscepit, quas alibi uti Pharisaicas, & Thalmudicas damnavit. Quandoquidem illas nos Traditiones uti Divinas suscipimus, quas suam ab Apostolis originem habuisse, & continua successione semper servatas ad nos usque devenisse constat. Hæ sane sunt Traditiones, in quibus Dei verbum non scriptum, atque dogmata fidei continentur. Hujusmodi ergo Traditiones quum Chemnitius se admittere, & suscipere profiteatur; consequens inde est, ut dum pugnat contra Traditiones, quas Catholici uti verbum Dei non scriptum reverentur, simul eas recipiat, & amplectatur. Quid? Nonne Protestantes fere omnes perpetuam Deiparæ virginitatem contra Helvidium tuentur? Nonne pueros esse baptizandos ante usum rationis contra Anabatistas multi eorum defendunt, validumque esse censent baptisma collatum ab hæreticis? De his vero & aliis pluribus doctrinæ capitibus ex Traditione manifeste compertum habemus. Quoad hæc igitur doctrinæ capita etiam Protestantes Traditiones admittunt, quoad alia vero negant. Traditiones ergo simul admittunt, & negant: qui autem idem simul & eodem modo admittit, & negat; in manifesta contradictione versatur: Protestantes igitur in manifesta contradictione versantur.

Neque est, cur Protestantes reponant, se non solum admittere ea, quæ continentur in Sacris Litteris, sed etiam quæ ex illis consequuntur: talia vero esse supradicta: quandoquidem ex suo privato judicio, quæ nullo modo consequuntur, revera consequi sibi sæpissime fingunt: " Dicunt
" (inquit Grotius in *Annotatis ad consultationem Cassandri* ar-
" tic. 20.) admittendas consequentias. At ipsi consequentias
" sæpe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot, &
" tam

„ tam gravia inter ipsos dissidia, & quotidiana divortia. „ Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admi- „ sit vetus Ecclesia antiquo, & universali consensu. Atque „ ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura, „ & in Traditione, quæ mutuo facem sibi allucent". Dogmata autem fidei derivata velle ex incerto, & fallaci judicio hominum, quo ipsi homines sæpissime abutuntur, summæ profecto insipientiæ fuerit. Ne ergo Protestantes suis adversariis sese deridendos exponant, dum contra eos una cum Catholicis nonnulla dogmata tuentur, de quibus non ex Sacris Litteris, sed ex Traditione compertum est, ad ipsam Traditionem, uti ad certum firmumque principium oportet, ut recurrant.

§. V. Auctoritate illarum Traditionum, quas negant, etiam ipsi Protestantes utuntur, atque ita de sua hac in re contradictione nullum dubitandi locum relinquunt.

Aliquos tantum eorum commemorabo. Chemnitius dum de libero arbitrio agit *in Examine decretorum session.6. Concil. Tridentini*, quam ipse Sacris Litteris interpretationem falso tribuit, Sanctorum Augustini, & Prosperi auctoritate confirmare nititur. *In Examine* autem *decretorum de Justificatione* post multa a se male explicata Sacræ Scripturæ loca ita colligit: "Et Patres quidem licet plerumque sequantur „ analogiam latinæ compositionis in verbo justificare; sæpe „ tamen evidentia Paulinæ disputationis coguntur agnosce- „ re propriam & genuinam hanc significationem, quam „ monstravimus". Rursus antequam citet alia loca Patrum ita habet: "Quando (Patres) emphases verborum in sen- „ tentiis Scripturæ penitus introspiciunt ... tunc dulcissi- „ mis sententiis nostram hanc, immo Scripturæ doctrinam, „ approbant". Tandem dum de Communione sub utraque specie agit *in Examine session. 5. Concil. Tridentini* ad suum tuendum errorem hunc titulum ponit: *Testimonia antiquitatis de communione sub utraque specie*; deinde vero quod sibi proposuit, exequitur, Patrumque auctoritate pessime abutitur.

Vidit sane Dallæus futurum esse, ut tum sibi, tum ceteris Protestantibus opponeretur, iis se quoque uti Traditionibus, quas oppugnarent, earumque auctoritate confirmare, quod tenerent: ut ergo ab hac contradictione tum se, tum alios expediret, Protestantium morem esse dixit, in medium adducere loca Patrum non quidem in defensionem eorum, quæ ipsi tuerentur, sed in confutationem aliorum, quæ oppugnarent. Nam in suo opere *De vero usu Patrum*, in quo est in eo totus, ut evincat, unanimem consensionem Sanctorum Patrum esse purum testimonium hominum, atque dogmata fidei ex eo colligi nullo modo posse, lib.2. cap. 7. ita habet: " Non nego primarios quosdam inter ipsorum Scriptores, quales sunt Bucerus, Martyr, Ivellus Episcopus Sarisburiensis, & recentiores ferme omnes, Patrum libros in disputationibus adhibere: sed si eorum mentem, atque institutum accurate inspexeris, reperies eos ad refutandum, non ad confirmandum, ad evertendas opiniones Romanas, non ad suas constituendas Patrum uti testimonio ". Ita ne vero? Profecto Chemnitius non solum in confutationem sententiarum Catholicarum, sed in suorum etiam errorum confirmationem loca Patrum affert, sicuti jam ostendimus. Eamdem vero rationem etiam Basnagius tenet. Nam contra Traditiones ipse quidem disputat in sua Historia *De Ecclesia* lib.9. cap.5. & seq.; attamen lib.13. & 14. quam multa depromit ex Patribus non minus in confutationem Catholici dogmatis de Transubstantiatione, quam in defensionem sui erroris? Idem quoque servat in sequentibus libris, in quibus de Adoratione Sacramenti, de Cultu Sanctorum, Reliquiarum, Imaginumque agit. Non absimili modo ceteri Protestanres, quos hic referre nimis longum esset, in suis contra Catholicos disputationibus procedunt, sicut unicuique, qui eorum opera legerit, omnino perspectum esse potest. Nam ipse quoque Dallæus id fecit, quod a Protestantibus fieri negavit, ut tum se, tum illos ab omni contradictione expediret. Quandoquidem tam ut suam falsam sen-

ſententiam confirmet, quam ut contrariorum refellat, loca Patrum affert *De vero uſu Patrum* lib. 4. & *Diſputat. De Auriculari confeſſione*. Idem facit in *Diſputat. de Confirmatione*, *& Extrema Unctione*, neque alium modum tenet, dum cetera Catholica dogmata oppugnat, & Proteſtantium errores defendit. Ea ergo ſe contradictione eſſe implicatos, ut dum Traditionum nullam rationem haberi oportere tuentur, ipſi tamen revera habeant, Proteſtantes per ſe produnt.

§. VI. Hac contradictione ſe magis magiſque implicatos Proteſtantes demonſtrant, dum loca Patrum contra Traditiones afferunt.

Quid enim tandem iis Patrum locis, quæ contra nos quoad iſtud doctrinæ caput in medium adducunt, Proteſtantes evincere contendunt? Hæc ſane ſunt, quemadmodum unicuique conſtare poterit, ſi inter ceteros tum Rivetum lib. 3. *Critici Sacri* cap. 9. & Tractatu *De Patrum auctoritate* cap. 6., tum Dallæum *De vero uſu Patrum* lib. 2. cap. 2. legerit: 1. ex auctoritate Patrum illud erui contendunt, Sacram Scripturam per ſe evidentem eſſe, & facile intelligi ab unoquoque poſſe: 2. Sacros Scriptores ea omnia litteris tradidiſſe, quæ ad nos pertinere poſſunt, ac propterea Sacram Scripturam abſque non ſcriptis Traditionibus omnino ſufficere tum ad fidem noſtram regendam, tum ad mores noſtros informandos: 3. nihil aliud a nobis ſuſcipi debere, quam quod eſt traditum in Sacris Litteris, ſi ad regulam tum fidei, tum morum attendatur. Hæc vero omnia ſunt, quæ, data opera, contra Catholicos ipſi tuentur: hæc ſane defendunt pro aris, atque focis: iſta ut tueantur, nullum lapidem non movent. Negare ergo Proteſtantes non poſſunt, Traditionis maximam rationem tunc quoque a ſe haberi, & quidem non ſolum in contraria ſententia oppugnanda, ſed etiam in propria tuenda, quando contra Traditionem agere inſtituunt. Ex hoc autem magis magiſque illud conſtat, quod ſupra oſtendimus (1), hoc eſt ſine Traditionibus nullam ſectam hæreticorum contra alteram, aut etiam contra Catholicos ne apparenter quidem ſuos errores tueri poſſe.

(1) Cap. præced. §. 7.

LIBER XVI.

DE LEGE HUMANA.

QUUM de legibus agere instituerimus, postquam de æterna, naturali, & Divina, tum scripta, tum tradita disseruimus, doctrinæ ordo postulat, ut humanam explicare aggrediamur. De ea ergo generatim, atque universe in hoc libro disputabimus, quatenus scilicet est quædam lex positiva; in quo sane lex tam ecclesiastica, quam civilis, de quibus infra distincte, atque pluribus acturi sumus, inter se conveniunt. De ea potestate 1. disseremus, quæ est in hominibus, ferendi illas leges, quæ humanæ societati utiles, aut necessariæ sunt: 2. de conformitate quam humanæ leges cum naturali, atque Divina habere debent: 3. de obligatione legum humanarum: 4. de ea ratione, qua obligant humanæ leges: 5. de objecto legum humanarum: 6. de earum interpretatione, dispensatione, & abrogatione: 7. de acceptatione.

CAPUT I.

DE EA POTESTATE, QUÆ EST IN HOMINIBUS, FERENDI ILLAS LEGES, QUÆ SUNT HUMANÆ SOCIETATI UTILES, AUT NECESSARIÆ.

§. I. Ipsa natura hominum exigit, ut sit qui inter eos potestatem legislativam habeat.

Non solum homo ad societatem est natus, sed etiam sine societate neque in rebus necessariis, neque in utilibus, neque in honestis sibi sufficere potest. Ipsa ergo natura, sicuti inquit Cicero lib. 1. *Officiorum*, " vi rationis „ hominem conciliat homini & ad orationis, & ad vitæ so„ cietatem; ingeneratque in primis præcipuum quemdam „ amorem in eos, qui procreati sunt; impellitque, ut ho„ minum cœtus & celebrari inter se, & sibi obedire velit ".

At

At sua ipsa natura homo non solum societatem cum aliis appetit, sed etiam ut eam quærat, quadam necessitate compellitur. Quot enim, quantaque sunt, quæ unus homo, & una familia, ab alio homine, & ab alia quærere familia debet? Anne unus homo, unaque familia, immo una civitas, provincia, aut regnum ea omnia per se sibi parare valet, quæ vel necessaria sunt, vel esse possunt? Profecto ipsa experientia contra clamante, nemo sane id affirmare auserit. Non solum autem necessitate, sed etiam utilitate, atque honestate homines ad societatem alliciuntur. Nam, ut omittam mutua consuetudine valde recreari homines, & si quos mœrores habeant, facile deponere, nonne, illa sublata, sublatæ quoque essent omnes utilitates, quarum sibi invicem homines causa esse solent, omnesque expertes evaderent cujusvis institutionis, quæ hominem bene moratum facit, expeditum in rebus agendis, atque instructum in vario genere disciplinarum, prout ad uniuscujusque utilitatem, & honestatem magis conferre potest? Quapropter, sicuti Cicero inquit lib. 5. *De Finibus*, " Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quasi quædam societas, & communicatio utilitatum, & ipsa charitas generis humani, quæ nata a primo statu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio, & stirpe conjungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post civitatibus, cum civibus, & iis, qui publice socii, & amici sunt, deinde totius complexu gentis humanæ ".

Semel ac autem societatem & ipsa natura hominis quærat, & necessitas, utilitas, atque honestas ejusdem hominis postulet, inde consequitur, ab ipsa natura hominum illud quoque requiri, ut sit inter eos, qui legislativam potestatem habeat. Nam nulla societas sine legibus recte disposita esse, aut subsistere potest. " Multis enim existentibus hominibus (inquit S. Thomas *Opusculo* 20. *De Regim. Princip.* lib. 1. cap. 1.) & unoquoque id, quod est

" sibi

„ sibi congruum, providente, multitudo in diversa disper-
„ geretur, nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum
„ multitudinis pertinet, curam habens; sicut & corpus ho-
„ minis, & cujusvis animalis deflueret, nisi esset aliqua
„ vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum com-
„ mune omnium membrorum intenderet". At vero oportet, ut in aliquo, vel in aliquibus simul unitis, sit legislativa potestas, ut omnes ea impulsi in unum tendant, atque agant, quod societatis commune bonum requirit: ipsa igitur natura hominum, quatenus est ad societatem instituta, exigit, ut sint inter eos, qui legislativam potestatem habeant.

§. II. Ea est natura communitatis, ut legislativam potestatem requirat, qua regatur, atque gubernetur.

Nihil recte dispositum in ea communitate esse potest, quæ non habeat, a quo regatur: in eo enim statu unusquisque quod sibi in mentem veniret, perficere contra illa posset, quæ ad communitatem spectant, & boni communis rationem in se continent. Insuper, aliquos demus esse futuros, qui ex se boni communis utilitatem quærant; tamen neque sollicitudo istorum aliorum multorum improbitatem superabit, neque diutius persistet, quum brevi tempore cujusvis arbitrio ea destruenda esse perspecturi sint, quæ magno ipsi labore, atque industria procurarunt. Huic autem tam gravi malo ejus tantum auctoritate prospici potest, qui legislativam potestatem habeat, atque ipsa sanctione legum prohibeat, ne detrimentum communi bono quispiam inferat; eos autem, qui ad commune bonum cooperantur, in instituto proposito magis magisque confirmet. Nam esse in Republica constitutam potestatem, ut ea homines ad bonum excitentur, a malo autem arceantur, ait Apostolus Petrus in sua 1. epist. cap. 2. v. 14. dicens esse constitutam potestatem super homines *ad vindictam malefactorum*, *laudem vero bonorum*, & Apostolus *Roman.* cap. 13. v. 3. " Vis autem (inquit) non timere
„ potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa". Potestatem ergo legislativam, qua regatur, atque gubernetur, ipsa

ipsa communitas ad sui rectum ordinem incolumitatemque requirit.

§. III. Legislativam potestatem postulat etiam ipsa ratio civilis corporis, quod homines in societatem uniti componunt.

Sicuti physicum corpus, ita etiam civile, cujusmodi illud est, quod homines in societatem redacti constituunt, pluribus, iisque inter se diversis, partibus constat. Nam quemadmodum physici corporis alia pars est caput, alia collum, alia pectus, alia manus, alia pedes; simili quoque ratione inter se distinctæ, atque diversæ sunt partes politici corporis, quum homines ætate, conditione, ingenio, inclinatione, institutione, muneribus, atque aliis multis inter se differant. Quapropter quæ est ratio physici, eadem quoque est & politici corporis. Si autem nullum principium esset, quo partes physici corporis regerentur, & unaquæque earum non ad suam tantum utilitatem, sed præcipue ad conservationem totius referretur; physicum corpus neque in se recte dispositum esse, neque diutius perdurare posset: ergo etiam in civili corpore idem consequuturum dicamus oportet, semel ac aliquod principium non habeat, quo singulæ ejus partes in debito ordine contineantur, & ad bonum commune procurandum informentur. Nihil autem magis efficax ad continendas in suo officio partes politici corporis ipsa vi legislativa adinveniri potest: ea enim unamquamque partem attingit, atque ad præstandum, quod, communis boni habita ratione, debet, illam æquo jure adigit: ipsa ergo ratio civilis corporis, quod homines in societatem uniti componunt, postulat potestatem legislativam.

§. IV. Hæc legislativa potestas duplex sit oportet, una, quæ præsentis, altera, quæ futuræ vitæ commune bonum respiciat.

Si bona, ad quæ nunc homines legislativa potestate promoveri, & mala, a quibus revocari debent, ad vitam præsentem solummodo spectarent; vel si quæ tantum ad præsentem felicitatem conferunt, consectari, quæ vero illi adversan-

ſantur, fugere deberent; tunc ſane præter eam legislativam poteſtatem, quæ vitæ præſentis commune bonum reſpicit, altera non requireretur: at vero eorum omnium, quæ nunc agimus præmium, vel pœnam in altera vita nobis retribui oportere, atque in eo potiſſimum a nobis nunc laborandum eſſe, ut cœleſtia bona in altera vita conſequamur; hæc illa ſunt, quæ Chriſtus in ſua ſanctiſſima Lege ſæpius indixit: illud igitur corpus, quod homines in ſocietatem uniti conſtituunt, non ſolum ea legislativa poteſtate regi debet, quæ tendat ad procurandum commune bonum vitæ præſentis, ſed etiam, & quidem potiſſimum, altera, quæ ſit inſtituta ad curandam futuræ vitæ felicitatem: duplex ergo huic corpori poteſtas neceſſaria eſt, una, quæ præſentis, altera, quæ futuræ vitæ commune bonum reſpiciat.

§. V. Hæc duplex legislativa poteſtas ſibi mutuo non adverſatur, ſed una alterius utilitatem promovet.

Ea, ad quæ utraque poteſtas refertur, tantum abeſt, ut ſibi mutuo opponantur, quin potius ita diſpoſita eſſe debent, ut juxta Evangelium, quæ ſunt propria prioris legislativæ poteſtatis ad illud ultimo referri debeant, quod altera legislativa poteſtas ſibi propoſitum habet. Fieri autem non poteſt, ut duæ leges ſibi mutuo adverſentur, quando ea, circa quæ verſantur, ad ſe invicem referuntur: duplex ergo iſta legislativa poteſtas, de qua nunc loquimur, ſibi mutuo non adverſatur.

Immo vero una alteri utilitatem affert: nam priori legislativa poteſtate efficitur, ut homines ea proſequantur, quæ ad bonum commune vitæ præſentis conducunt, abſtineant vero ab aliis, quæ illi nocent: ſed ex eo quod aliquis ea proſequatur, quæ ad commune bonum ſpectant, fugiat autem, quæ illi nocent, ſecundum virtutem agit, atque dum ſecundum virtutem agit, ad illius boni conſequutionem diſponitur, quod altera legislativa poteſtas intendit: illa igitur legislativa poteſtas, quæ reſpicit commune bonum vitæ præſentis, eſt utilis alteri legislativæ poteſtati, quæ commune bonum alterius vitæ ſibi propoſitum habet.

Eſt

Est vero & de ista idem dicendum, illius habita ratione. Ista enim in id incumbit, ut homines interius exteriusque bene morati sint, & exercitationi virtutum incumbant: id autem quam maxime conducere non solum ad consequutionem æternæ felicitatis, sed etiam ad commune bonum vitæ præsentis, nullus sane negaverit; sicut igitur illa istius, ita etiam ista illius utilitatem promovet.

CAPUT II.

DE EA CONFORMITATE, QUAM LEX HUMANA CUM NATURALI, ATQUE DIVINA, TAM SCRIPTA, QUAM NON SCRIPTA, HABERE DEBET.

§. I. Leges, quæ proficiscuntur a potestate legislativa, quæ hujus vitæ bonum commune respicit, a Lege naturæ deducendæ sunt.

Lex naturæ illa omnia principia complectitur, quibus noster vivendi modus, prout convenit naturæ hominis, regitur, eorum quoque habita ratione, quæ unus alteri reddere debet, atque mutua inter se hominum societas exposcit. Hoc enim Ethnicis quoque philosophis non aliunde perspectum fuit, quam ab ipsius legis naturæ principiis. Leges autem ab ea legislativa potestate proficiscentes, quæ hujus vitæ commune bonum respicit, præsentem communem felicitatem sibi propositam habent, indeque eas potissimum actiones dirigunt, quæ mutuam societatem hominum respiciunt: hujusmodi ergo leges a naturæ lege deducendæ sunt, quatenus lex naturæ est illa regula proxima, a qua civiles leges proficiscuntur.

§. II. Nonnullæ harum legum a legis naturæ præceptis derivantur, sicuti a suis principiis.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceri: omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, sunt sane principia multorum, quæ lege humana servanda præcipiuntur hominibus ad publicum bonum tuendum. Ex his enim illa omnia proficiscuntur, quæ civili lege sancita legimus quoad

emptiones, atque venditiones; quoad mercaturas ultro citroque de rebus quibusdam faciendas, vel non faciendas; quoad publicam annonam fartam tectamque servandam; vitanda monopolia, aliaque ejusdem generis, quæ si fierent; in aliquorum quidem utilitatem, in detrimentum vero multitudinis cederent. Sicuti autem ex prædictis legis naturæ principiis, ita ex aliis multa derivantur, quæ civili lege constituta fuerunt, quæque non est, cur nos modo singillatim recenseamus. Nonnullas ergo illarum legum, de quibus modo loquimur, derivari a legis naturæ præceptis, sicut a suis principiis, comperta res est.

§.III. Earumdem legum aliquæ derivantur a legis naturæ principiis, quatenus ea singulariter determinant, quod istis generatim constitutum est.

Puniri oportere illum, qui alteri detrimentum præter omnem æquitatem intulit, ac per hoc publicæ tranquillitatis violator extitit, ipsa naturæ lege constitutum habemus; non est vero eadem lege determinatum, quænam huic, vel alteri pœna infligenda sit, qui hæc, aut illa crimina commiserint. Hoc ergo dum civili lege præfigitur, lex ipsa civilis a lege naturæ derivatur, quatenus quod est ista generatim constitutum, illa singulariter determinat. Quia vero est illud quoque præscriptum lege naturæ, ut gravioribus criminibus gravior quoque pœna, levioribus autem levior pœna infligatur; ideo tunc quoque lex civilis a lege naturæ dimanat, quatenus singulariter determinat, quod est illa generatim constitutum, quando certas quasdam graviores, levioresque pœnas ab iis subeundas decernit, qui graviora, aut leviora crimina commiserint.

§. IV. Leges, quæ ex præceptis legis naturæ, sicut ex primis principiis, derivantur, præcipere, aut prohibere id quoque possunt, quod in se spectatum legis naturæ præceptis neque consonum, neque contrarium sit.

Si ad præcepta legis naturæ attendamus, hæ res indifferentes sunt: nempe certo quodam tempore arma non deferri: e civitate hæc, vel illa non exportari, aut in-
eam

eam non advehi: nonnullarum rerum venditionem præcipi, aliarum prohiberi: aliaque multa hujus generis fieri, quæ in se spectata secundum præcepta legis naturæ æque fieri, vel non fieri possunt. Hæc vero omnia legislativa illa potestas, quæ hujus vitæ bonum commune respicit, revera complectitur, immo oportet, ut complectatur, temporum, locorum, aliorumque, quæ occurrere possunt, habita ratione; alioquin communi utilitati non prospiceret. Legis ergo naturæ præcepta non exposcunt, ut id omne consonum eisdem, vel contrarium absolute sit, quod ab humana legislativa potestate præcipitur, vel prohibetur. Ex hoc tamen non consequitur, ut humana lege quidquam præcipiatur, aut prohibeatur, quod ex legis naturæ principiis deductum non sit: exigunt enim principia ista communi utilitati in omnibus esse prospectum, prout temporum, locorum, & personarum ratio postulat. Hoc autem ut servetur, quemadmodum ipsa experientia compertum habemus, ea quoque sæpissime præcipienda sunt, vel prohibenda, quæ secundum naturæ legem neque præcipiuntur, neque prohibentur, si absolute, & in se ipsis spectentur.

§. V. Ea legislativa potestate, quæ hujus vitæ commune bonum respicit, nihil constitui potest, quod sit quovis modo Divinæ legi aut scriptæ, aut traditæ contrarium.

Subditus, quod est sui Principis auctoritate constitutum tollere non potest, & si id facere audeat, est profecto puniendus. Quamvis autem alicujus legislatoris sit late extensa potestas; etsi ipse per se solus leges ferendi plenissimam auctoritatem habeat: licet dominium super alios æquo jure illi competat; semper tamen est ipse quoque Deo omnino subjectus: sine gravi itaque scelere id sua legislatione præcipere non potest, quod Divinæ Legi, sive scriptæ, sive traditæ quovis modo adversatur.

§. VI. Falsa est illa communis boni ratio a civili legislatore quæsita in iis, quæ Divinæ Legi quovis modo adversantur.

Bonum commune superioris ordinis præferri in legis-

latione debere bono communi inferioris ordinis; nullus sane negaverit. Hinc vero est; ut vitæ præsentis commune bonum cum detrimento ejus boni, quod ad vitam futuram spectat, nulla lege quæri possit: quod sane Grotius quum non adverterit, in turpissimum errorem lapsus fuit (1). Dum vero a legislatore commune bonum nunc quæritur in iis, quæ Divinæ Legi aliquo modo adversantur, hujus vitæ commune bonum bono communi alterius vitæ sane præfertur: nam Divinorum transgressione mandatorum impedimur, ne alterius vitæ felicitatem consequamur: falsa est igitur illa communis boni ratio, quæ a civili legislatore quæratur in iis, quæ Divinæ Legi quovis modo adversantur.

§. VII. Utilitas, & felicitas proveniens ex ea legislatione, quæ Divinæ Legi opponitur, illos tantum movere potest, qui omnem præsentis, nullam vero futuræ vitæ rationem habeant.

Futurum, ut semper, & præcipue in hac vita puniantur, quæ contra Divinam Legem nunc admiserimus; sicuti etiam semper, & præcipue in hac vita nos recepturos præmium illorum, quæ secundum Divinam Legem recte operati fuerimus; nullibi in Evangelio statuitur: quin immo illud sæpe nobis indicitur, ut non homines, qui corpus tantum occidere possunt, sed Deum, qui animam mittere valet in gehennam ignis, timeamus; gaudeamusque, dum in hac vita patimur, quia merces nostra multa est in cœlis. Ex hoc autem consequitur, illos omnes homines, qui iis quoque legibus, quæ Divinæ adversantur, commune hujus vitæ bonum promovere contendunt, omnem præsentis, nullam vero futuræ vitæ rationem habere, futuramque vitam negligere.

§. VIII. Leges proficiscentes a legislativa potestate, quæ alterius vitæ felicitatem respicit, nihil legi naturæ contrarium continere debent.

Idem sane est auctor ejus felicitatis, quam in altera vita

(1) Lib. 1. cap. 2. §. 5. & seqq.

vita nos consequuturos esse confidimus, ac sit legis naturalis: aliunde etiam dum lege naturali a Deo sibi impressa quispiam abutitur, vel contra illam agit, pœnam a Deo in altera vita meretur. Repugnat ergo, ut ea lex, quæ alterius vitæ felicitatem intendit, aliquid legi naturæ contrarium contineat.

§. IX. Quia tamen alterius vitæ felicitas est quædam res supernaturalis, non oportet, ut a naturæ lege deducantur, quæ hujusmodi prædicta legislativa potestate constituuntur.

Unum idemque non est, adversari naturæ legi, & supra eam positum esse: naturæ legi adversatur, quod ejus principiis opponitur: est autem supra eam positum, quod illius principia transcendit. Adversatur autem rectæ rationi, quod opponitur legi naturæ, & hinc est, ut nulla lex complecti possit aliqua eorum, quæ sunt contra legem naturæ. At vero legi naturæ contrarium non est, quod ejusdem principia transcendit; & ideo lex aliqua etiam circa illa versari potest, quæ sunt supra naturæ legem. Hoc vero est, quod ei potissimum legi convenit, quæ ex sui institutione alterius vitæ felicitatem respicit. Alterius enim vitæ felicitas quidpiam est, quod omnem naturæ ordinem excedit, quum a Deo proficiscatur, quatenus est auctor gloriæ supernaturalis. Quum ergo quæ sunt ordinis supernaturalis ad illam legem spectare debeant, quæ supernaturalem finem respicit; consequens inde est, ut ea lex, quæ ex sui institutione supernaturalem felicitatem intendit, præcipue a principiis supra naturalem rationem positis sua præcepta mutuari debeat. Præcepta ergo ejus legislativæ potestatis, quæ futuræ vitæ felicitatem respicit, non oportet, ut a lege naturæ deducantur.

§. X. Deduci ergo illa potissimum debent a principiis, quæ sunt supra ordinem naturæ.

Etiam observationem naturalium præceptorum, dum ea tendimus ad Deum auctorem supernaturalem, conducere ad consequutionem æternæ felicitatis, nullus sane negare potest;

potest; verumtamen hujusmodi observatio in se spectata tanti non est, ut nos compotes efficere possit felicitatis supernaturalis: contra vero supernaturalium observatio mandatorum, non solum quia ad Deum auctorem supernaturalem refertur, sed etiam ex ipsa sui natura, quatenus est a Deo auctore supernaturali, ad consequutionem supernaturalis felicitatis conducit. Si ergo ad finem consequendum ea media adhiberi debent, quæ cum illo majorem proportionem habent; quum hæc legislativa potestas, de qua nunc loquimur, finem supernaturalem respiciat, sua præcepta ex iis potissimum principiis mutuari debet, quæ sunt supernaturalia, quia ista præ ceteris cum fine supernaturali majorem proportionem habent.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM.

§. I. Leges humanæ injustæ nullam obligationem inducunt.

Quod est injustum nulla humana potestate præcipi potest; alioquin humana potestas jura omnia rationis pervertendi facultatem haberet: quod autem præcipi non potest, si illud præcipiatur, nullam vim obligandi habet: hæc enim obligatio juri præcipiendi respondere debet.

Est tamen advertendum, aliquas leges esse injustas, eorum, circa quæ versantur, habita ratione, quatenus juri Divino, vel naturali opponuntur; alias vero, si attendatur ad finem, quatenus ad commune bonum non conducunt; vel ad auctorem illarum, quia legislator in ferendis legibus suam potestatem excessit; vel ad formam, ex eo quia æqualitas proportionis, prout oportebat, in imponendis oneribus servata non fuit. Quæ secundum priorem acceptionem injustæ sunt, non solum obligationem non inducunt, sed etiam nullo modo servari debent, quia nulla humana legislativa potestate ea obligatio tolli potest, qua omnes, quæ sunt juris naturalis, atque Divini, semper servare debent; aliundeque

deque ista nullam exceptionem admittunt: quæ vero sunt injustæ secundum alias acceptiones, ad vitandum scandalum, communem perturbationem, graviusque communis boni detrimentum servari possunt, immo & debent. Tunc enim ratio communis utilitatis vult, ut juri nostro cedamus, iisque legibus obtemperemus, quarum aliunde nulla obligatione detineremur.

§. II. Homines in se habent evidens testimonium ejus obligationis, ob quam legibus humanis obtemperare debent.

De legibus justis nunc loquimur. Si quid ergo contra conscientiam faciamus, ipsa interius repugnante, facimus, & dummodo ad summum impietatis non devenerimus, in qua ipsius quoque peccati pudorem exuisse videamur, latere saltem alios quærimus, & in eorum non devenire cognitionem, quod male agimus. Hoc vero est, quod experiuntur, atque faciunt homines, dum contra humanas leges peccant: se enim agere, contra ac deberent, sua eos conscientia monet, eique dum resistunt, ac leges sibi positas transgrediuntur, illud curant, quam diligentissime possunt, ne quod faciunt, in cognitionem aliorum veniat, quamvis pœnam ejus declinare possint. Quo sane constat de obligatione parendi humanis quoque legibus, evidens testimonium in se homines habere.

§. III. Ei bono, quod leges respiciunt, satis prospectum non esset, & facile ipsis legibus illuderetur, semel ac homines secundum conscientiam non obligarentur parere legibus.

Vinculum internæ obligationis quoad rem istam si auferatur, nihil aliud reliquum est, quam ut homines vel sua ipsi voluntate eligant obtemperare legibus, vel ad id adigantur aut timore boni, quod amittere, aut metu pœnæ, quod subire deberent, semel ac leges transgrederentur.

Ei bono prospectum non esse, quod ab hominum libera voluntate pendet, præcipue si illud tale sit, ut multis gravamen aliquod afferat, sicuti in nostro sæpe contingit, tam manifestum est, quam quod maxime. Nam quod ab homi-

hominum libera voluntate pendet, æque ab eis, eodemque jure tam agi, quam non agi poteſt. Quod vero ab hominibus eadem ratione, qua agitur, omitti etiam poteſt, ex ſui natura omnino incertum eſt, atque fallax: tale ergo eſſet bonum illud, quod intenditur a legibus: ei ergo proſpectum non eſſet, ſemel ac vi interiori homines ad illud præſtandum non obligarentur.

Utilitate quidem proprii commodi, aut timore pœnarum ad leges ſervandas quandoque homines adigi poſſe fateor: verum ſi præter hæc nullum interioris obligationis principium habeatur, ipſis legibus ſæpe illudendum eſſe conſequitur. Quid? anne omnes eodem modo utilitate ducuntur? anne omnibus omnia æque utilia ſunt? anne quod leges pro communi bono ſibi propoſitum habent, cum multorum privata utilitate ſemper conjungitur, & non potius ſæpiſſime contingit, ut illi opponatur? Qui ergo utilitate ducuntur, eamque ex obſervatione legum ſibi parabunt, indulgebunt legibus, non vero alii, quorum ratio omnino diverſa ſit, ſicuti ſæpius contingit: hoc eſt, multi proprio genio potius, quam communi utilitati conſultum vellent, dum nullam ſibi ſingularem, & propriam ex obſervatione legum aſſequuntur. A nonnullis ergo tantum ob utilitatem leges ſervabuntur, & ab iis quidem ulla ſine firmitate, atque ſtabilitate, quum non ſemper idem ſit utile, & quod modo utile eſt, alio tempore non ſolum inutile, ſed etiam noxium ſæpe fiat.

Si vero quiſpiam ad obſervationem legum tantum metu pœnarum, nulla autem interiori obligatione conſcientiæ, ducatur, nimis incerto principio ducitur. Qua enim de cauſa contingit, ut homines leges tranſgrediantur, dum pœnas inde ſibi debitas aliqua ratione vitare poſſe putant? Profecto non alia, niſi quia conſcientiam interius contra clamantem non auſcultant. Ob id ſane contingit, ut illud quoque, quod a legiſlatoribus ad obtinendam obſervationem legum ſalubriter inſtitutum eſt, irritum ſæpe fiat. Semel ac autem ab omni interiori obligatione ſervandi leges homines omni-

omnino exuti ſupponantur, profecto metum pœnarum tunc multo facilius excutient, & ſibi curæ quam maxime erit, evadere pœnas tranſgreſſoribus legis infligendas, non vero ſervare leges. Timor igitur pœnarum, conſcientiæ obligatione ſecluſa, ad obſervationem legis non valde confert. Si igitur ponamus, homines interius non eſſe obligatos parere legibus, ei bono, quod leges reſpiciunt, ſatis proſpectum non eſſet, & ipſis legibus facile illuderetur.

§. IV. De interiori iſta obligatione parendi legibus conſtat, tam ſi ad ipſas leges, quam ad ſubditos attendatur.

Leges ſemel ac juſtæ ex omni ea parte ſint, ex qua debent, ab æterna lege proficiſcuntur. Id autem non ſolum de omnibus legibus communi ratione compertum habemus, ſed etiam de ſingulis ſingillatim (1). Lex vero æterna vim interiorem obligandi habet, quum lex Dei ſit, cui non minus ſupra corpus, quam ſupra animam ſupremum dominum competit: igitur obligandi vis interior etiam humanis legibus ab ipſa æterna Dei lege ineſt. Nam lex æterna in ſe ſpectata neque nota eſt hominibus, neque obligat, ſed ſicut per alias leges ab ea proficiſcentes cognoſcitur, ita etiam per eas obligat (2): igitur etiam per legem humanam, quæ ab æterna derivatur, ipſa lex æterna cognoſcitur, & obligat: lex igitur humana vim internam obligandi habet, quatenus ab æterna derivatur, quemadmodum tradit S.Thomas 1.2.qu.95. art. 4. inquiens: " Si quidem juſtæ ſint, (leges humanæ) „ habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a „ qua derivantur, ſecundum illud *Proverb.* 8. 15. *Per me Re-* „ *ges regnant, & legum conditores juſta decernunt* ".

Neque minus de hujuſmodi interiori obligatione conſtat, ſi ad ſubditos attendatur. Nam ſubditus quod ſibi interius ineſt, ſibique congenitum habet, a ſe expellere non poteſt: talis vero eſt hæc interna obligatio, de qua nunc loquimur. Nam ſupremus conditor hanc ei obligationem impoſuit, eamdemque tum in aliis, tum in humana lege mani-

(1) Lib.3. cap.2. §.1. & ſeqq. (2) Eodem cap. §.6. & ſeqq.

festavit, atque declaravit (1). Si ergo nemo facere potest, quin sit interius Deo subjectus, neque etiam facere posse debet, quin sit interius legitimæ potestati humanæ subditus. De interiori ergo obligatione parendi legibus constat, tam si ad ipsas leges, quam ad subditos attendamus.

Mirum sane est, quam multis Protestantes, & præcipue recentiores, contendant, vim interius obligandi humanæ legislativæ potestati non inesse. Hoc autem, quod ad contemptum legum tendit, sicuti jam ostendimus (2), ideo tenent, atque tuentur, ut inde evincant, a legislatore impediri non posse, ne quam fidei rationem, velit unusquisque subditus, sequatur. Bælius, homo sane scepticus, in *Commentario Philosophico* ad nauseam usque hac de re pertractat, illudque cum aliis sæpe urget, sæpissimeque repetitum pro suo more modo in unam, modo in alteram partem versat, potestatem humani legislatoris tanti non esse, ut subditi animum obligare possit; corpus quidem subditi subjici potestati legislatoris concedit, non vero animum; ac propterea humana lege obligationem interiorem induci posse negat. Verum ignorant isti sane omnes, aut saltem se ignorare fingunt, in lege humana, quæ non adversetur æternæ, vim obligandi inesse ab æterna lege, quæ non solum se in illa manifestat, sed etiam vim suam interius obligandi prodit: unde mirandum non est, si laborando nihil proficiant, quia ab ipso homine legislatore derivari non posse falso supponunt, quod revera derivatur; non ita quidem, ut ipse internæ obligationis sit primum principium, sed ut lex ejus habeat hanc interius obligandi virtutem a lege æterna, quæ & in humana manifestatur, & per eam vim suam interius obligandi exerit.

§. V. Etiam ex Sacris Litteris compertum habemus, debere homines propter conscientiam parere legibus ab ea legislativa potestate latis, quæ alterius vitæ felicitatem sibi propositam habent.

Quando claves Regni cœlorum se Petro daturum Christus

(1) Cit. loco. (2) Hujus cap. §. 3.

ftus promisit, hæc ad illum habuit, ficuti *Matthæi* cap. 16. v. 19. legitur: " Quodcumque ligaveris super terram, erit li-„ gatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, „ erit solutum & in cœlis ". Ligatum autem, aut solutum in cœlis quum illud esse dicatur, quod conscientiæ obligationem respicit, evidenti argumento id est, futurum, ut in conscientia obligarent, quæ S. Petrus ejusque Successores constituturi erant. Apostolos quoque *Matth.* cap. 18. v. 18. Christus monuit, ligata, aut soluta futura esse in cœlis, quæ in terris tam ipsi, quam Successores illorum ligassent, aut solvissent. Qua de causa illud etiam in eodem *Matthæi* cap. v. 17. Christus præcepit, ut ficuti ethnicus, & publicanus ille haberetur, qui audire Ecclesiam detrectaret, & *Lucæ* cap. 10. v. 16. in persona Apostolorum se audiri, vel sperni affirmavit. Apostoli autem utentes ea auctoritate, quæ sibi tradita fuerat, congregati Hierosolymis id tantum oneris imponere Christianis decreverunt, ut ab immolatis simulachrorum, & sanguine, ac suffocato abstinerent: atque S. Paulus dum Syriam, & Ciliciam ambularet, & Ecclesias confirmaret, indixit eis, ut præcepta Apostolorum, ac Seniorum custodirent, ficuti *Actorum* cap. 15. legimus. Ecclesias autem Sanctus Paulus in iis profecto confirmabat, quæ conscientiæ, veræque fidei rationem respiciebant. Hinc idem S. Apostolus hæc Thessalonicensibus præcepit (1): " Quod si quis non „ obedit verbo nostro per epistolam; hunc notate, & ne „ commisceamini cum illo, ut confundatur ". Ille autem, qui Apostoli præcepta non servasset, tam gravi pœna dignus profecto non fuisset, si id agens contra Deum non peccasset.

Et re quidem vera an Ecclesia non habet a quibus regatur, atque pascatur? Habet sane, ficuti *Actorum* cap. 20. v. 28., & 1. *Petri* cap. 5. v. 2. legimus. Hi autem & bene regere Ecclesiam, & pro diversitate temporum pascere non possent, si leges condendi, atque ad observationem illarum vi etiam adigendi potestatem non haberent. Habent vero utramque ficuti supra commemorata loca Sacræ Scripturæ osten-

(1) *Thessal.* cap. 3. v. 14.

ostendunt, & S. Paulus sæpe confirmat. 1. *Corinth.* cap. 11. v. 2. inquit: " Præcepta mea tenetis "; & in fine capitis: " Cetera, quum venero, disponam ". Ejusdem epistolæ cap. 4. v. 21. " Quid vultis, in virga veniam ad vos "? 1. *Corinth.* cap. 10. v. 6. " Et in promptu habentes ulcisci " omnem inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obe- " dientia ". Et cap. 13. v. 10. " Ideo hæc absens scribo vo- " bis, ut non præsens durius agam secundum potestatem, " quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in " destructionem ". Esse autem iis, qui Ecclesiam regunt, collatam potestatem non solum ferendi leges, sed etiam vi adigendi ad observationem illarum, ut metu pœnarum exterius tantum homines reformarentur, non vero ut hujusmodi legislativæ potestati parendi interior obligatio in omnibus induceretur; in nullius sane mentem cadere posse arbitror. Dicendum ergo est, debere homines propter conscientiam parere iis legibus, quæ ab ea legislativa potestate constituuntur, cui est alterius vitæ proposita felicitas, ex Sacris Litteris abunde perspectum esse.

§. VI. Non minus perspectum est ex Sacris Litteris, debere homines propter conscientiam parere iis legibus, quæ ab illa legislativa potestate prodeunt, cui hujus vitæ commune bonum propositum est.

Hoc est, quod S. Paulus in cap. 13. epist. *ad Roman.* evidentissime tradit: " Omnis anima (inquit) potestatibus subli- " mioribus subdita sit ". Hanc vero rei istius rationem affert: " Non est enim potestas, nisi a Deo ". Ex quo sane illud per se consequi idem Apostolus statuit, ut qui resistit potestati Principum, ordinationi Dei sese opponat: " Itaque " qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ". Nam, quemadmodum animadvertit S. Thomas lect. 1. in cit. cap. epistolæ *ad Roman.*, " Si potestas Principum, in quantum est " talis, a Deo est, & nihil est a Deo sine ordine; consequens " est, quod etiam ordo, quo inferiores potestatibus superio- " ribus subjiciuntur, sit a Deo. Itaque qui contra hunc or- " dinem *resistit potestati, Dei ordinationi resistit* ". Qua de causa quid

sa quid futurum sit iis, qui resistunt potestati Principum, his verbis indicare prosequitur S. Apostolus: " Qui autem resi-
„ stunt, ipsi sibi damnationem acquirunt ". Hoc autem, si-
cuti in eadem lectione habet S. Thomas, " Potest intelligi
„ uno modo de damnatione æterna, quam merentur, qui
„ potestatibus subjici nolunt in eo, quod debent: in cujus
„ exemplum Dathan, & Abiron, qui Moysi, & Aaron resti-
„ terunt, sunt a terra absorpti, ut habetur *Numer.* 16.: alio
„ modo potest intelligi de damnatione pœnæ, quæ per ipsos
„ Principes infertur ". Hoc autem pœnæ genus aperte indicat Apostolus, dum affirmat, Principes, non bonis, qui mandata servant, sed malis, qui illa transgrediuntur, timori esse, quia non sine causa gladium portant; Dei ministri sunt, atque vindices *in iram ei*, *qui operatur malum*: alterum autem pœnæ genus æque manifeste significat, dum tradit, ab eo, qui resistit potestati Principum, Dei etiam ordinationi resisti. Hinc vero est, ut duabus de causis potestati Principum obtemperandum esse colligat; hoc est tum propter iram, tum propter conscientiam: " Ideo necessitate subditi estote,
„ non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ".
Ut subditi sint propter iram, inde quidem monet, ne iræ effectus in se experiri debeant, pœnasque temporales auctoritate Principis infligendas subire; propter conscientiam autem, ne se coram Deo obnoxios crimini faciant, quoniam *qui resistit potestati Dei*, *ordinationi resistit*: potestati, inquam, cui in sua legislatione hujus vitæ commune bonum propositum sit: ea enim de potestate loquitur S. Apostolus, quam ab eo timendam esse dicit, qui malum fecerit, quia non *sine causa gladium portat*, & cui sunt præstanda tributa.

Neque minus perspicua hac de re sunt, quæ habet Sanctus Petrus in sua 1. epist. cap. 2. v. 13. & seqq. " Subjecti igi-
„ tur estote (inquit) omni humanæ creaturæ propter Deum,
„ sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam ab
„ eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bono-
„ rum ". Ne autem putare ii possent, ad quos scribebat, hæc sibi præcipi ad exteriorem quamdam subjectionem servan-

vandam, non vero conscientiæ obligationem imponendam; statim superaddidit: "Quia sic est voluntas Dei". Voluntate ergo Dei quum præceptum sit omnibus, ut Regibus, Ducibus, aliisque omnibus politicis potestatibus obtemperent, hujusmodi præceptum in conscientia non obligare non potest.

Quam vero inepte, & præter omnem rationem Calvinus *Institut.* lib. 4. cap. 10. §. 5. totam Apostoli Pauli disputationem in eo versari contendat, ut Principes honore prosequi debeamus, nemo non videt. Nam Apostolus, quemadmodum monuimus, ea de obligatione loquitur, quæ interius conscientiam nostram afficit, honoremque Principibus exterius deferendum suadet, ut id impleamus, quo interius nos adstrictos sentimus. Ludit vero idem Calvinus, dum superaddit, quæ præcipiuntur a Principibus: "Non ligare per se conscientiam, quia tota observandi necessitas ad generalem finem respicit, non autem consistit in rebus præceptis": quandoquidem quod lege præscribitur, sub observatione cadit, non vero finis, quem sibi legislator præstituit: nam finis qualis sit, sæpissime ignoratur.

§. VII. Leges humanæ etiam pœnales, si in se ipsis spectentur, ad culpam obligant.

Illa lex, quam nostris primis parentibus Deus imposuit, fuit profecto pœnalis: nam in ea pœnam statim post transgressionem, & in hac vita subeundam indixit, quomodo nunc legislatores faciunt, dum leges pœnales promulgant: "De ligno autem scientiæ boni, & mali (ita legimus *Genesis* cap. 2. v. 17.) ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris". Peccasse autem primos parentes, dum huic præcepto contravenerunt, nemo dubitare potest: igitur quod lex sit pœnalis, inde non consequitur, ut non obliget ad culpam.

Et re quidem vera qua tandem de causa punitur, qui legem pœnalem violavit? profecto quia fecit, quod facere non debebat: quia legitimæ potestati subesse recusavit: pro-

propter admissum ergo scelus punitur: qui enim facit, quod non debet, vel quod debet, non facit, scelus admittit: neque enim ratio sceleris, seu criminis in alio posita est. Ex ipsius ergo pœnæ natura colligitur, criminis reum illum esse, cui pœna infligitur. Si pœna, inquit S. Thomas 2. 2. qu. 108. art. 4. secundum sui naturam consideretur, „ Non debetur nisi peccato: quia per pœnam reparatur „ æqualitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis „ sequutus est suam voluntatem, aliquid contra suam vo- „ luntatem patitur; " Et in respons. ad 2. " Judicium hu- „ manum debet imitari Divinum judicium in manifestis Dei „ judiciis, quibus homines spiritualiter damnat pro pro- „ prio peccato. Occulta vero judicia, quibus temporaliter „ aliquos punit absque culpa, non potest humanum judi- „ cium imitari ... Et ideo nunquam secundum humanum „ judicium aliquis debet puniri sine culpa pœna flagelli, „ ut occidatur, vel verberetur, vel mutiletur.

Et re quidem vera ei quoque legislativæ potestati, quæ commune hujus vitæ bonum sibi propositum habet, obtemperandum esse, & quidem propter conscientiam, ex Sacris Litteris perspectum habemus (1): igitur vel ab ea, quæ legibus interior quoque obedientia debetur, suos subditos legislatores absolvunt, dum in promulgatione legum pœnas transgressoribus infligendas constituunt, vel non absolvunt: profecto ex eo quod comminatione pœnarum suas leges muniant, ostendunt, se nihil magis velle, quam ut illis potissimum legibus obediatur. Neque enim ut habeant, in quos exerceant vim suæ potestatis, pœnas transgressoribus decernunt, sed ut quos amore justitiæ ad observationem suarum legum non inducerent, compellant timore pœnarum, atque ita omnes suis legibus obsequentes faciant. Dum ergo leges pœnales promulgant, tantum abest, ut subditos ab ea interiori obligatione exutos faciant, qua latis a se legibus parere debent; quin potius in eos animadvertendum statuunt, qui illam sequuti non fuerint, simulque præ-

(1) Hujus cap. §. 6.

præseferunt, nihil sibi magis cordi esse, quam ut illæ leges serventur, quas pœnarum sanctione communiunt. Humanæ ergo leges, etiam pœnales, si in se ipsis spectentur, ad culpam obligant.

Si, inquam, in se ipsis spectentur. Quando enim constat, non voluisse legislatorem, ut subditi ad culpam obligarentur; tunc sane nullum peccatum annexum est cum transgressione legis, ipsius transgressionis habita ratione. Aliunde tamen in harum quoque transgressione legum esse potest culpæ locus, hoc est ob negligentiam, vel contemptum, sicuti tradit S. Thomas 2. 2. qu.186. art.9. ad 1. Quod est tamen ita a legislatore constitutum, ut ad pœnam tantum obliget, non vero ad culpam, veram, & propriam legis rationem non habet, sed lex pœnalis dicitur, quia ad instar legis pœnam determinat. Veræ namque legis est præcipere: nullum autem præceptum in hoc genere legum continetur, alioquin transgressio illarum sine culpa non esset. Ad modum ergo cujusdam directionis se habent, quæ ad hoc genus legum referuntur: " Non omnia (inquit S. Thomas in cit. art. ad 2.) quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti; sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam ".

§. VIII. Evangelicæ libertati non repugnat, nos humanis legibus in conscientia esse subjectos.

Libertas, quam Christus suo nobis merito comparavit, non est quædam immunitas a subjectione eorum, qui nobis præsunt, sed a peccato, quo premebamur, a servitute dæmonis, qua eramus detenti, atque ab obligatione Mosaycæ Legis tum Cæremonialis, tum Judicialis. " Gratificavit nos in dilecto Filio suo (inquit Apostolus *Ephesior.* cap.1. v.6. & seq.) in quo habuimus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum ". *Joannis* cap.12. v.31. hæc leguntur: " Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras ". Et Apostolus *ad Galat.* cap.5. v.1. & seq. " State, & nolite iterum " jugo

„ jugo servitutis contineri ... quoniam si circumcidamini, „ Christus vobis nihil proderit “. Primo ergo a servitute peccati nos redemit, quia sicuti habet S. Thomas 3. par. qu.49. art.1. “ Ut Apostolus dicit *Roman.*5. 8. *Commendat* „ *Deus suam charitatem in nobis: quoniam quum adhuc inimici* „ *essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Per charitatem autem consequimur veniam peccatorum secundum illud *Lucæ* 7. 47. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit* „ *multum*. Secundo passio Christi causat remissionem pecca„ torum per modum redemptionis. Quia enim ipse est ca„ put nostrum, per passionem suam, quam ex charitate, & „ obedientia sustinuit, liberavit nos tamquam membra sua „ a peccatis, quasi per pretium suæ passionis ... Tertio „ per modum efficientiæ, in quantum caro, secundum „ quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum Di„ vinitatis, ex quo ejus passiones, & actiones operantur „ in virtute Divina ad expellendum peccatum “. Sua ergo passione Christus, uti prosequitur idem S. Doctor cit. art. ad 3. “ Nos liberavit a peccatis causaliter, id est instituens „ causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque „ peccata quomodocumque remitti “. Tamen, quemadmodum pergit animadvertere Sanctus Doctor in resp. ad 4. „ Quia passio Christi præcessit, ut causa quædam universa„ lis remissionis peccatorum, necesse est, quod singulis ad„ hibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc „ autem fit per baptismum, & pœnitentiam, quæ habent „ virtutem ex passione Christi “.

Passione Christi sumus quoque redempti a servitute dæmonis. Tria ergo attendi debent quoad eam potestatem, quam dæmon supra omnes habebat: unum est ex parte hominis, qui ut in diaboli potestatem traderetur, suo peccato promeritus fuerat: alterum ex parte Dei, qui ob injuriam ab homine acceptam eum potestati diaboli juste dereliquerat: tertium ex parte diaboli, qui suæ nequitia voluntatis hominem removebat a consequutione salutis. Passione Christi homo ereptus fuit a potestate diaboli, quate-

nus passio Christi est causa remissionis peccatorum. Satisfecit quoque Christus sua passione pro peccatis nostris, indeque Deo reconciliati sumus. Tandem ex eo quod diabolus in passione Christi modum potestatis a Deo sibi concessæ excesserit, atque in Christum, licet nullum peccatum haberet, supplicium mortis machinatus fuerit, spoliandus ea etiam potestate fuit, quam habebat in homines. „ Justitia Christi victus est diabolus, (inquit S. Augustinus „ lib.13. *de Trinit.* cap.13.) quia quum in eo nihil morte „ dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum „ est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur in „ eum credentes, quem sine ullo debito occidit ". Quapropter, uti habet S. Thomas 3. par. qu.49. art.2. ad 2., „ Diabolus etiam nunc potest quidem, Deo permittente, „ homines tentare quantum ad animam, & vexare quan„ tum ad corpus; sed tamen præparatum est homini reme„ dium ex passione Christi, quo se potest tueri contra ho„ stis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis „ æternæ ".

Tandem Christus nos solvit a servitute legis, quia, uti inquit Apostolus *Hebræor.* cap.7. v.12. " Translato enim „ sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat ". Impefecta quoque erat Lex Vetus, & quod attinet ad conferendum justificationis effectum inutilis. Hinc Apostolus in cit. cap. v.18. inquit: " Reprobatio quidem fit præceden„ tis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem ". Quia tandem adveniente lumine, & veritate, umbræ, atque figuræ desinunt; ita Nova constituta Lege, Vetus abolenda fuit, quæ erat umbra futurorum bonorum, sicuti inquit Apostolus *Hebræor.* cap.10. v.1.

In hisce ergo omnibus est sane posita Evangelica libertas, non vero in absolutione ab interiori illa obligatione, qua etiam erga civiles leges afficimur. Illa enim in Lege Evangelica nobis inculcatur, quemadmodum jam ostendimus (1). Quapropter dum Novatores Christianæ libertati con-

(1) Supra §.6.

contrarium esse affirmant, ut homines aliorum hominum legibus sint in conscientia subjecti (1), non minus Catholicæ veritati, quam communi bono humanæ societatis sese opponunt, nihilque aliud eis reliquum est, nisi ut dicant, Christianam libertatem non pati, ut sit unus, vel plures simul, qui ceteris præsint.

§. IX. Etiam legislatores sunt subjecti suis legibus, vi dirigentis, non tamen cogentis, habita ratione.

A potestate legislatoris lex vim cogendi habet: igitur quoad vim coactivam est legislator a sua lege solutus: nemo enim seipsum cogit, & nemo etiam est, qui in legislatorem agentem contra legem judicium condemnationis ferre possit. At vero vis directiva legis est cum ipsa lege congenita, nulloque modo ab ea separari potest. Est enim finis legis dirigere actus humanos, prout communi bono expedit: legi itaque, quatenus ea vim directivam in se habet, etiam legislatores subjecti sunt. "Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et re vera majus imperio est legibus subjicere Principatum: & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus". Ita Theodosius, & Valentinianus Volusiano Præfecto, uti habetur in Codice lib. 1. tit. 4. *De Legibus*, *& Constit.* Quibus sane verbis non solum profitentur se esse subjectos suis legibus, sed etiam hujus rei rationem afferunt, dum affirmant, suam auctoritatem a juris auctoritate pendere. Nam recta ratio est supra omnes Principes, & Legislatores, atque ab ea tantum proficisci possunt justæ leges in utilitatem boni communis: si ergo Principes, & Legislatores sunt subjecti rectæ rationi, inde consequitur, ut suis quoque legibus subjecti esse debeant. Princeps ergo, si ad vim directivam legis attendamus, nullo modo est coram Deo a sua lege solutus, sed legem a se positam sponte ipse quoque servare debet.

(1) Vide Bellarminum lib. 1. *De Sacram. Baptis.* cap. 16.

Vis quidem coactiva in lege requiritur, ut legis veram rationem habeat: inde tamen non consequitur, ut legislator aliqua obligatione servandi suam legem non teneatur; quia lex ejus nullam supra ipsum vim coactivam habet. Quamvis enim demus, si attendatur ad legislatorem, veram, & propriam rationem legis non inesse in lege illius; quia tamen, lege semel promulgata, quemadmodum jam ostendimus, jure naturæ inde consequitur, ut etiam legislator ad eam servandam teneatur; ideo quamvis in legislatore vis coactiva nullum locum habeat, ipse sese eximere non potest ab observatione suæ legis.

Est tamen advertendum, leges quandoque ex sui natura institutas solummodo esse ad regendas actiones subditorum: tunc ergo illis, ut Princeps morem gerat, neque ulla ratio patitur, neque finit ipsius Principatus majestas. Quapropter illud omne legum genus neque etiam a Principe negligi posse tuemur, quod ut tum a subditis, tum a Principe servetur, ad commune bonum conducit: nam ipse Princeps præ ceteris quæ sunt boni communis, peragere debet.

CAPUT IV.

DE EA RATIONE, QUA LEGES HUMANÆ OBLIGANT.

§. I. Ratio, qua obligant humanæ leges, ex triplici capite expediri potest.

Nunc igitur ex iis quæ in præcedenti capite disseruimus, leges humanas in conscientia obligare supponimus. Illud ergo primo inquirendum est, utrum graviter, aut leviter ille peccet, qui contra agit, ac legibus constitutum est. Unde, conscientiæ habita ratione, primo loco expendi modus ille debet, quo obligant humanæ leges. Deinde est idem expendendum, habita ratione vitæ, temporaliumque bonorum, definiendumque, utrum propter observationem legum humanarum, & vita profundi, & bona temporalia amitti, aut contemni debeant. Tandem consideran-

derandus eſt quoque modus, quo obligant humanæ leges, habita ratione pœnæ, quæ tranſgreſſioni debetur, hoc eſt, videndum, utrum pœna æquo jure declinari poſſit, vel an eam tranſgreſſor ſtatim incurrat. De hiſce ergo tribus nunc ſingillatim agemus.

§. II. Quædam humanæ leges ſub gravi peccato obligant, nonnullæ ſub levi.

Hìc ſupponimus ex Theologicis diſciplinis peccatum aliud grave, aliud leve eſſe, atque illo agere homines contra Dei legem, & averti a Deo, ut ab ultimo fine, iſto autem præter Dei legem agere, & inordinate ad creata converti, ſemper tamen ſervato debito ordine ultimi finis. Omnibus ergo Chriſtus *Matth.* cap. 16. v. 17. denunciavit, uti ethnicum, & publicanum eum habendum eſſe, qui Eccleſiam, aut Eccleſiæ miniſtros audire noluerit. Sanctus vero Paulus Theſſalonicenſibus præcepit, ad confuſionem illius, qui ſuis renuiſſet obedire mandatis, ne cum eo commiſcerentur, quemadmodum II. *ad Theſſalonic.* cap. 3. v. 14. legitur. Quæ ſane ſunt pœnæ graves, & gravi tantum reatui debitæ.

Quia vero Dei ordinationi reſiſtit, qui reſiſtit Poteſtati Principum, ſicuti Apoſtolus *Roman.* cap. 13. v. 2. habet, & cum gravi quoque culpa Dei ordinationi reſiſtatur; inde eſt, ut etiam graviter quis peccare poſſit, dum leges Principum tranſgreditur. Deinde etiam Principes miniſtri Dei ſunt (1): poſſe autem Deum graviter offendi, dum miniſtris illius, quæ debetur, obedientia non defertur, ex ſe manifeſtum eſt. In humanarum ergo tranſgreſſione legum graviter peccari poteſt.

Fieri quoque poteſt, ut leviter delinquatur: nam leges humanæ majorem vim, quam naturæ leges, ad obligandum non habent: at vero tranſgreſſione iſtarum leve peccatum committi, pluribus de cauſis ſæpiſſime contingit: ergo etiam in tranſgreſſione legum humanarum idem aliquando evenire debet.

§. III.

(1) *Roman.* cap. 13. v. 4.

§. III. Transgressio illarum legum humanarum, quæ rem gravis momenti præcipiunt, grave peccatum est, leve autem transgressio aliarum, quæ rem levis momenti præcipiunt, si in utraque transgressione rei præceptæ solummodo ratio habeatur.

Semel ac ejus tantum, quod in lege præcipitur, ratio habenda sit, reatus, qui committitur in transgressione legis, cum re præcepta comparandus est, ut ejus malitia cognoscatur: si ergo quod præcipitur, levis momenti sit, leve quoque peccatum in ejus transgressione inerit: grave autem; si sit magni momenti, quod est lege constitutum.

§. IV. Quamvis res in se spectata sit levis, si tamen transgressioni illius constituta habeatur gravis pœna vel temporalis, vel spiritualis, tunc transgressio esse non potest sine gravi peccato.

Semel ac legislator transgressioni rei in se levis gravem pœnam apponat, eam a se singulariter præcipiendam statuit ob multa, quæ rem ipsam comitantur, quæque efficiunt, (quod profecto judicium ad legislatorem spectat) ut quod in se spectatum erat leve, grave evadat ob circumstantias. Ea ergo, quorum transgressio gravem pœnam sibi conjunctam habent, licet in se spectata levia sint, gravia tamen censenda sunt, semel ac gravi præcepto legislatoris firmata sint, & gravi etiam pœna communita, quia multorum habita ratione, quæ circumstant, valde refert, ut serventur: transgressio igitur illorum sine gravi peccato tunc esse non potest.

§. V. Sicuti transgressio humanæ legis, quæ rem gravis momenti præcipit, ob inadvertentiam, vel materiæ parvitatem, leve peccatum evadit; ita etiam transgressio humanæ legis, quæ rem levem præcipit, ob contemptum, fit grave peccatum.

Ob plenæ advertentiæ defectum illud quoque peccatum leve evadit, quod est contra ipsum Deum, quamvis nullum peccatum ex suo genere gravius illo dari possit: multo igi-

to igitur potiori jure ob eamdem rationem ea peccata, quæ contra humanam legem committuntur, levia evadere debent. Hujus autem rei ratio ea est, quia inadvertentia, sicut voluntarium, & liberum minuit, ita tollit ab actu plenam illam voluntarii & liberi rationem, quæ necessaria est ad peccatum grave, facitque, ut vel nullo modo, vel saltem non plene in peccatum consentiamus.

Idem autem, quod advertentiæ defectus, facit etiam materiæ parvitas, si de lege humana loquamur. Nam propter materiæ parvitatem non est amplius transgressio de re gravi, sed levi, levisque propterea injuria legislatori irrogatur. Tam ergo plenæ advertentiæ defectus, quam materiæ parvitas faciunt, ut in transgressione humanæ legis leve tantum peccatum committatur.

Sicuti vero habet S. Thomas 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 3. „ Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, „ (legem) quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi „ legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum con„ tra legem, vel regulam: quando autem e converso pro„ pter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, „ vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta „ legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua „ alia causa". Quapropter semel ac quis humanam legem ex contemptu transgrediatur, a subjectione legislatoris sese omnino subducit, eique subesse renuit. Est vero legislatio quidam præcipuus actus, in quo legislatoris auctoritas potissimum elucet: qui per contemptum igitur leges humanas transgreditur, auctoritatem legislatoris in re gravissima despicit: quamvis ergo quod præcipitur, leve sit, interveniente contemptu, grave peccatum in ejus transgressione committitur.

§. VI. Humanæ leges etiam cum periculo vitæ quandoque obligare possunt.

Legislator habet auctoritatem prospiciendi communi bono; immo hoc ipsum est, quod ad illum spectat: communi autem bono ut prospiciatur, exponi periculo vitam ali-

aliquorum quandoque requiritur. Si enim tempore belli non ſint, qui cum diſcrimine vitæ excubias agant, ſalus civium in evidenti periculo verſatur: ſi aliqui primæ incurſioni hoſtium non ſine certo diſcrimine vitæ reſiſtant, tota acies internecioni exponitur. Hiſce ergo, aliiſque ſimilibus intervenientibus, leges tum de excubiis agendis, tum de hoſtibus oppugnandis, quas legislator ediderit, ſervare ſubditi etiam cum vitæ periculo debent.

Et re quidem vera anne non ſunt homines totius reipublicæ quædam partes? Si ergo eſt ipſa etiam naturali ratione compertum, ut pro conſervatione totius aliqua pars ejus periculo exponatur; nihil quoque rationi magis conſentaneum eſſe poteſt, quam ut auctoritate illorum, qui cõmmuni bono proſpicere debent, ſit ab aliquibus propria vita in diſcrimen adducenda, ſemel ac id ad conſervationem boni communis requiratur.

§. VII. Humanæ leges non ſolum non ſemper, ſed etiam plerumque cum vitæ diſcrimine non obligant.

Lex naturalis, atque Divina, quæ ſunt profecto majoris auctoritatis, & virtutis, quam humana, cum vitæ periculo non ſemper obligant: depoſitum namque reddi oportere, quando dominus illud petierit, lex naturæ præcipit; ſi tamen hoc ſine periculo vitæ fieri non poſſit, in aliud tempus reſtitutio differenda eſt, in qua nullum hujuſmodi periculum occurrat: ſicuti 1. *Regum* cap. 25. legitur, David fame compulſus panes propoſitionis comedit, quos alioquin ob legem *Levitici* cap. 24. latam ei comedere non licebat. Si ergo Lex naturalis, atque Divina, quæ neque diſpenſationem, neque abrogationem admittunt, multoties, urgente vitæ periculo, non obligant; quanto minus humanæ leges cum vitæ periculo obligare plerumque debent, quum & abrogari poſſint, & diſpenſationi ſubjectæ ſint?

Deinde legislatoris humana poteſtas non eo uſque ſeſe extendit, ut quovis eventu recurrente, aut imminente periculo, ad ea facienda, quæ præſcribit, etiam cum vitæ diſcrimine ſuos ſubditos obligare poſſit. Nam publicum bonum

num ab illa oportet, ut respiciatur: at vero ut servetur vita civium, hoc sane est, quod ratio boni communis potissimum exigit, atque tunc sane, quod non frequenter occurrit, vita civium periculo exponi potest, quando quod procurandum est commune bonum, nunquam futurum sit, ut habeatur, si vita nonnullorum in discrimen non adducitur.

§. VIII. Propter utilitatem communis boni fit aliquando, ut humanæ leges ullo sine peccato non serventur.

Ad commune bonum tendere, legi insitum esse debet (1), atque ex hoc vim obligandi habet: « Contingit „ autem multoties (inquit S. Thomas 1. 2. qu.96. art.6.) „ quod aliquid observari communi saluti est utile, ut in „ pluribus, tamen in aliquibus casibus est maxime noci- „ vum. Quia igitur legislator non potest omnes singulares „ casus intueri, proponit legem secundum ea, quæ in plu- „ ribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem „ utilitatem. Unde si emergat casus, in quo observatio „ talis legis sit damnosa communi saluti, non est observan- „ da: sicut si in civitate obsessa statuatur lex, quod portæ „ civitatis maneant clausæ, hoc est utile communi saluti ut „ in pluribus; si tamen contingat casus, quod hostes inse- „ quantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, dam- „ nosissimum esset civitati, nisi eis portæ aperirentur: & „ ideo in tali casu essent portæ aperiendæ contra verba le- „ gis, ut servaretur utilitas communis, quam legislator in- „ tendit ». Id autem colligit S. Thomas ex Jurisperiti verbis lib.1. *Digest.* tit. 3. *De legibus, senatusque consultis* l. 25. dicentis: « Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas pa- „ titur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introdu- „ cuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum „ commodum producamus ad severitatem ».

Est tamen advertendum, quemadmodum recte monet S. Thomas, « Quod si observatio legis secundum verba „ non habeat subitum periculum, cui oporteat statim oc- „ curri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid

(1) Lib.10. cap.2. §.1.

„ ſit utile civitati, & quid ſit inutile civitati; ſed hoc ſo„ lum pertinet ad Principes, qui propter hujuſmodi caſus „ habent auctoritatem in legibus diſpenſandi. Si vero ſit „ ſubitum periculum non patiens tantam moram, ut ad „ ſuperiorem recurri poſſit; ipſa neceſſitas diſpenſationem „ habet annexam: quia neceſſitas non ſubditur legi". Propter utilitatem ergo boni communis ſit, ut humanæ leges ullo ſine peccato aliquando non ſerventur.

§. IX. Pœnæ, quæ legibus decernuntur, habita quoque ratione obligationis earum, inter ſe differunt.

Aliæ ergo latæ, aliæ ferendæ ſententiæ eſſe dicuntur: iſtis pœna irroganda indicitur, illis vero jam lata de pœna ſententia pronunciatur. Pœnas, quæ ſententiæ ferendæ eſſe dicuntur, ante ſententiam judicis reus ſubire non debet, quia lex has pœnas revera non infert, ſed inferendas denunciat: de aliis vero pœnis, quæ latæ ſententiæ dicuntur, inquirendum ſupereſt, utrum omnes obligent ante ſententiam judicis.

§. X. Earum pœnarum, quibus *ipſo jure*, *ipſo facto*, aliiſque ſimilibus loquendi modis, cum obnoxium eſſe conſtituitur, qui hoc, vel illud crimen admiſerit, non omnes per ſe ſtatim obligant ab admiſſo crimine abſque ſententia judicis declaratoria.

Pœnæ excommunicationis, atque ſuſpenſionis ſtatim ab admiſſo crimine quiſpiam obnoxius evadit, ſi, uti dicitur, latæ ſententiæ illæ fuerint, atque ipſo facto, ipſoque jure eum ſubjectum eſſe debere, qui rem prohibitam fecerit, lege conſtitutum habeatur. Hæc res non ſolum omnium Theologorum, atque Canoniſtarum eſt firmata conſenſione, ſed etiam longa omnium temporum Eccleſiæ conſuetudine comprobata.

Idem judicium eſt quoque de irregularitate ferendum. Quamvis enim irregularitas in ſe ſpectata ad corrigendum puniendumque delinquentem non referatur; in quo ſane a cenſuris diſtinguitur; tamen aliquando fertur in pœnam ejus, qui crimen commiſit, quia ob illud ſacro miniſterio indi-

indignus censetur: ac propterea ad sacri ministerii honorem sartum tectumque servandum primo loco tendit, indeque aliquando cedit in pœnam ejus, qui peccavit.

Aliæ vero pœnæ vel respiciunt privationem activæ, & passivæ vocis, vel detrimentum bonorum exteriorum, vel aliquod damnum in vita, aut etiam jacturam ejus, Theologorum, & Canonistarum plures circa has pœnas distinguunt: eas ergo, inquiunt, quæ ad sui exequutionem vel in judice, vel in reo actionem aliquam requirunt, ut sunt pœnæ, quæ corpus affligunt, vel in aliquod bonorum exteriorum detrimentum cedunt, non statim obligare ab admisso crimine affirmant, & has vocant positivas. Contra vero sentiunt de aliis, quas privativas dicunt, iisque reus ut afficiatur, nulla actio requiritur, sicuti sunt pœnæ privationis activæ, & passivæ vocis. Rationem hujus diversitatis inde repetunt, quia nimis durum videtur, ut reus illarum in se exequutor fiat.

Alii vero tum ex Theologis, tum ex Canonistis sentiunt pœna tam positiva, quam privativa obligari delinquentem statim ab admisso crimine absque alia sententia, semel ac legislator eam ab admisso crimine statim subeundam constituerit: exceptionem tamen adhibent quoad leges pœnales graviores, quas, inquiunt, non patitur æquitas, ut delinquens ante sententiam judicis in se exequatur (1).

Verum enim vero graves difficultates hujusmodi sententiæ patiuntur, atque de priori nunc videamus, deinde de altera. Advertatur igitur oportet tam ad privationem illius juris, quo quispiam eligi ad aliquod munus, aut alios ipse eligere potest, quam ad exequutionem hujus privationis: hæc privatio inducitur, semel ac lege jus retentum auferatur, nullaque ad illam positiva actio requiritur, non solum si agatur de privatione activæ, & passivæ vocis, sed etiam de privatione rerum exteriorum: at vero exequutio hujusmodi privationis non habetur, neque haberi potest si-

(1) Vide Passerinum *De Qualitatibus Eligendorum* cap. 25. quæst. 6. & seqq.

ne interventu actionis positivæ, licet privationem activæ vocis ea respiciat. Nam si qui deliquit, voce passiva privatus sit, oportet, ut eo jure non utatur, quod antea habebat, ac propterea vel curare debet, ut non eligatur, vel electioni confirmationique suæ positive dissentire, vel renunciare dignitati, ad quam electus fuerit, si illam susceperit. Simili ratione si activa voce privatus sit, contra facere debet, ac faceret, si in hujusmodi pœnam non incurrisset. Sed paucioribus: jus, quo quispiam privatur, quidpiam positivum est, negatione tantum tollitur, quodcumque illud sit, sive ad electionem tam activam, quam passivam, sive ad quævis exteriora bona referatur: at qui est illo destitutus, positivam actionem ponere debet ei contrariam, quam poneret, si in hujusmodi pœnam non incidisset: illa ergo distinctio pœnarum positivarum, quæ actionem aliquam requirant, & privativarum, quæ non requirant, frustra confingitur, atque ob eam aliquibus pœnis statim ab admisso crimine delinquentem obnoxium esse, non vero aliis, ulla sine ratione ponitur.

Deinde ipso facto, atque ipso jure pœna subeunda a lege decernitur, habita æqua ratione tam pœnarum positivarum, quam privativarum. Postremo illud ego quæro, utrum pœna, quam privativam vocant, justa sit, & æquitati consona: ut obliget, profecto talis esse debet: in se ergo spectata nihil habet, propter quod statim obligare non possit: aliunde vero a legislatore ea ratione indictam esse supponitur, propter quam statim obliget: igitur ex eo quod istæ pœnæ privativæ sint, non statim ab admisso crimine reum obnoxium esse, frustra confingitur.

Contra alios autem, qui volunt, pœnas graviores non statim obligare, ita paucis: istas quoque pœnas æque justas, & eodem modo statim subeundas, ac minus graves, a legislatore constitutum supponitur: unde ergo habent, ut non statim obligent, sicuti obligant minus graves? Sæpe deinde contingit, ut quæ uni est minus gravis, alteri gravior evadat: una ergo eademque pœna modo statim obligabit,

modo

modo non ſtatim, nunc unum ſtatim obligabit, non vero alterum: hujuſce autem gravitatis quinam judex eſſe debebit? Hæc ergo diſtinctio eſt ejuſdem conditionis, ac altera ſuperior.

Quid ergo dicendum? præter excommunicationem, ſuſpenſionem, & irregularitatem obligat ne ſtatim alia quævis pœna, ſemel ac ipſo facto, ipſo jure legislator eam eſſe ſubeundam ſtatuerit? Illorum ſententiam ego ſequor, qui non ſtatim obligare ſentiunt.

Cap. *Quum ſecundum leges De Hæreticis* in 6. decernitur, bona hæreticorum *ipſo jure confiſcata* cenſeri debere: eodem tamen in capite ſimul ita ſtatuitur: " Confiſcationis tamen „ hujuſmodi exequutio, vel bonorum ipſorum occupatio „ fieri non debet per Principes, aut alios dominos tempo„ rales juxta Gregorii Papæ Prædeceſſoris noſtri declaratio„ nem, antequam per Epiſcopum loci, aut aliam perſonam „ eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſenten„ tia ſuper eodem crimine fuerit promulgata ": Capite etiam *Pro Humani De Homicidio* in 6. ſtatuitur, " Ut quicumque „ Princeps, Prælatus, ſeu quævis alia eccleſiaſtica ſæcularisſ„ ve perſona quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſi„ nos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamvis mors „ forſitan ex hoc non conſequatur, aut eos receptaverit, „ vel defenderit, ſeu occultaverit, excommunicationis, & „ depoſitionis a dignitate, honore, ordine, officio, & be„ neficio incurrat ſententias ipſo facto: & illa libere aliis per „ illos, ad quos eorum collectio pertinet, conferantur ". Ibidem vero hæc poſtea ſubduntur: " Et poſtquam probabilius „ conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam execrabile „ commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depo„ ſitionis, ſeu diffidationis adverſus eum ſententia requira„ tur ". Declaratione autem judicis conſtare poteſt, utrum ſcelus commiſſum fuerit: declaratio ergo judicis intervenire debet, & poſtquam intervenerit, exque ea ſcelus admiſſum fuiſſe conſtiterit; tunc ſane locum habent illæ pœnæ a lege conſtitutæ, atque excommunicationis, & depoſitionis altera ſen-

ſententia nullatenus requiritur. Hæc vero probant, quod nos modo volumus, hoc eſt, quandoque non ſtatim ab admiſſio crimine reum pœnæ obnoxium, quamvis eam ipſo facto, ipſoque jure ſubeundam in lege feratur.

Sicut autem pœnæ, de quibus in præcitatis capitibus agitur, quoad ſui exequutionem non ſtatim obligant, quamvis ipſo facto illis reum obnoxium eſſe debere legislator ſtatuerit; ita quoque idem judicium ferendum dicimus de aliis pœnis, in quibus de privatione activæ, & paſſivæ vocis ipſo jure ſubeunda agitur. Nam hæ quoque ſuam in reo exequutionem non habent, quoad uſque de crimine illius declarationis non prodierit.

Cur vero quoad ſui exequutionem illæ pœnæ ſtatim obligent, quæ cenſuram ſibi annexam habent, non vero aliæ, præter Eccleſiæ conſuetudinem, quæ ſane pluris fieri debet, hanc congruentem rationem Paſſerinus *De Qualitatibus eligendorum* cap. 25. qu. 32. affert: " Nam quantum ad cenſuras (inquit) quæ & ſunt pœnæ medicinales ordinatæ ad tollendam contumaciam, & quæ per pœnitentiam tolluntur, unde abſolutione abolentur, & etiam per forum pœnitentiale poſſunt ſimul cum peccato auferri, convenienter inſtitutum fuit, & Eccleſiæ praxis induxit, ut nedum ipſo facto incurrantur, ſed ſui exequutionem ferant; quia durat contumacia, dum delinquens non pœnitet, & ſi pœnitet, quod in ejus poteſtate eſt, cenſura per abſolutionem tollitur. Sed hæc ratio non currit de pœnis inductis in vindictam, & pœnam, quæ abſolutione non delentur, ſed etiam poſtquam delinquens eſt reconciliatus Deo, & Eccleſiæ, durant. In his enim nimis durum videtur, quod in obligando ſequantur modum fori conſcientiæ, dum aliàs ad modum fori externi, non poſſunt tolli per pœnitentiam delicti, & abſolutionem. Sed quia hæc ratio non valet de irregularitate; dicitur, quod in ea ratio peculiaris eſt, quia per ſe nec eſt pœna, nec ſupponit delictum, & impedit per modum conditionis requiſitæ in miniſtro ſacrorum Ordinum. Unde non habentes eam conditionem, quam

" vult

„ vult Ecclesia, non possunt ordines recipere, vel in eis mi„ nistrare". Quæstione autem 34. multos auctores, tum Theologos, tum Canonistas commemorat, qui ista in re idem, ac ipse, sentiunt.

Quamvis autem pœna statim subeunda non sit absque sententia judicis; tamen ipsa dictio: *ipso facto*, suam propriam significationem secundum leges inde habet, quia delinquentem privat dominio proprii boni, relicta possessione illius sub conditione, hoc est, quoadusque in eum sententia lata fuerit. Nam lex illa, quæ extat cit. cap. *Quum secundum* bona hæreticorum publico ærario ipso facto addicit, quamvis ante sententiam judicis possessione eorumdem, seu dominio utili, eos spoliatos nolit: tamen semel ac in illos sententia feratur, hæc suam vim habet a die commissi criminis, a quo quidem dominium bonorum ad publicum ærarium translatum censetur; ac propterea si hujusmodi bona a die commissi criminis in alienas manus devenerint, illa ab eis publicum ærarium repetere potest. Simili ratione quamvis privatio activæ, & passivæ vocis quoad sui exequutionem ab admisso crimine non statim obliget; tamen si ad forum contentiosum facta electio deducatur, tunc sane sententia, qua electio irrita decernitur, suum initium ab eo tempore sumit, quo illa facta fuerit.

Iis autem, quæ diximus, de pœnis non statim incurrendis non obstat cap. *Propositum* - cap. *Super hoc*, & cap. *Significasti De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*: neque enim in iisdem capitibus *ipso facto* irritum esse definitur matrimonium illud, de quo in eis agitur. Quod est ergo decretum in prædictis capitibus, & quidem quoad exequutionem statim implendum, quamvis dictio illa *ipso facto* non exprimatur, se habet ad instar cujusdam conditionis, quæ in contrahendo matrimonio servari necessario debet, ac propterea mirandum non est, si statim etiam quoad sui exequutionem obliget. Etiam cap. *Licet canon De electione, & electi potestate* constituitur, ut beneficio parochiali privetur, qui intra annum a susceptione ejus Presbyteratus sacrum Ordinem non rece-

receperit: *Clement.* cap. *Ut ii*, *qui de Ætate*, *& qualitate &c.* decernitur, ut in capitulo vocem non habeat, qui intra annum non initiatus illo ordine fuerit, qui annexus est præbendæ, quam habet: item Concilii Tridentini sess. 23. cap. 2. *De reformatione* statuitur, ut si Episcopi munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: at hæ leges & respiciunt jus non quæsitum, sed acquirendum, &, uti dicunt, sunt conventionales, & pœnam inducunt per modum conditionis; earumque diversa ratio habenda est, ac illorum, de quibus usque modo sermonem habuimus.

§. XI. Est tamen distinguendum in legibus pœnalibus, quid ad rationem pœnæ pertineat, & quid ad justitiæ legem spectet.

Quamvis ergo nonnullæ pœnæ ante sententiam judicis subeundæ non sint; tamen quod spectat justitiæ leges, statim obligant ante sententiam judicis. Hac de causa si pretium rei alicujus publica lege determinatum habeatur, atque pœna sit contra illum constituta, qui pluris rem eamdem vendiderit; si quispiam hoc fecerit, pœnæ quidem obnoxius non evadit ante sententiam judicis, ante eam tamen ipse per se damnum compensare debet, quod alteri intulit, quia pluris, quam juste poterat, rem suam vendidit.

§. XII. Reus ad pœnam subeundam interius adstringitur, semel ac in se sententia lata sit.

Humanis legibus, superioribusque potestatibus obtemperandum esse, jam evincimus (1): semper vero obtemperandum esse, semel ac nihil iisdem nobis præcipiatur, quod Divinæ, ant naturali Legi contrarium sit, ex se patet, quia eadem ratio obligationis semper subsistit: igitur tunc quoque Principi obtemperandum est, quando secundum leges datamque sibi potestatem punit: reus ergo ad pœnam subeundam interius adstringitur, semel ac in se sententia lata sit.

§. XIII.

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 2. & seqq.

§. XIII. Non semper oportet, ut ipse in se sententiam exequatur.

Sponte ergo reus ut in exilium abeat, vel pecuniam solvat, semel ac id pœnarum genus contra se decretum noverit, ipsa eum conscientia monet, atque constringit. Ista enim hujusmodi sunt, ut nullo ex principio repugnet, eorum in se reum exequutorem esse. Si vero de aliis pœnis agatur, quas ut quispiam in se exequatur, est humanitati contrarium, cujusmodi sunt occisio, atque mutilatio; non oportet, ut easdem reus per se subeat, sed satis est, eum vi non resistere, dum ab alio jussu Principis illæ sibi inferuntur: & si resistat, procul dubio peccat. Nam naturali, & Divino jure præceptum quidem semper est, ne quis membra sui corporis sibi abscindat, aut vitam eripiat; tamen & vitam vi retinere, & integritatem membrorum corporis servare velle, quando ut in aliquo horum quispiam patiatur, justitiæ leges decernunt, non est profecto juri naturali, aut Divino consentaneum, sed quam maxime contrarium.

CAPUT V.

DE OBJECTO LEGUM HUMANARUM.

§. I. HUmanæ leges ad regendam multitudinem hominum comparatæ esse debent.

Lex est quædam regula actuum humanorum: cujusvis autem regulæ ea natura esse debet, ut ad plura dirigenda referatur: si enim tot regulæ ponantur, quot sunt singillatim, quæ regi debent, maxima confusio necesse est, ut oriatur, nullaque regulæ utilitas relinquitur, quæ in eo consistit, ut illa regi multa possint. Si ergo etiam humanæ leges sunt regula actuum humanorum, consequens inde fit, ut ad multitudinem regendam comparatæ esse debeant. Commune deinde bonum finis legis esse debet (1): bonum autem commune non in singularibus quibusdam hominibus, sed in eorum multitudine continetur: si ergo

(1) Lib. 1. cap. 2. §. 1.

unumquodque quod est propter finem, ipsi fini proportionatum sit oportet, necesse est humanas leges bono communi esse proportionatas, & hac de causa convenire multitudini hominum. Postremo nimis multas leges promulgari oporteret, si pro singulis hominum actionibus dirigendis singulæ leges in particulari essent ponendæ: quot enim sunt homines, tot fere leges promulgari deberent, ne aliquis remaneret sine hac suarum actionum singulari regula, quæ ab humana lege proficiscitur.

§. II. Legis humanæ non est omnia mala prohibere.

Lex humana ad regendam multitudinem hominum comparata esse debet (1): non est autem expectandum a multitudine, ut ab omni malo abstineat, atque operetur in omnibus, sicuti virtute præditi consueverunt: "Lex autem humana (inquit S. Thomas 1. 2. qu.96. art.2.) ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, & præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset". Et S. Augustinus hac de lege loquens ita habet in lib.1. *De libero arbitrio* n.13. "Videtur ergo mihi & legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, & Divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sint concilianda paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia". Legis ergo humanæ non est, omnia mala cohibere.

§. III. Ea potissimum mala cohibere debet, quæ sunt magis communia, communique bono magis nocent.

Quod ad finem aliquem refertur, ei coordinatum sit oportet: lex vero humana ad multitudinem hominum refertur,

(1) Præced. §.

fertur, ejusque utilitatem respicit (1): igitur ea potissimum mala cohibere debet, quæ sunt magis communia, communique bono magis nocent: ita enim fit, ut multitudini recte prospiciatur.

§. IV. Sicut non est humanæ legis omnia mala cohibere; ita etiam ad eam quoque non spectat, omnium virtutum exercitationem præcipere.

Sicut enim a multitudine expectandum non est, ut ab omni malo abstineat; ita nec expectandum est, ut omnium virtutum actibus incumbat, atque operetur non aliter, ac illi, qui a longo jam tempore secundum virtutem vivere consueverunt: sicut ergo propter illud prius non est humanæ legis omnia vitia cohibere; ita etiam propter alterum, ejus esse non debet omnium virtutum exercitationem præcipere.

§. V. Earum potissimum virtutum exercitatio humanæ legi proposita esse debet, quæ magis communes esse possunt, communique bono magis prodesse.

Tunc sanctione legum multitudini bene prospicitur, quando quæ præcipiuntur, recta sunt, ad bonum illius conducunt, & ab omnibus plerumque servari consueverunt: hoc autem habetur, dum humana lege earum potissimum exercitatio virtutum præcipitur, quæ magis communes esse possunt, communique bono prodesse: circa ista igitur lex humana versari debet, quum commune bonum semper illi propositum esse debeat (2).

§. VI. Nullum tamen vitium est, quod lex humana non cohibere, nullaque virtus quam non præcipere possit.

Nullum vitium est, quod bono multitudinis aliquando nocere, sicut etiam nulla virtus datur, quæ ad bonum multitudinis quandoque conferre non possit; si ergo ad legislatorem spectat, & ea prohibere, quæ bono multitudinis adversantur, & quæ illi consona sunt, præcipere, habita ratione temporis, locorum, personarum, aliorumque, quæ circumstare possunt, nullum esse vitium debet, quod lex huma-

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Ibid.

humana non cohibere, nullaque virtus, quam præcipere non possit. Esse autem nullum vitium, quod aliquando bono multitudinis nocere, nullamque virtutem, quæ quandoque ei prodesse non possit, etiam si singulorum vitiorum, atque virtutum (quod sane longum esset, ac propemodum infinitum) enumeratio non fiat, inde constat, quia quod est malum, ex sui natura cuicumque bono nocere aliqua semper ratione potest, & quod est bonum, ad bonitatem quamque augendam conferre.

§. VII. Ea legislativa potestas, quæ alterius vitæ commune bonum respicit, plura ex sui natura complecti debet præ altera legislativa potestate, quæ circa hujus vitæ commune bonum versatur.

Duplicem esse oportere potestatem legislativam, unam, quæ præsentis, alteram, quæ futuræ vitæ commune bonum respiciat, jam ostendimus (1). Alterius ergo vitæ communi bono quodvis grave peccatum opponitur, non autem opponitur communi bono vitæ præsentis. Quæ enim pacem, mutuamque societatem inter homines perturbant; ea potissimum sunt, quæ hujus vitæ communi bono adversantur: contra vero id omne, quod est contra Legem naturalem, atque Divinam, est simul etiam contra alterius vitæ commune bonum: quatenus ergo legislativæ potestati convenit prohibere, quæ sunt opposita fini, quem sibi propositum habet; ea sane legislativa potestas, quæ alterius vitæ commune bonum respicit, magis ex sui natura extenditur, quam altera legislativa potestas, cujus est incumbere bono vitæ præsentis.

At vero etiam quatenus legislativæ potestati convenit præcipere, quæ ad finem illius conducunt, hæc legislativa potestas, de qua nunc loquimur, magis extenditur. Quo enim magis arduus est finis, majori etiam vi ad consequutionem ejus conniti debemus, atque esse diligentiores in prosequendis iis omnibus, quæ ad eum conducunt: at alterius vitæ commune bonum longe difficilius nos con-

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 4.

consequi posse, quam commune bonum vitæ præsentis, inde constat, quia istud est commune omnibus, tam bonis, quam malis, illud autem eorum tantum proprium est, qui uni Deo adhæserint, sibique in reprimendis noxiis cupiditatibus vim maximam adhibuerint: igitur nostra hæc legislativa potestas inde quoque magis extenditur, si ad ea attendamus, quæ præcipere debet.

§. VIII. Ea legislativa potestas, quæ hujus vitæ commune bonum sibi propositum habet, actus internos in se spectatos nullo modo complectitur.

Uti habetur *Digestorum* lib. 48. l. 18. *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Consistere vero peccatum intra mentem tantum debet, ut pœnis legum civilium obnoxium non sit. Si enim exterius quoque tentatum aliquo modo fuerit, subjacet sane pœnis civilium legum, quamvis quod intendebatur, non evenerit. Hoc vero est, quod consentientibus Jureconsultis colligitur ex lib.48. *Digestorum* l.15. Eam autem legislativam potestatem, quæ hujus vitæ commune bonum sibi propositum habet, non extendi ad actus interiores, ipsi quoque rationi est quam maxime consentaneum. Nam ad exteriorem pacem, atque felicitatem humanæ societatis procurandam illa tendit, quia hujus vitæ commune bonum sibi propositum habet: hanc autem pacem, & felicitatem nullo modo destruunt, aut minuunt, quæ contra eam mente volvuntur, intraque illam semper consistunt. Hæc ergo legislativa potestas actus internos non complectitur.

§. IX. Actus externi, quamvis omnino occulti ii sint, subsunt jurisdictioni hujus legislativæ potestatis.

Id omne jurisdictioni hujus legislativæ potestatis subesse debet, quod ad finem ab ea intentum refertur. Commune vero bonum est finis ab ea intentus. Huic autem bono tam ea mala nocent, quæ vel ex se manifesta sunt, vel facile manifestantur, quam quæ ita latent, ut vel nullo modo, vel difficiliter manifestari possint: nocet enim malum semel ac admittatur: igitur horum quoque prohibitio ma-

malorum cadit ſub juriſdictione hujus legislativæ poteſtatis. Hinc vero eſt, ut quod in ſui initio occultiſſime latebat, poſtea puniatur, quando venit in cognitionem hominum.

§. X. Quatenus actus exterior cum exteriori conjungitur, ſubeſt ille quoque juriſdictioni ejuſdem legislativæ poteſtatis.

Quamvis actus interior ſine exteriori eſſe poſſit, non tamen exterior ſine interiori: ab interiori namque actus externus habet, ut ſit humanus, legumque præceptis ſubjiciatur: ſemel ac ergo ſub judicio legislativæ poteſtatis actus exteriores cadant; eidem etiam interiores quodammodo ſubduntur, quatenus cum exterioribus conjunctionem habent. Quapropter in fure rei alienæ cupiditas punitur, quatenus in exteriori actione ſeſe prodit. Hinc vero eſt, ut quis licet ſua actione exteriori grave detrimentum non intulerit, ſi tamen actio talis ſit, ut grave ab illo detrimentum inferri voluiſſe præſeferat, ſecundum leges gravius puniatur.

§. XI. Quia actus interni in ſe ſpectati non ſunt ſubjecti legislativæ illi poteſtati, quæ præſentis vitæ commune bonum reſpicit, inde non conſequitur, ut qui tranſgrediendi legem habet determinatam voluntatem, non peccet.

Quamvis actus interni in ſe ſpectati huic legislativæ poteſtati non ſubjiciantur (1); tamen de interiori obligatione parendi humanis legibus omnino conſtat, tam ſi ad ipſas leges, quam ad ſubditos attendatur, eſtque etiam compertum ex Sacris Litteris, humanis legibus propter conſcientiam obtemperandum eſſe (2): quia ergo actus interni huic legislativæ poteſtati non ſubduntur, tantum conſequitur, ut ab ea puniri non poſſit illa legem tranſgrediendi determinata voluntas, non vero quod non peccet, qui id vult, quod velle non deberet. Actus deinde interior apud Deum, qui ſcrutatur renes, & corda, eſt ejuſdem malitiæ, ac actus exterior in ſe ſpectatus; ita inferre alicui malum, & velle tantum idem malum, ſunt peccata æqualis gravitatis: ſi ergo tum interiores, tum exteriores actus, quibus lex aliqua violatur, eamdem coram Deo malitiam habent; conſequens

inde

(1) Hujus cap. §. 8. (2) Hujus lib. cap. 3. §. 4. & ſeqq.

inde est, ut coram ipso sit æque peccatum tam transgredi legem humanam, quam illam transgrediendi determinatam habere voluntatem: æque, inquam, peccatum, si transgressio mente præconcepta, quæ in voluntate solummodo sistit, exteriori transgressioni omnino respondeat, & huic ob ea, quæ actionem circumstant, nihil superaccedat malitiæ gravioris.

§. XII. Legislativa potestas, quæ alterius vitæ commune bonum respicit, quamvis circa actus interiores in se spectatos non versetur, tamen magis sollicita esse debet de interioribus, quam de exterioribus, atque istos ad illos excitandos referre.

Sub illius præceptione legis non cadere, quæ ejusdem judicio subesse non possunt, nimis profecto perspicuum est. Judicium enim quoddam in ipsa legislatione profertur, eaque hoc, vel illud agendum, aut non agendum esse decernitur. Quo sane fit, ut legislativa potestas super illa cadere non possit, quæ judicio ejus non subjiciuntur. Nulla vero est humana potestas, quæ interiores actiones hominum attingere possit, semel ac ex nullo modo sese exterius prodant: id ergo est solius Dei; qui scrutatur renes, & corda. Ex hoc autem consequitur, ut actus interiores in se spectatos etiam illa legislativa potestas non complectatur, quæ alterius vitæ commune bonum respicit. Multa quidem hac legislativa potestate præcepta fuisse legimus; quæ actibus interioribus perficiuntur, sicuti sunt ea omnia, ut alia nunc omittamus, quæ in Tridentino Concilio contra Calvinistas sess. *6*. cap. *3*., atque can. 12. & seqq. de vera ratione nostræ fidei quoad interiores actus nostros circa illam, quæque Summi Pontifices Alexander VII., & Innocentius XI. de actibus fidei, spei, & charitatis eliciendis sanxerunt: verum hisce omnibus, Legis Divinæ, quæ etiam internos actus complectitur, præcepta exponuntur, atque inculcantur, non vero actu interiori quidpiam præstandum præcipitur, quod non esset aliunde præceptum.

Quia tamen hæc legislativa potestas, de qua nunc loquimur, alterius vitæ bonum sibi propositum habet, inde est, ut

ut magis ſollicita eſſe debeat de actibus interioribus, quam de exterioribus, atque iſtos ad illos excitandos referre. Nam ad illud bonum, ad quod tendit, actus exteriores non ducunt, ſemel ac cum interioribus nulla ſint ratione conjuncti, atque corpore dum agimus, animus quoque vel actu, vel virtute, quod exterius a nobis fit, non proſequatur. Quamvis autem quæ ſunt noſtræ Religionis etiam externo opere complere debeamus; immo quo major in nobis interna pietas, atque charitas extiterit, eo quoque frequentius, ac magis hilariter, operemur etiam exterius, quæ ſunt Divini cultus; tamen etiam ſolis actibus interioribus, qui nullum exteriorem ſibi conjunctum habeant, ea perficiuntur, quæ ad Deum colendum ſunt inſtituta. Quapropter contra ac contingit in communi bono vitæ præſentis, quod & ex ſolis actibus exterioribus habetur, & ſemper habetur, ſemel ac ad illud homines cooperentur, quacumque tandem id ratione faciant, hoc eſt, vel inviti, vel ultro, atque libenter; contra, inquam, res ſeſe habet in communi bono vitæ futuræ, quod in Dei poſſeſſione conſiſtit: iſtud enim etiam ſoli actus interiores nobis comparant, & actus exteriores tunc ad illud comparandum conducunt, quando cum interioribus aliquo modo conjunguntur. Hac vero de cauſa legislativa illa poteſtas, quæ alterius vitæ commune bonum reſpicit, quamvis circa actus interiores in ſe ſpectatos non verſetur, magis ſollicita eſſe debet de interioribus, quam de exterioribus, atque iſtos ad illos excitandos referre.

His accedit, commune bonum futuræ vitæ a nemine obtineri poſſe, ſemel ac tum animo, tum corpore, Deo non deſerviat: primo quidem animo, quæ noſtri pars potiſſima eſt, deinde corpore: quæ ſunt ergo animi, atque animo perficiuntur, ea legislativa poteſtate, quæ alterius vitæ commune bonum ſibi propoſitum habet, præcipue reſpiciantur oportet, alioquin ad eum finem, ad quem tendit, bene inſtituta non eſſet.

CA-

CAPUT VI.

DE LEGUM HUMANARUM MUTATIONE, DISPENSATIONE, INTERPETATIONE, ET ABROGATIONE.

§. I. LEX humana est in se mutabilis.

A lege quidem naturæ derivari debent humanæ leges, atque revera licet non omnes eadem ratione deriventur (1): & quamvis lex naturæ sit immutabilis; lex tamen humana est obnoxia mutationi. A lege enim naturæ lex humana proficiscitur judicio humanæ rationis; judicium autem humanæ rationis, etiam dum rem istam agit, falli potest: ergo fieri potest, ut quod ex lege naturæ colligit, revera non bene collectum aliquo modo sit, ac propterea in se spectatum semper mutabile est, quod ab humana judicii ratione pendet. Si ergo non sit aliunde legislatori promissa infallibilitas, qua dum quidpiam decernit, errare non possit, lex humana est semper in se mutabilis.

Est quoque lex humana mutabilis, eorum, quibus fertur, habita ratione. Hominum namque non una semper, atque eadem conditio est, indeque expedit, ut modo res una, modo altera præcipiatur, lexque illa, quæ utilis quandoque fuit, modo non sit.

§. II. Lex humana inde solum mutari debet, ut communi bono prospiciatur.

Finis legis est commune bonum (2): igitur ob commune bonum feruntur leges: sed leges feruntur, etiam dum mutantur; tunc enim una lex alteri substituitur: igitur lex humana inde solum mutari debet, ut communi bono prospiciatur.

§. III. Propter quamvis utilitatem boni communis mutari non debent humanæ leges.

Ipsa mutatio legis, si in se spectetur, aliqua ratione communi utilitati semper obest. Nam ad observationem legum longa consuetudo plurimum confert, indeque est, ut si

(1) Hujus lib. cap. 2. §. 1. & seqq. (2) Lib. 1. cap. 1. §. 1.

quid contra agere debeamus, ac longo spatio temporum consuevimus, gravius esse videatur, licet in se spectatum leve sit. Dum vero lex mutatur, omnino tollitur hujusmodi incitamentum, quod ad observationem legis efficaciter inducit, quodque proficiscitur ab ipsa consuetudine, quæ supra nos plurimum potest: " Et ideo (uti habet S.Thomas 1.2. qu.97. „ art.) nunquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte „ tantum re compensetur communi saluti, quantum ex ista „ parte derogatur ".

Quod autem detrimenti ex mutatione legis communi utilitati infertur, aliunde compensari tunc potissimum contingit, quando quod erat antea lege constitutum, ob multa, quæ prævisa non fuerant, cedit in detrimentum ipsius multitudinis; est vero huic perutile, ut alia lex feratur.

§. IV. Legislator in sua lege dispensare potest.

„ In quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis di„ spensare, quia ordinat qualiter commune præceptum sit „ a singulis adimplendum, " sicuti inquit S. Thomas 1. 2. qu.97. art.4. Quandoque vero contingit, ut quod lege præcipitur, sit utile multitudini, non huic, aut alteri personæ ob aliqua, quæ superveniunt, eamque singulariter afficiunt, atque inde occurrat causa rationabilis, cur hujusmodi persona eximi possit ab ejus observatione legis, quæ est communis omnibus. Judicium hujus rei non convenit personæ privatæ: id enim cederet in præjudicium ejus auctoritatis, qua lex constituta est. " Et ideo (quemadmodum „ concludit S. Thomas) ille, qui habet regere multitudi„ nem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ „ suæ auctoritati innititur, ut scilicet in personis, vel in „ casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præ„ ceptum legis non servetur ".

§. V. Nemo subditorum dispensare potest in lege, quamvis in ea cautum non sit, dispensationem legislatori reservatam esse.

Dispensare in lege est actus jurisdictionis, quæ non potest cadere in illos, qui alterius legislativæ potestati subjiciun-

ciuntur; sed ex suæ conditione subjectionis habent, ut pareant legibus, eisque morem gerant: nemo ergo subditorum, quoad observationem legis dispensare potest, quamvis in lege cautum non sit, dispensationem ejus legislatori reservatam esse.

§. VI. Legislatorem a sua lege dispensare absolute censendum non est, quando licet videat transgressionem suæ legis, tamen non impedit, quamvis posset.

Ita legislator sese gerere potest pluribus de causis, ob quas a sua culpa non excusatur, qui transgreditur leges. Majoris mali declinandi studium, & in subditis prævisa protervia, ad tacendum, atque ad non utendum ea potestate, qua pollet, quamvis suas leges infringi videat, legislatorem inducere quidem possunt; a culpa autem excusare transgressores nullo modo possunt. Quid si legislator expectet opportunitatem temporis, qua sua potestate utatur? Si taceat, quia malum altas radices nondum egit? si dissimulandum putet, quia mali remedium aliunde paratum habet? Anne si hisce rationibus ad non puniendum inducatur, legis transgressor esse desinit, qui contra legem agit? Dispensationis ergo certum argumentum non est, quod, se vidente, legislator suas leges transgredi patiatur, neque aliquam pœnam transgressoribus inferat.

Etiam jus Canonicum in rem istam consentit: nam Cap. *Quum jam dudum De Præbendis*, *& Dignitatibus* hæc habentur: " Quum multa per patientiam tolerentur, quæ " si deducta fuerit in judicium, exigente justitia, non de" bent tolerari ". Et Cap. *Super eo De cognatione spirituali* ita statuitur: " Verum si de consuetudine habeatur, ut ta" lia conjugia permittantur, id in Ecclesia tua dissimulare " poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris " præstare assensum ". Quapropter neque tolerantia, quæ per patientiam habeatur, neque dissimulatio, est in legislatore argumentum dispensationis.

Non est ergo eadem habenda ratio tum consuetudinis,

quæ obtinet vim legis (1), tum ejus silentii, quod in suæ transgressione legis a legislatore servatur. Connivere enim legislatorem in consuetudinem oportet, ut ea vim legis assequatur: hoc tamen non facit, dum silet, atque suæ legis transgressionem tolerat (2). Quapropter, ut ad rem nostram veniamus, absolute censendum non est, legislatorem a sua lege dispensare, quando, licet posset, transgressores illius non punit.

§. VII. Peccat legislator si absque rationabili causa aliquem subditorum dispenset ab observatione legis.

Juri naturæ adversatur, ut unus, aut alter sine aliqua rationabili causa ab eo onere eximatur, quod commune esse debet omnibus: hoc vero est, quod legislator facit, dum aliquos absque rationabili causa eximit ab observatione legis: onus enim quoddam lex est, quod omnes subditi portare debent. Id ergo dum agit legislator, peccat contra justitiam distributivam, cujus est, æqualiter, servata proportione, onera distribuere. Quapropter " Ubi necessitas
" urget, (sicuti inquit S. Bernardus lib. 3. *De Considerat.*
" cap.4. num.18.) excusabilis dispensatio est: ubi utilitas
" provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, com-
" munis, non propria. Nam quum nihil horum est, non
" plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est ".

Majoris autem, vel minoris mali, quod ex hujusmodi dispensatione consequitur, habita ratione, magis minusvè injuste egisse legislatorem censendum erit. Hoc enim potissimum expendatur oportet, quando de iis agitur, quæ contra justitiam committuntur.

Illud tamen adverti debet, hujusmodi causam non esse in dispensatione requirendam, quæ ex se ipsa solveret ab obligatione legis: tunc enim declaratio, vel interpretatio necessaria foret, non vero dispensatio. Quia vero justa causa dispensationis in re quadam indivisibili non consistit, est profecto legislatoris, quosdam ab onere legis omnino levare,

(1) Lib.7. cap.1. §.4. & seq. (2) Cit. lib. cap.7. §.3. & seqq.

re, alios ab aliqua tantum ejusdem parte, nonnullos levatos ab ipsius onere legis, ad aliquod onus subeundum obligare, minus tamen grave, quam esset onus legis, alioquin commutatio, non dispensatio fieret.

§. VIII. Dispensatio sine rationabili causa concessa dispensatum ab observatione legis secundum conscientiam non eximit.

Hujusmodi dispensatio est injusta, quia dum legislator eam concedit, contra justitiam peccat (1): injusta autem actione nemo secundum conscientiam ab eo eximitur, quod justum est: ergo hac dispensatione nemo secundum conscientiam eximitur a justa obligatione legis. Peccat deinde subditus, semel ac ea dispensatione utatur, quam sibi a legislatore injuste factam fuisse cognoscit: eo enim, quod injustum est, nemo juste uti potest: subditus ergo injusta dispensatione secundum conscientiam ab obligatione legis non solvitur: si enim solveretur, utique non peccaret, dum hujusmodi dispensatione uteretur.

Humanam quidem legem subditus servare debet, ex eo quod ea a legislatore sibi imponitur, cuique ut obtemperet, recta ratio requirit; attamen ex hoc non consequitur, ut ab observatione legis secundum conscientiam absolutus evadat, etiamsi ab illa injuste a legislatore dispensetur. Ex jure enim naturæ proficiscitur, ut quis illud commune onus portet, quod cum aliis portare debet. Hoc autem jus naturæ positum non est in potestate legislatoris: Quum ergo contra illud legislator agat, semel ac aliquem ab observatione legis injuste dispensat; inde consequitur, ut ita dispensatus a jure naturæ ad observationem legis adigatur.

§. IX. Interpretatio legis triplici ratione fieri potest.

Interpretatio ergo, quæ est quædam declaratio legis, aliquando ab ipso legislatore proficiscitur, aliquando fit judicio doctorum: illa *authentica* dicitur, atque vim legis habet; ista *doctrinalis* vocatur, & non habet vim legis. Est quo-

(1) Præced. §.

quoque alia interpretatio legis, quæ ab usu, & consuetudine pendet, atque vocatur *usualis*; ac propterea suam ex usu, & consuetudine, ac consensu auctoritatem mutuatur. Nullus est autem interpretationi tum *doctrinali*, tum *usuali* locus, semel ac legislator sua lege caverit, ne quispiam illam interpretetur, aut in observatione ejus nullam habendam esse constituit rationem usus, vel consuetudinis.

§. X. Interpretatio legis non ad arbitrium fieri debet, sed certis quibusdam regulis ea innitatur oportet.

Interpretatio legis ad id comparata esse debet, ut ea explicetur, atque declaretur, quod in lege dubium occurrit: quæ autem ad arbitrium fiunt, in unum finem semper tendere non possunt.

Potissimam ergo hujus rei regulam ex S. Hilario lib.4. *De Trinitate* tradit S. Thomas 1. 2. qu.96. art.6., quæ hujusmodi est: " Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus ". Quapropter intentio legislatoris, quæ est veluti anima legis, primo loco attendatur oportet: verba autem sunt instrumentum illud, quo manifestatur intentio legislatoris. Hac vero de causa verba intentioni subdi debent, non autem intentio verbis. Nam uti habetur *Digestorum* lib.1. tit.3. *De Legibus* l.17. " Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem ". Tunc tamen hæc regula tenenda est, quando ex totius contextu legis de legislatoris intentione constat: si enim aliquod dubium sit de illa; tunc sane verbis inhærendum est. Verba enim voluntatem legislatoris nobis exprimunt, ac propterea si quæ sit mens legislatoris aliunde certius non cognoscatur, nullus alius aptior interpres legis occurrit præter ipsa verba.

Altera regula *Digestorum* lib.50. tit.17. *De Regulis juris* l.67. præscribitur, quæ hæc est: " Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipitur, quæ rei gerendæ aptior est ". Quapropter finis legis inspiciendus est, totaque substantia legis expendenda, indeque

ea

ea sententia seligi debet, quæ tum fini, tum substantiæ legis magis conformis adinvenitur.

Tertia regula est: verba legis in interpretatione ejus accipi debere secundum communem intelligentiam ejus loci, in quo lex condita fuit. Est enim præsumendum secundum hujusmodi intelligentiam verba a legislatore accepta fuisse.

Quarta regula est: legem ad ea extendi non debere, quæ ejusdem rationis cum contentis in illa, esse videntur. Ratio enim ipsa legis non est lex, neque legislatori necessitatem imponit, ut sub sua lege illa omnia complectatur, quæ ob hujusmodi rationem complecti posset. Sicut ergo legislator hoc, vel illud sub sua lege libere includit, ita eodem modo aliud libere excludit. Tamen quandoque propter omnimodam æqualitatem rationis fit, ut lex ad illud quoque extendatur, quod in lege expressum non habetur. Sicut etiam quando unum sub altero contineri contingit, si lex illud alterum complectatur, prius quoque complecti censendum est. Idem quoque judicium de iis fieri debet, quæ, ut dicunt, sibi mutuo æquiparantur: unum enim eorum semel ac in lege contineatur, etiam cetera continentur. Verum non est, cur nunc de his omnibus differamus.

§. XI. Duplici ratione lex humana abrogatur, seu obligare desinit.

Sicuti lex posita est auctoritate legislatoris, ita etiam, eo volente, e medio tollitur, nullamque amplius vim ad obligandum habet. Hoc autem duplici ratione fieri potest: 1. quatenus ipse legislator altera lege priorem a se latam abrogat: 2. quatenus consentit in illam consuetudinem, quæ contra suæ legis observationem prævaluit.

§. XII. Nullus subditorum legem quoad se abrogatam esse putare potest, quia finis legis nullum in se locum habet.

Sicuti animadvertit S. Thomas 2. 2. qu. 147. art. 4. „ Statuta communia proponuntur secundum quod multitu-
„ dini

„ dini conveniunt. Et ideo legislator in eis ſtatuendis at-
„ tendit id, quod communiter habetur, & in pluribus ac-
„ cidit". Et re quidem vera, ſi lex regere multitudinem ſibi propoſitum non haberet, tot profecto leges ſanciendæ forent, quot ſunt ea, quæ ſingulariter contingere poſſunt, atque legum nullus finis daretur. Si ergo lex fertur propter multitudinem, atque id reſpiciat oportet, quod plerumque contingit; nemo quoad ſe illam abrogatam eſſe inde putare poteſt, quia finis a lege intentus nullum in ſe locum habet. Finis enim legis licet in uno, aut in altero ſuum effectum non habeat, inde tamen non tollitur finis ille communis, propter quem lex inſtituta eſt.

Semel ac deinde admittatur, putare quempiam poſſe ob hujuſmodi rationem quoad ſe ipſum, legem abrogatam eſſe, quis non videt, quanta inde tranſgreſſio legum humanarum conſequutura ſit? Tunc profecto unuſquiſque proprio judicio ductus obrepere poſſet, eum finem, qui intenditur a lege, in ſe locum non habere, atque ita immunem ſe putare ab onere legis. Quapropter licet ex eo quod unus, aut alter arma deferant, ad rixas, & homicidia nullo modo inclinentur; tamen legem, quæ ad impedienda hujuſmodi mala lata eſt, illi quoque ſervare debent: idemque dicendum eſt de aliis ſimilibus legibus, quarum finis non in omnibus ſuum effectum habet.

CAPUT VII.

DE ACCEPTATIONE LEGUM HUMANARUM.

§. I. VEræ legis ea natura eſt, ut ab acceptatione populorum pendere non debeat.

De ea nunc humana poteſtate loquimur, cui competat ſuis ſubditis ferre leges vi ſuæ auctoritatis, & de iis legibus, quæ naturali, aut Divinæ Legi non opponuntur. Quemadmodum habet S. Thomas 2. 2. q. 16. art. 1., " Lex non impo-
„ nitur ab aliquo domino niſi ſuis ſubditis: & ideo præcepta
„ legis præſupponunt ſubjectionem cujuslibet recipientis le-
„ gem-

„ gem ad eum, qui dat legem“. Frustra igitur lex aliqua promulgaretur, semel ac ea ab acceptatione populi penderet: nam nomine legis, quædam jussio ejus, qui præest omnibus, intelligenda venit, atque manifestata illis, qui subesse debent; semel ac autem ut hæc jussio suum effectum haberet, consensus eorum, quibus indicitur, requireretur, hic profecto exquirendus esset, antequam illa promulgaretur, ne contingeret, ut promulgatio inanis evaderet: igitur si non singulorum, saltem majoris partis subditorum consilium exquiri deberet, atque videri, utrum jussioni, quæ futurum est, ut promulgetur, subdi vellent. Hoc autem non solum moraliter fieri non potest, sed etiam ipsi notioni legis, & legislativæ potestati repugnat.

§. II. Ut leges non pendeant ab acceptatione populorum, ipsa legislativa potestas exigit.

Si ponatur leges pendere ab acceptatione populorum, tunc qui præest ceteris, omnibusque dominatur, in præcipuo munere suæ jurisdictionis subjiceretur illis, qui ejus imperio obtemperare debent. Nam vis jurisdictionis in exercitio legislativæ potestatis sese potissimum prodit, quum ea Principes super omnes unica jussione suum imperium exerceant.

§. III. Constat ex ipsa conditione subditorum leges non pendere ab eorumdem acceptatione.

Populus ei, qui sibi æquo jure præest, obtemperare debet, quoties nihil sibi præcipiatur, quod aut naturali, aut Divinæ Legi contrarium sit: hoc enim ipsa illius subjectio postulat, lex naturæ præcipit, atque Divina confirmat (1): at obedire, vel non obedire æque repositum esset in potestate populorum, semel ac acceptatio legum ab eorum voluntate penderet: leges ergo non pendere ab acceptatione populorum ex ipsa eorumdem conditione constat. Et re quidem vera id omnes servare debent, quod ab ea potestate, quæ jus habet ferendi leges, proficiscitur (2): hæc autem obligatio omnino tolleretur, si leges penderent ab acceptatione populorum. Tunc enim non huic tantum, aut illi mandato legislatoris, sed

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 3. & seqq. (2) Loco cit.

toti legislativæ potestati contradicere subditi possent : consequens ergo inde foret, ut omnis obligatio obtemperandi humanis legibus prorsus tolleretur : qua sane sublata, nulla perturbatio non consequitur.

§. IV. Non expectata consensione populorum suas leges condere, atque promulgare possunt legislatores.

Leges vim obligandi non habent ab acceptatione populorum (1) : aliunde vero est in iis, qui populis sibi subjectis cum potestate præsunt, auctoritas ferendi leges (2) : nullo ergo modo necessarium est, ut legislatores consensionem populorum exquirant, dum leges condere, atque promulgare volunt.

§. V. Contra debitam Principibus subjectionem populi agunt, si legibus eorum sese non subjiciant.

Lex tum naturalis, tum Divina præcipit, ut humanæ supra nos positæ potestati pareamus (3): at vero dum populi sese submittere renuunt promulgatis legibus, potestatem supra se positam in re gravissima contemnunt : id enim contemnunt, quod in hujusmodi potestate est potissimum omnium : agere ergo illos, dum hoc faciunt, contra eam subjectionem, quam Principibus debent, nemini dubium esse potest.

§. VI. Legislatores populum sibi subjectum vi, atque pœnis adigere possunt ad suscipiendas eas leges, quas promulgaverint.

Quamvis non sit humanæ legislativæ potestatis omnia mala cohibere, tamen illius est prospicere iis, quæ sunt communia, atque communi bono societatis magis adversantur (4) : in gravissimum autem humanæ societatis detrimentum cedit, ut nulla legum humanarum certa ratio habeatur, earumque observatio a populi voluntate pendeat, quia inde maxima perturbatio consequutura esset, sicuti nemo non videt : ne ergo tantum in societate malum contingat, legislatores vi, atque minis populum sibi subjectum

(1) Hujus cap. §. 1. & seqq. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 1. & seqq.
(3) Hujus lib. cap. 3. §. 3. & seqq. (4) Hujus lib. cap. 5. §. 2. & seq.

ctum juste adigunt ad suscipiendas eas leges, quas promulgaverint.

§. VII. Contra ea, quæ de independentia legum ab acceptatione populorum diximus, ad jus civile, atque canonicum nonnulli frustra recurrunt.

Lib. 1. *Digestorum* tit. 3. *De Legibus* l. 32. hæc habentur: „ Nam quum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, „ quam quod judicio populi receptæ sunt ". *Distinct.* 4. cap. *In istis* ista legimus: " Leges instituuntur, quum promul„ gantur; firmantur, quum moribus utentium approban„ tur. Sicut enim moribus utentium in contrarium non„ nullæ leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium „ ipsæ leges confirmantur ". Utroque ex loco perspectum esse, nonnulli contendunt, pendere leges ab acceptione populorum: verum omnino falluntur. Quandoquidem iis de legibus in citato loco Juris civilis sermo est, quæ suam institutionem a consuetudine habent: " Inveterata consue„ tudo (ita in eo) pro lege non immerito custoditur: (& „ hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum.) Nam „ quum ipsæ leges nulla alia de causa nos teneant, quam „ quod judicio populi receptæ sunt: merito & ea, quæ si„ ne ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes ". Quamvis ergo ad eam consuetudinem, quæ habet vim legis, etiam consensus legislatoris requiratur (1), tamen suam illa primam originem ab eo ducit, quod apud multitudinem in usu est. Unde mirandum non est, si eæ leges, quæ consuetudine introducuntur, obligare dicantur, quia judicio populi receptæ sunt.

Si autem quis ea verba: " Quum ipsæ leges nulla „ alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi re„ ceptæ sunt ", ad omnes leges esse referenda velit, quemadmodum revera referri posse videntur; tunc respondemus, non ideo dici, nos obligari legibus, quia populus illas receperit, quasi ad obligationem legum populi consensus requiratur, sed quia quæ in legibus vis obligandi inest, non

 per-

(1) Lib. 7. cap. 7. §. 3. & seqq.

persisteret, si populi consensus non accederet. Lex enim, quæ aliquando suam vim ad obligandum habuit, propter contrariam consuetudinem, quæ moribus populorum introducitur, illam amittit. Quapropter ut vis obligandi semper in lege perseveret, tam oportet, ut auctoritate legislatoris non abrogetur, quam ut moribus populorum contraria consuetudo, legislatore consentiente, non introducatur. Hoc sensu in jure civili referri obligationem legis ad acceptationem populorum inde constat, quia *Novella 66.* statutum legimus, leges post duos menses a promulgatione earum servari debere, nulla acceptationis populorum facta mentione.

Gratianus autem contendit, & recte quidem, quamdam legibus adjungi confirmationem, quando moribus utentium approbantur, quia adversus hujusmodi leges nullus amplius locus contrariæ consuetudini, qua abrogentur, esse potest. Hanc Gratiani mentem esse, constat ex illis verbis: " Sicut enim moribus utentium in contrarium non-" nullæ leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium " ipsæ leges confirmantur ". Hac vero de confirmatione si agatur, eam pendere ab acceptatione populi & nos quoque dicimus: verum id non facit, quasi lex independenter ab acceptatione populi vim obligandi non habeat.

§. VIII. Exemplo a consuetudine accepto, inferri non potest, non obligare leges, semel ac a populo receptæ non fuerint.

Quamvis consuetudo contra legem prævalere possit; eamque etiam semel constitutam tollere, sine consensu tamen legislatoris id non facit (1). Unde suam quidem originem a populo ipsa consuetudo habet, semper tamen ipsius legislatoris consensus requiritur, ut quod est ejus potestate constitutum, consuetudine tollatur. Ex quo sane unicuique perspectum esse debet, legem constitutam auctoritate legislatoris nunquam a populo per se tolli posse. Hoc vero est, quod requireretur, ut leges vim obligandi non haberent, semel ac a populo receptæ non forent. Nihil minus igitur ex consuetudine quoad rem istam colligitur, quam quod nonnulli vellent.

(1) Lib.7. cap.7. §.3. & seqq.

LI-

LIBER XVII.

DE VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE.

POstquam de lege humana universe, & generatim accepta egimus, ordo doctrinæ postulat, ut de Ecclesiastica, quæ inter humanas primum locum obtinet, disseramus. Quia vero legi Ecclesiasticæ, quæ supra totam Ecclesiam extendatur, nullus locus esse posset, semel ac hìc in terris visibile caput non haberetur, quod tanta in Ecclesia auctoritate potiretur, quanta ad continendos Christianæ reipublicæ cives in fide, religione, & officio est necessaria; ideo initio hujus nostræ disputationis de lege Ecclesiastica, illorum error est refutandus a nobis, qui falso putarunt, nullum esse in Ecclesia visibile caput, cui totius Ecclesiæ regiminis suprema, & universa cura commissa sit, sed ipsum Christum nunc quoque per se in Ecclesia exercere officium capitis, & regis. In ejusmodi errorem inciderunt Marsilius de Padua, & Joannes de Janduno, quos Joannes XXII. damnavit hæreseos, uti habetur ex Constitutione incipiente: *Licet juxta* apud Martenium tom. 2. *Anecdotorum* pag.704., & Michael Cesenas, quem etiam damnavit idem Joannes XXII. Constitutione, quæ incipit: *Dudum ad nostri* cit. tom. apud Martenium pag.749. Joannes Hus in Constantiensi Concilio sess.15. ob eumdem errorem damnatus fuit: effutiebat enim, „ Non esse scintillam apparentiæ, quod oporteat, in spiritualibus esse unum caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur, & conservetur „. Hos omnes sequutus est Calvinus, qui lib.4. *Instit.* cap.6. §.9. ita pro suo more carpit Catholicos: „ Insignem tamen injuriam Christo faciunt, quum illo prætextu volunt hominem unum præesse universæ Ecclesiæ, quia hæc capite carere non potest. Christus enim caput est, ex quo totum corpus „. In hoc errore tuendo ceteris præcellit

Mar-

Marcus Antonius de Dominis in suo opere *De Ecclesiast. Reipub.* lib.1. cap.1., in quo totus in eo est, ut evincat, nullum in Ecclesia esse a Christo supremum caput constitutum, cui totius Ecclesiæ regimen universale, & suprema cura commissa sit, sed ipsum Christum officium Capitis, & Regis nunc quoque per se in Ecclesia exercere. Hunc ergo potissimum confutare aggredimur, quia præ ceteris plura in hanc rem congessit. Quatuor ergo nos capitibus quæstionem istam complectemur: in 1. de Visibili Ecclesiæ capite, ipsius Ecclesiæ, in 2. Christi, in 3. Divinarum Scripturarum, in 4. Sanctorum Patrum habita ratione, agemus.

CAPUT I.

DE VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE, IPSIUS ECCLESIÆ HABITA RATIONE.

§. I. Ecclesia visibilis est.

Ecclesia est quædam societas non Angelorum, seu animarum, sed hominum: nunc autem homines exterioribus quibusdam signis in aliquam societatem simul conjunguntur. Oportet enim ut sese invicem cognoscant: quod sane sine exterioribus signis haberi non potest. Ecclesia itaque, quum sit quædam hominum societas, debet esse visibilis. Illud deinde a Novatoribus nunc ego quæro (1), utrum homines veræ Ecclesiæ sese adjungere debeant? quænam sit vera Ecclesia modo cum illis non disputo: profecto semel ac Religionem ipsam Christianam sublatam non velint, id a nemine omitti posse fateantur oportet: igitur semel ac homines, uti modo dicebamus, sine exterioribus signis in unam simul societatem coalescere non possint, hæc vera religio visibilis esse debet.

Hoc vero est, de quo nos Sacræ Litteræ dubitare non sinunt. Paulus ergo, & Barnabas, orta quæstione de observatio-

(1) Qui Ecclesiam visibilem esse modo concesserint, modo negaverint, vide apud Bellarminum lib.3. *De Ecclesia Militante* cap.14.

vatione legalium, *deducti ab Ecclesia* uti *Actorum* cap. 2. v. 3. dicitur, suum iter versus Hierosolymam direxerunt: illuc autem quum pervenissent, *suscepti sunt ab Ecclesia*, sicuti ibidem v. 4. legitur. " Attendite vobis, & universo gregi, (ita Paulus *Actor.* cap. 20. v. 28.) in quo vos Spiritus San„ ctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei ". Idem Apostolus in sua prima epistola *ad Timotheum* cap. 3. v. 14. & seq. ita habet: " Hæc tibi scribo .... ut scias quomodo „ oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei „ vivi ". Anne hæc omnia in eam Ecclesiam cadere possunt, quæ non sit visibilis? Anne ab invisibili Ecclesia quispiam deduci, vel suscipi potest? invisibilem Ecclesiam quis regere valet, aut scire, quomodo in ea conversari debeat? Quid? Fortasse illa Ecclesia, quam Paulus 1. *Corint*, cap. 15. v. 9. se persequutum fuisse dicit, erat invisibilis? Profecto si fuisset invisibilis, eam persequi non potuisset. Hæc sane omnia, ut alia multa omittamus, Ecclesiam visibilem esse, nullum dubitandi locum relinquunt.

§. II. Ipsa Ecclesia, quia est visibilis, caput visibile requirit.

Quamvis inter cetera membra caput præemineat, ratio tamen proportionis, quæ intercedere debet inter partes unum aliquid constituentes, ut caput sit ejusdem conditionis, atque naturæ cum aliis membris, necessario requiritur: quia ergo Ecclesia est visibilis, oportet, ut etiam visibile caput habeat.

§. III. Si Ecclesia visibile caput non haberet, in sui regimine esset deterioris conditionis, ac respublica secularis.

Sicuti est Ecclesia visibilis; ita etiam respublica secularis visibilis est: tam ergo Ecclesia, quam respublica secularis, conditionis earum habita ratione, visibile caput exigunt, a quo sensibili ratione regantur. Nam visibilia membra, quæ unum visibile corpus constituunt, etiam visibile caput exigunt. Hoc ergo caput si respublica secularis haberet, eo autem Ecclesia destituta foret, inde inferri oporteret, Ecclesiam deterioris conditionis præ republica seculari in suo regimine esse.

§. IV.

§. IV. Ecclesia exigit visibile caput, quo regatur, licet quæ sunt fidei, & morum Divina auctoritate sibi præscripta habeat.

Quamvis ratione naturali præditi sint homines, atque videre possint, quid unus alteri, quid singuli omnibus reddere debeant, si ad commune vinculum societatis attendatur; licet sint muniti singularibus legibus, quæ personis, loco, atque tempori conveniant; etsi inter eos munera distributa habeantur, præscriptæ obligationes, determinata subjectio inferiorum ad superiores, ceteraque omnia constituta, quæ in aliquam societatem recto ordine dispositam cadere possunt; tamen si visibile caput non habeant, a quo regantur, hæc omnia nihil fere proderunt, multumque eis sane deerit ad hujusmodi rempublicam componendam, quæ hominum in unam societatem coalescentium dici possit, atque revera sit. Quod autem judicium hac in re est de seculari republica faciendum, potiori jure etiam de Ecclesiastica fieri debet. Hæc enim quamvis contineat præcepta morum, de quorum æquitate ex ipsa etiam ratione constat; multa tamen complectitur, quæ sunt supra rationem, atque non præsens, quo facile homines alliciuntur, sed futurum bonum respicit, quo non æque vivide, ac præsenti, nos afficimur. Commune deinde bonum, quod hac lege respicitur, hujus vitæ bonum, quod a civili societate intenditur, adeo præcellit, ut cum illo ne comparari quidem possit. Tandem de famulatu tum interiori, tum exteriori Deo exhibendo, hac in lege agitur: quo sane nihil nobis magis cordi esse potest. Quapropter si in seculari republica, omnia esse recte constituta, nihil prodest, semel ac non habeat visibile caput, a quo regatur; est idem quoque de republica Ecclesiastica dicendum, & quidem eo potiori jure, quia ista complectitur multa, quæ rationem omnino excedunt, & non præsens, sed futurum bonum respicit, quo nullum præstantius adinveniri potest, atque de famulatu Deo nunc a nobis interius exteriusque exhibendo agit.

§. V.

§. V. Ipſa experientia confirmat, Eccleſiam ex ſui conditione capite viſibili magis indigere quavis alia republica.

A primis Eccleſiæ temporibus uſque ad hæc noſtra ſemper aliquos fuiſſe novimus, qui & ea immutare auderent, quæ ad veram ſinceramque fidei noſtræ rationem divinitus traditam ſpectant; & alia pervertere, quæ pertinent ad eam morum informationem, quam a Chriſto accepimus. In aliis quoque multis circa diſciplinam graves, & diuturnas ſæpe exarſiſſe contentiones, nemo ignorare poteſt. Si autem in Eccleſia non fuiſſet aliquod viſibile caput, cujus auctoritate, quæ omnibus perſpecta foret, & contra varios multipliceſque errores ea definita non fuiſſent, quæ ſunt veræ othodoxæque fidei, & quæ erant contra honeſtatem morum non damnata, atque etiam alia multa non declarata, quæ animos Chriſtianorum licet colentium unam fidem, a ſe invicem alienos tenere poterant; anne qui nunc eſt Eccleſiæ ſtatus, perſeverare potuiſſet? An non potius omnia in ancipiti dubitatione poſita haberentur, atque maxima pars Chriſtianorum quid ſentiendum, quidque ſequendum ſibi eſſet, ignoraret? Longa igitur experientia temporum conſtat, Eccleſiam ex ſui conditione capite viſibili magis indigere quavis alia republica.

§. VI. Suæ Eccleſiæ Chriſtus ut hac in re conſuleret, convenientiſſimum fuit.

De eo quidem dubitari a nemine poteſt, Chriſtum nunc ſedentem ad dexteram Patris, etiam exteriori regimine ſuam Eccleſiam gubernare poſſe, nullo hominum in hanc rem adhibito miniſterio: hoc tamen non obſtat, quin convenientiſſimum fuiſſe dicatur, ut viſibile caput ſuæ Eccleſiæ præficeret, a quo exterius regeretur. Nam ſuam Eccleſiam viſibilem eſſe voluit (1): quemadmodum autem ſupra dicebamus, ut caput ſit ejuſdem naturæ, atque conditionis cum ſuis membris, & non toto genere differat, ſicuti ſe habent viſibile, & inviſibile, ea proportio exigit, quæ inter iſta, & illud intercedere debet: ſemel ac ergo Chriſtus ſuam Eccleſiam viſibilem

(1) Hujus cap. §. 1.

lem esse voluerit, convenientissimum fuit, ut ei caput visibile præficeret.

§. VII. Visibili capite non indigere Ecclesiam, quamvis ministris visibilibus indigeat, res est nimis absurda, quæ in mentem ejus, qui ratione utatur, cadere non potest.

Hoc vero est, quod venit in mentem Marci Antonii de Dominis, qui *De Ecclesiastica Republica* lib. 1. cap. 1. num. 16. contra Bellarminum illud urget, non evinci ex necessitate ministrorum Ecclesiæ, dari etiam in ea debere supremum aliquod visibile caput, quia oportebat quidem " Prædicari Evangelium ore materiali, baptizari credentes aqua materiali; at unius alicujus Vicarii necessitatem inde non haberi". Verum illud non vidit, aut videre non voluit, qua ratione Christus ministros Sacramentorum instituit, eadem etiam visibile caput suæ Ecclesiæ præfecit. Quamvis ergo Christus sit, qui in Sacramentis gratiam infundat; tamen quia Sacramenta sunt quædam signa sensibilia, sensibilique ratione conferenda erant, sensibiles illorum ministros Christus instituit; ita quoque licet Christus sit supremum Ecclesiæ caput, eaque omnia, quæ spectant ad interiorem influxum ejus in Ecclesiam per se operetur, tamen quia Christiana respublica exteriori, atque sensibili ratione regenda erat, prout ipsa ex sui conditione exigit (1); ideo supremum visibile caput illi præficere voluit. Est enim Ecclesia respublica non Angelorum, sed hominum, qui visibili ratione regantur oportet. Sicut ergo, uti habet idem Marcus Antonius in citato loco, " Christus etiamsi Pastor sit præcipuus, Doctor, & Episcopus, olim etiam corporalis, nunc vero internus tantum, & spiritualis, supplere tamen ubique, salvo more ordinario humano, tunc non poterat; nunc vero multo magis corpore absens per alios exercere debet necessaria munera docendi, baptizandi, & alia Sacramenta ministrandi"; eodem quoque jure, atque prorsus eadem ratione per alium exercere debet munus *Pastoris præcipui*, *Doctoris*, & *Episcopi*, quia nunc est *corpore absens*.

(1) Hujus cap. §. 2. & seqq.

absens. Dum vero Bellarminum lib. 1. *De Romano Pontifice* cap. 9. idem Auctor num. 17. vellicat, quia ex republica Angelorum, in qua præter supremam Dei potestatem dantur Angeli, qui ceteris præsunt, idem etiam in Christiana republica servandum deducit, suam in errore obstinationem magis magisque prodit. Nam si hoc in republica Angelorum contingit, in qua Deum nemo non intelligit, nemo non videt; longe potiori jure id etiam in republica Christiana contingere debet, in qua Christum supremum Pastorem, & caput, nullus videt, atque audit, ejusque gubernationem nemo sentit.

§. VIII. Sine visibili capite in Ecclesia posse perseverare eam formam, quam Christus constituit, alterum est, quod in nullius sanam mentem venerit.

Venit tamen & istud in mentem Marci Antonii de Dominis: Sandero enim *De Visibili Monarchia* lib. 5. cap. 1. urgenti, nunc quoque in Ecclesia esse debere supremum visibile Caput, a quo ipsa Ecclesia suprema potestate visibili ratione regatur, ut dici possit, nunc quoque in Christiana republica perseverare eam formam, quam Christus constituit, tria respondet, ut omittamus, quæ ad rem nostram modo non faciunt: 1. Christum, dum Ecclesiam fundavit, Apostolos sibi assumpsisse coadjutores, Apostolis succedere Episcopos, atque eamdem formam Ecclesiæ perseverare: 2. nullum in Ecclesia caput præter Christum admitti debere, semel ac ponatur, Ecclesiam eamdem esse, ac primitivam: 3. Ecclesiam ab Ascensione Christi in cœlum, suum ortum habuisse, indeque testimonio Divinarum Scripturarum nobis compertum esse, Christum post suam passionem exaltatum fuisse. Hæc ille in citat. lib. & cap. num. 17. & seqq.

Assumpsit ergo Christus, dum Ecclesiam fundavit, Apostolos sibi coadjutores, atque Apostolis Episcopi succedunt: verum anne Christus, dum nobiscum degeret, visibilis quoque Ecclesiæ capitis personam non sustinuit? Id sane Marcus Antonius non negat: affirmat enim Christum *præcipuum Pastorem, Doctorem, & Episcopum, olim etiam visibilem fuisse*. Visibili ergo capite nunc Ecclesia destituta erit, semel ac præ-

ter Christum nullum aliud caput admittatur. Eadem ne Ecclesiæ forma dici potest, quæ licet visibilis eodem modo persistat, & sensibili directione semper indigeat, est tamen visibili capite destituta? Quia ergo Ecclesia a primitiva non differt, ideo visibile caput in ea admittendum est, quod Christi præcipui Pastoris, Doctoris, & Episcopi, olim etiam corporalis, vices expleat in iis omnibus, quæ ad exteriorem gubernationem spectant,

Ecclesiam autem ab Ascensione Christi in cœlum habuisse suum initium solus Marcus Antonius sibi turpiter contradicens affirmare poterat. Nam in eodem lib. 1. cap. 1. num. 16. ita habet: " Facile admittimus necessitatem ministrorum, " quibus uti voluit Christus, etiam dum ipse mortalis in sua " Ecclesia versabatur ". Quæro nunc ego, ad quid ministri necessarii esse poterant, si tunc nulla Ecclesia Evangelica erat, in qua suum ministerium exercerent? In quam rem eis Christus uti voluit, si tunc suæ Ecclesiæ nulla fundamenta adhuc posuerat? Num. 19. ita ille prosequitur: " Dicimus, " Apostolos omnes immediate a Christo assumptos esse, ut " essent operarii, & ministri ipsius viventis, adhuc & re- " gnantis, & in fundanda Ecclesia coadjutores ". Apostoli ergo assumpti fuerunt a Christo, ut circa id operarentur, quod non dabatur; (nam assumptos fuisse ad aliquid aliud præter quam ad Ecclesiæ ministerium nemo sibi unquam confinxerit) ut Christi adhuc viventis, & regnantis ministri in eo essent, quod, Christo vivente, & regnante, non existebat, & etiam ut fierent coadjutores Christi viventis, & regnantis in fundanda Ecclesia, quæ, Christo vivente, & regnante, fundata non fuit. Ecclesiæ fundamenta si ante Ascensionem Christi posita fuerint; tunc sane Christus assumere potuit Apostolos, ut essent operarii, & ministri ipsius viventis, adhuc & regnantis, & in fundanda Ecclesia coadjutores: si autem posita non erant; Christus neque etiam assumere potuit Apostolos, ut essent operarii, & ministri ipsius viventis, adhuc & regnantis, & in fundanda Ecclesia coadjutores: Marcus Antonius hoc utrumque vult; hoc est, Ecclesiam

ſiam ſuam ortum habuiſſe ab Aſcenſione Domini, ac propterea fundamenta ejus a Chriſto poſita non fuiſſe, dum hìc nobiſcum degeret; inſuper & Chriſtum, dum hìc nobiſcum degeret, aſſumpſiſſe Apoſtolos, ut eſſent operarii, & miniſtri ipſius viventis, adhuc & regnantis, & in fundanda Eccleſia coadjutores: turpi ergo eum involvi contradictione, nemo non videt.

Fruſtra vero nititur Sacrarum Scripturarum confirmare teſtimoniis, Eccleſiam poſt Chriſti Aſcenſionem in cœlum ſuum initium habuiſſe. Nam & nos damus, Chriſtum pro hæreditate, atque poſſeſſione terminos terræ fuiſſe conſequutum, poſtquam aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, ſicuti ipſe Marcus Antonius ex *Pſal.* 2. & 109., aliiſque ſimilibus Divinarum Scripturarum locis colligit: verum enim vero ex hiſce omnibus nihil aliud evincitur, quam juxta vaticinia Prophetarum Chriſtum ſua morte fuiſſe conſequutum, ut ei omne genu curvaretur; non autem antequam in cruce emitteret ſpiritum, vel glorioſus aſcenderet in cœlum, prima Eccleſiæ fundamenta ab eo poſita non fuiſſe. Ad fulgorem ergo Evangelii, non ad ipſius Eccleſiæ initium referri debent, quæ de Chriſti glorificatione undequaque diffuſa in Sacris Litteris referuntur; alioquin dici deberet, neque etiam a morte, & aſcenſione Chriſti in cœlum Eccleſiæ fundamenta poſita fuiſſe, quia non ſtatim, ſed ſucceſſu temporis, Chriſtus ubique glorioſus evaſit.

At, inquit Marcus Antonius, " Nonne paſſim dicitur „ a noſtris, Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, hoc eſt, „ poſt paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatam "? Traditum quidem ab Auguſtino habemus *Tractatu* 120. *in Joannem* n.2. ex latere Chriſti manaſſe Eccleſiæ ſacramenta, " Sine qui„ bus ad vitam, quæ vere vita eſt, non intratur "; & paulo poſt inquit: " Hic ſecundus Adam inclinato capite in „ cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de „ latere dormientis effluxit ". At vero eodem ſenſu, ex

ex Christi latere tam sacramenta, quam Ecclesiam manasse S. Augustinus affirmavit. Anne fortasse dici potest baptismi eucharistiæque sacramenta Christum post suam mortem instituisse? Quemadmodum ergo hæc duo potissimum sacramenta, quamvis antea a Christo Domino instituta, e Christi latere fluxisse dicuntur; ita etiam Ecclesia eodem modo fluxit, licet fundamenta ejus Christus jam posuisset, quia eo sanguine, & aqua, quæ ex Christi latere fluxerunt, consecrata fuit. „ Et ideo (inquit S. Thomas lect. 5. in cap. 19. *Joannis*) hæc „ duo specialiter pertinent ad duo sacramenta: aqua ad „ sacramentum baptismi, ad eucharistiam sanguis. Vel „ utrumque pertinet ad eucharistiam: quia in sacramento „ eucharistiæ miscetur aqua cum vino; quamvis aqua non „ sit de substantia sacramenti. Competit etiam hoc figuræ: „ quia sicut de latere Christi dormientis in cruce fluxit „ sanguis, & aqua, quibus consecratur Ecclesia; ita de „ latere Adæ dormientis formata est mulier, quæ ipsam „ Ecclesiam præfigurabat". Ceterum, sicuti ait S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæreses* cap. 34. num. 4., „ A Domini adventu „ Novum Testamentum ad pacem reconcilians, & vivificatrix lex in universam exivit terram".

Ad id vero, quod Marcus Antonius superaddit (1), hoc est, Christum, dum nobiscum degeret, non ædificasse, sed suam Ecclesiam se ædificaturum promisisse, non est, cur multis respondeamus. Non unico igitur momento Christus, sed successu temporis suæ Ecclesiæ ædificationem absolvit. Nam discipulos primo elegit, nonnulla deinde sacramenta instituit, multaque servanda constituit, ac demum totum ritum Christianæ religionis in cruce positus suo sanguine sancivit, atque consecravit. A mortuis autem redivivus, inter alia, quæ fecit, Apostolos remittendorum, & retinendorum criminum judices constituit, ac Petro supremam Ecclesiæ curam demandavit: reliqua per Apostolos deinde præstitit, qui nonnisi successu temporis suum ministerium impleverunt, atque gentes, & nationes omnes in ovile

(1) *Num.* 23.

ovile Christi congregarunt. Unde mirandum non est, si Christus suam Ecclesiam se ædificaturum promiserit. Deinde nonne Christus affirmavit, supra Petrum se ædificaturum suam Ecclesiam? Id vero ante suam Ascensionem præstitit, dum oves, & agnos pascendi supremam illi curam commisit.

Non sine nova contradictione illud Marcus Antonius ultimo quærit (1), " Qua in re Christus in terris degens „ fuerit in illa Ecclesia visibile caput ": non sine contradictione, inquam, & quidem manifesta, istud quærit: paulo post enim ita habet: " Ego sane in Christi visibili re„ gimine ordinario hæc tantum observo: sacramenta visi„ bilia instituere; ministros vocare, & mittere: evangeli„ zare: ministros suos errantes corripere, & increpare: le„ gem explicare, eamque a corruptelis vindicare. Alterius „ generis officia a capite Christo, ut visibilis erat, prodeun„ tia, ego certe non reperio ". Simul ergo quærit, qua in re Christus fuerit Ecclesiæ visibile caput, simulque admittit, atque ostendit in multis sane eum fuisse visibile Ecclesiæ caput. Dum vero illud alterum quærit, hoc est: „ Quænam sint officia talis capitis, pro quibus adimplen„ dis Ecclesia post discessum Christi corporalem, egeat uni„ co capite visibili "; ut multa paucis complectamur, cum S. Hieronymo lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. respondemus: " Propterea inter duodecim unus eligitur, ut, ca„ pite constituto, schismatis tollatur occasio "; & cum Optato Milevitano lib. 7. *Contra Donatistas*: " Bono unita„ tis Beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, „ solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apo„ stolis meruit, & claves regni cœlorum communicandas „ ceteris accepit ".

CA-

(1) Num. 4.

CAPUT II.

DE VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE, IPSIUS CHRISTI HABITA RATIONE.

§. I. CHriſtus tanta bonitate, atque largitate uſus eſt in homines, ut illis communicare dignatus fuerit eos titulos honoris, qui ſibi conveniunt.

Id obſervatum habemus a Sanctis Eccleſiæ Patribus. S. Baſilius (1) tom. 2. in Appendice *Homilia de Pœnitentia* num. 4.: " Nam Jeſus (inquit) dignitates ſuas largitur, " nec exhauritur: ſed quæ tribuit, retinet. Lux eſt: *Vos* " *eſtis lux mundi* (2). Sacerdos eſt: facit Sacerdotes. Ovis " eſt: *Ecce mitto vos, ſicut oves in medio luporum* (3). Pe- " tra eſt: petram facit, & ſervis dat ſua ". S. Hieronymus *Commentar. in Matthæum* lib. 3. cap. 16. explicans illa verba: *Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ita habet: " Sicut ipſe lumen Apoſtolis do- " navit, ut lumen mundi appellarentur, ceteraque ex Do- " mino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat " in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſe- " cundum metaphoram petræ recte dicitur ei: *ædificabo Ec-* " *cleſiam meam ſuper te* ". S. Cyrillus *in Iſaiam* lib. 5. to. 2. cap. 54. explicans illa verba: *Et ſemen tuum gentes poſſidebit, & civitates deſertas habitare facies*, inquit: " Sed quemad- " modum quum ipſe ſit lux vera, lucem vocavit Sanctos " Apoſtolos, & ut ipſe natura verus, & ſolus Filius, no- " bis in ipſum credentibus poteſtatem dedit Patrem vocan- " di Deum, utpote qui dignitate filii locupletamur: ſic " etiam ipſe quum ſit univerſorum præceptor, & ſortito " habeat orbem terrarum, hoc dedit ſanctis, eos coronans " gloria ſua, quia ipſius cooperarii extiterint ". Eos ergo, qui ſibi honoris tituli conveniunt, Chriſtum etiam nobis impartitum fuiſſe, dubitari non poteſt.

§. II.

(1) Juxta edit. Maurin. (2) *Joann.* cap. 1. v. 19.
(3) *Matt.* cap. 10. v. 16.

§. II. Dum Christus suam dignitatem communicat hominibus, nihil ipsi de ea deperit.

„ Verum qui apud nos divites sunt, (inquit S. Basi-
„ lius loco mox citato) quum largiuntur ea, quæ habent,
„ imminuunt. Divites enim non sumus, nam aliena pos-
„ sidemus. Ille vero sic dives est, ut quantumcumque lar-
„ gitus fuerit, tantum nihilosecius dives permanet, velut
„ fons perennis. Quantumcumque hauseris, non decrescit
„ fluentum ". Et re quidem vera qua tandem ratione Christo aliquid deperire de ea dignitate potest, quam sua summa largitate nobis communicat, si Deus est, infinitasque perfectiones infinito etiam modo habet? Fatendum igitur est, idem in Christo contingere, debita semper proportione servata, dum suam nobis dignitatem communicat, ac in nobis, quando spirituale scientiæ donum aliis impartimur. Neque enim aliquid de ea scientia, quam acquisiverimus, nobis deperit, dum alios ejusdem participes facimus, sed absque ulla jactura nostra dona extenduntur, idque in nostrum honorem cedit; ita etiam Christus, dum eorum, quibus ipse infinito modo potitur, etiam homines aliquo modo compotes reddit, & nullum inde detrimentum ipse subit, & gloria, atque bonitas illius semper magis magisque sese prodit.

§. III. Quamvis Christus alteri tribuat, ut nunc sit Ecclesiæ caput; ipse tamen neque esse definit Primum, atque Supremum ejusdem Ecclesiæ caput, neque quo modo ille est, etiam alter sit Ecclesiæ caput.

De infinitis Christi perfectionibus nihil detrahitur, dum earum etiam homines participes facit (1): aliunde vero sive majestas Divinitatis, sive gloria Christi hominis attendatur, fieri non potest, ut quispiam ei coæquetur, ejusdemque, ac ipse, dignitatis, vel potestatis evadat. Hinc S. Basilius loco supra citato inquit: " Licet enim & ipse (Petrus)
„ petra esset, non tamen petra erat, ut Christus: ut Petrus
„ petra erat. Nam Christus vere est immobilis petra: Petrus

(1) Præced. §.

„ vero propter petram" : S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* 86. num. 3. " Nam ut noveritis, (inquit) quia & fundamentum „ Christus, & primum, & maximum : fundamentum, in- „ quit Apostolus, nemo potest ponere præter id, quod posi- „ tum est, quod est Christus Jesus. Quomodo ergo funda- „ menta Prophetæ, & Apostoli, & quomodo fundamentum „ Christus, quo ulterius nihil est ? Quomodo putamus, nisi „ quemadmodum aperte dicitur Sanctus Sanctorum, sic figu- „ rate fundamentum fundamentorum ? Si ergo Sacramenta „ cogites; Christus Sanctus Sanctorum: si gregem subditum „ cogites, Christus Pastor Pastorum: si fabricam cogites; „ Christus fundamentum fundamentorum". Sicuti ergo Ecclesia, quemadmodum monet S.Thomas 3. par. qu. 8. art. 1., unum mysticum corpus esse dicitur per similitudinem ad humanum corpus, quod juxta diversitatem membrorum diversas quoque exerit actiones, uti monet Apostolus *Roman.* cap. 12. v. 4.; ita etiam Christus caput Ecclesiæ esse dicitur ad similitudinem humani capitis, in quo potissimum ordo, perfectio, & virtus considerari possunt : ordo quidem, quia caput inter cetera membra est ordine primum : perfectio, quia omnes sensus tum exteriores, tum interiores in capite vigent, in aliis autem membris solus tactus : virtus tandem, quia ceterorum membrorum motus, & gubernatio a capite est: " Hæc „ autem tria competunt Christo spiritualiter (inquit S. Tho- „ mas) Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gra- „ tia ejus altior est, & prior, etsi non tempore: quia omnes „ alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius se- „ cundum illud *Roman.* 8. 29. *Quos præscivit, hos prædestina-* „ *vit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in* „ *multis fratribus*. Secundo vero perfectionem habet quan- „ tum ad plenitudinem omnium gratiarum secundum illud „ *Joannis* 1. 14. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis* ..... „ Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra „ Ecclesiæ secundum illud *Joannis* 1. 16. *De plenitudine ejus* „ *nos omnes accepimus*". Quum ergo nemo sit, qui cum Christo quoad gratiæ perfectionem, plenitudinem, atque communica-

nicationem comparari possit, & Christus Ecclesiæ caput revera sit ob perfectionem, plenitudinem, atque communicationem gratiæ, consequens inde est, ipsum tantum semper esse supremum Ecclesiæ caput, quamvis visibile in terris caput constituerit.

§. IV. Cum ratione supremi capiti, quale est Christus, pugnat quidem, ut alterum sit in Ecclesia visibile caput quoad interiorem influxum gratiæ, non vero quoad exteriorem gubernationem, diverso tamen modo, ac sit ipse Christus.

Capitis est & interius vi motiva, atque sensitiva influere in cetera membra, & exterius ea regere, ac moderari. „ Interior autem influxus gratiæ (inquit S. Thomas 3. par. „ qu. 8. art. 6.) non est ab aliquo nisi a solo Christo, cu„ jus humanitas ex hoc, quod est Divinitati conjuncta, ha„ bet virtutem justificandi: sed influxus in membra Ecclesiæ „ quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis con„ venire: & secundum hoc aliqui alii possunt dici capita Ec„ clesiæ, secundum illud *Amos 6. 1. Optimates capita populo„ rum*, differenter tamen a Christo. Primo quidem quan„ tum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui „ ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum, & tem„ pus, & statum; alii autem homines dicuntur capita secun„ dum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Eccle„ siarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut „ Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui Pontifi„ catus; & secundum determinatum statum, prout scilicet „ sunt in statu viatoris. Alio modo quia Christus est caput „ Ecclesiæ propria virtute, & auctoritate, alii vero dicuntur „ capita, in quantum vicem gerunt Christi, secundum illud „ *II. ad Corinth. 11. 10. Nam & ego quod donavi, si quid do„ navi; propter vos in persona Christi*, & secundum illud *II. ad* „ *Corinth. 5. 20. Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo* „ *exhortante per nos*“. Influxus ergo gratiæ a Christo tantum esse potest, & hac de causa repugnat, ut hic in terris sit quoddam supremum caput, a quo gratia, atque interior influxus habeatur: ceterum si Christus instituit, ut invisibilem gra-

tiam visibilibus sacramentis reciperemus, multo potiori jure præstandum erat, ut in unam visibilem societatem congregati visibili capite regeremur. Christus ergo Dominus ascendens in altum, & captivam ducens captivitatem, ut dona hominibus data custodirentur, sui Vicarium hìc in terris reliquit, qui Divina auctoritate communitus universæ Ecclesiæ præsideret, eamque exteriori gubernatione moderaretur, atque ita, infinita qua erat sapientia præditus rectissime dispofuit, ut visibile corpus haberet quoque suum visibile caput. Quamvis ergo cum ratione supremi capitis, quale est Christus, pugnet, ut alterum sit in Ecclesia visibile caput quoad interiorem influxum gratiæ, non vero quoad exteriorem gubernationem repugnat, diverso tamen modo, ac sit ipse Christus.

§. V. Visibile caput ab Ecclesia irrito conatu inde excluditur, quia Christus sit habendus uti una persona cum Ecclesia Militante, atque Triumphante.

Marcus Antonius de Dominis *De Ecclesiastica Republica* lib. 1. cap. 1. num. 7., quia Christus sit habendus sicuti una persona cum Ecclesia tam Militante, quam Triumphante, esse visibile caput ab Ecclesia excludendum contendit. Illud autem confirmare studet ex Apostolo *Ephesior.* cap. 4. v. 15. & seq. dicente: " Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo " totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem, in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit, " in ædificationem sui in charitate ". Ex his vero colligit, omnem Ecclesiæ vegetationem a Christo, tamquam a vivo actuali capite nunc quoque proficisci. Id autem tum Chrysostomi *Homil.* 11. in *epist. ad Ephesios*, tum Augustini in *Psal.* 132. auctoritate constare contendit.

Verum illud ab eo quærimus, quo sensu affirmet, Christum cum Ecclesia Militante, & Triumphante unam personam esse, utrum in physico, an in mystico: si in hoc; ipsi consentimus: si in altero, id sentit, quo nihil absurdius esse potest. Quandoquidem physica membra suo physico capiti esse physi-

ce unita debent. In ſpirituali ergo ſenſu Apoſtolus in 4. capite epiſtolæ *ad Ephesios* loquitur, influxumque ſpiritualem Chriſti in Eccleſiam exponit. " Corpus naturale (inquit Sanctus Thomas lect. 5. in cap. 4. epiſtolæ *ad Ephesios*) tria habet, ſcilicet compactionem membrorum ad invicem, ligationem per nervos, & mutuam ſubminiſtrationem..... Spiritualiter ergo ſicut unum corpus efficitur ex multis, his tribus modis, ſcilicet per compactionem, ſeu adunationem, per ligationem, & per mutuam operationem, & ſubventionem; ita & omnia, quæ ſunt a capite corporali, ſcilicet compactio, nervorum ligatio, & ad opus motio, fluunt a capite noſtro Chriſto in corpus Eccleſiæ. Et primo compactio per fidem: unde dicit: *Ex quo*, ſcilicet Chriſto, qui eſt caput noſtrum, ut modo dictum eſt, *totum corpus compactum eſt*, id eſt, coadunatum ... Secundo fluit a Chriſto capite in corpus Eccleſiæ ſuæ myſticum connexio, & colligatio: quia oportet adunata aliquo nexu, vel vinculo necti, vel colligari: & propter hoc dicit: *Et connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis*, id eſt, per fidem, & charitatem, quæ connectunt, & conjungunt membra corporis myſtici ad mutuam ſubminiſtrationem .... Tertio a capite Chriſto in membris, ut augmententur ſpiritualiter, influitur virtus actualiter operandi: unde dicit: *ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri augmentum corporis facit*; quaſi dicat: non ſolum a capite noſtro Chriſto eſt membrorum Eccleſiæ compactio per fidem, nec ſola connexio, vel colligatio per mutuam ſubminiſtrationem charitatis; ſed certe ab ipſo eſt actualis membrorum operatio, ſive ad opus motio ſecundum menſuram, & competentiam cujuslibet membri. Unde dicit: quod *facit augmentum corporis ſecundum operationem, & menſuram cujuſcumque membri* debite menſurati: quia non ſolum per fidem corpus myſticum compaginatur, nec ſolum per charitatis ſubminiſtrationem connectentem augetur corpus, ſed per actualem compoſitionem ab unoquoque membro egredientem

ſecun-

„ secundum mensuram gratiæ sibi datæ, & actualem mo-
„ tionem ad operationem, quam Deus facit in nobis “.

De hac autem virtute superius adveniente, qua actu operamur, tum Chrysostomus, tum Augustinus loquitur in citatis locis; & Chrysostomus quidem, accepta comparatione ab illo spiritu, qui a cerebro descendens per nervos in corpus diffunditur, non tamen æqualiter in omnes partes illius, sed prout uniuscujusque membri conditio postulat; inde deducit, providentia Christi, atque ejus subministratione charismatum, unamquamque animam *juxta mensuram, & analogiam* incrementum accipere. Sanctus Augustinus autem loquitur de spiritus infusione, quæ a Christo capite descendit, atque ab Apostolis primo recepta fuit. Inepte autem Marcus Antonius cavillatur, “ Unctionem hanc (spi-
„ ritus) Augustinum intellexisse æque in omnes Apostolos
„ descendisse a capite Christo, tamquam in barbam, & non
„ prius in Petrum, quam in alios, & æque Petrum, atque
„ alios, nomine barbæ, & non capitis significatum “: nam S. Augustinus *Enarratione* in *Psal.*132. num.7. illud unguentum in Apostolos quidem primo descendisse affirmat, non vero *æque* in omnes descendisse. Quum vero in Apostolos simul congregatos hoc unguentum eodem instanti temporis descenderit, inque eos, sicut in barbam, illud descendisse, S. Augustinus tradat; non erat, cur Marcus Antonius ab eo expectaret, ut primo in Petrum, deinde in ceteros Apostolos, descendisse innueret, ac Petri distinctam mentionem faceret.

Ut ergo ad rem nostram redeamus, quod habet Apostolus cap.4. totum comparatum est ad ostendendum spiritualem illum influxum, qui a capite Christo in Ecclesiam descendit, capite, inquam mystico, non physico, quemadmodum Adversarii nostri argumentatio postularet, ut quod ipse vellet, ea inferri recte posset. Sanctus Joannes Chrysostomus, & S. Augustinus de eodem influxu loquuntur, quatenus eo fit, ut operemur: quod sane a visibili Ecclesiæ capite in nos derivari posse, nemo sibi unquam con-
finxe-

finxerit. Quapropter & nos quoque concedimus, cum ratione supremi capitis, quale est Christus, pugnare, ut alterum sit in Ecclesia visibile caput quoad interiorem influxum gratiæ, non vero quoad exteriorem gubernationem, & quidem diversa ratione, ac sit ipse Christus. Nihil itaque minus, quam Adversarius noster vellet, tum ex Apostolo, tum ex Sancto Joanne Chrysostomo, & Sancto Augustino, colligi potest.

§. VI. Cum perpetuitate sacerdotii Christi non pugnat, ut sit in Ecclesia visibile caput.

Marcus Antonius de Dominis, ut quod vult, assequatur, ad perpetuitatem Sacerdotii Christi recurrit (1): igitur constare dicit ex Apostolo *Hebræor.* cap.7. v.3., quod Christus *manet sacerdos in perpetuum*. Id confirmat ex S. Athanasio *Serm.3. cont. Arianos*, & S. Joanne Chrysostomo *Homil.* 13. in epist. *ad Hebræos*, atque nullo modo timendum superaddit (2), ne Christus in cœlis " Non possit supplere „ muneri in regenda Ecclesia terrestri: quum totum ipsius „ regimen ab eo, ut a capite, Divinis influxibus absolva„ tur ". Illud etiam urget (3), si ad ea, quæ habet S. Lucas cap.22. attendatur, a Sacerdotibus offerri sacrificium, recte dici non posse, sed esse dicendum, ab illis peragi memoriam ejus sacrificii, quod obtulit Christus, quia idem Christus adhuc vivit, & est verus, ac proprius Pontifex Ecclesiæ, & Sacerdos. Affert in hanc rem S. Joannis Chrysostomi *Homil.*17. in epist. *ad Hebræos*, S. Augustini lib. 2. *Cont. Faustum* cap.18., S. Cyrilli Hierosolymitani *Catechesi* 10. & S. Ambrosii *Ennarrat.* in *Psal.*38., auctoritates. His vero omnibus visibile caput ab Ecclesia se exulasse, sibi falso blanditur.

Sicut ergo in aliis multis, ita in hoc quoque, quod ex perpetuitate Sacerdotii Christi infert, Calvinum suum magistrum sequitur. Nam etiam Calvinus lib. 4. *Institut.* cap.18. §.1. neminem præter Christum Sacerdotem esse ex iis colligebat, quæ de perpetuitate Sacerdotii Christi cap.7. v.3.

(1) Cit. lib. & cap. num.11. (2) *Num.*12. (3) *Num.*13.

v.3. in epiſtola ad Hebræos leguntur. At vero Chriſtus non ſolum eſt Sacerdos, ſed etiam unicus magiſter noſter, ſicuti idem Chriſtus *Matt.* cap.23. v.3. de ſe affirmat. Quia tamen Chriſtus humano, atque viſibili modo nunc per ſe non docet, ſicuti hominum præſens conditio requirit; unitati, æternitatique magiſterii ejus non repugnat, ut multi ſint, qui doctores, & magiſtri dicantur, atque hac in re vices Chriſti agant. Nam Apoſtolus I. *ad Timot.* cap.2. v.7., II. ad eumdem *Timot.* cap.1. v.11. doctorem, & magiſtrum ſe vocat: I. *Corint.* cap.3. v.5. ſe Dei miniſtrum cum aliis nonnullis appellat: II. *Corint.* cap.5. v.10. " Pro Chriſto " ergo (inquit) legatione fungimur, tamquam Deo exhor- " tante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini " Deo ". Idem etiam de paſcendi, & adminiſtrandi ſacramenta muneribus dici poteſt. Eſt enim Chriſtus ſupremus paſtor omnium ovium, atque operatur in ſacramentis, quæ in ejus nomine ſacrificantur (1). Eſſe tamen in Eccleſia debere multos paſtores, atque ſacramentorum miniſtros, qui Chriſti vices quoad iſta, ſenſibili ratione agant, nemo unquam negaverit, & revera neque etiam Adverſarius noſter negat (2). Simili ergo ratione quia nunc Chriſtus per ſeipſum apud nos ſenſibile ſacrificium non offert, unitati, atque æternitati ſacerdotii ejus non repugnat, modo eſſe hìc in terris ſacerdotes, atque miniſtros, qui ejus nomine agant etiam quoad rem iſtam vices illius. In officio tamen ſacerdotis, quemadmodum monet S. Thomas 3. par. qu.22. art.5., duo ſunt conſideranda: " Primo quidem ipſa obla- " tio ſacrificii; ſecundo ipſa ſacrificii conſummatio, quæ " quidem conſiſtit in hoc, quod illi, pro quibus ſacrifi- " cium offertur, finem ſacrificii conſequuntur. Finis au- " tem ſacrificii, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona " temporalia, ſed æterna, quæ per ejus mortem adipiſci- " mur. Unde dicitur *Hebræor.*9. 12., quod *Chriſtus* eſt *aſ- " ſiſtens Pontifex futurorum bonorum*: ratione cujus Chriſti ſacer-

(1) Videatur S. Thomas 3. par. qu.64. art.3. (2) Vide loca ejus hujus lib. cap.1. §.7.

„ cerdotium dicitur æternum “. Æternitas ergo ſacerdotii Chriſti ad finem ſacrificii, qui ſane nullius virtute hominis haberi poteſt, referenda eſt, non vero ad ipſius ſacrificii oblationem illam, quæ hominum miniſterio Chriſti nomine peragitur.

Ad ea vero, quæ Adverſarius noſter ex S. Athanaſio, & S. Joanne Chryſoſtomo affert de perpetuitate ſacerdotii Chriſti, non eſt, cur reſpondeamus. Nam S. Athanaſius non dari ſucceſſorem ſacerdotii Chriſti, ibidem tradit, idemque etiam S. Joannes Chryſoſtomus affirmat, ſicuti aperte conſtat ex illorum locis, etiam prout ea ab Adverſario noſtro afferuntur. At quiſnam unquam negaverit, Chriſtum non habere ſui ſacerdotii ſucceſſorem? Miniſtros enim & vicarios ſui ſacerdotii habet Chriſtus, non ſucceſſores, quia Regi; dum adhuc vivit, nemo ſuccedit, miniſter tamen ejus, & vicarius datur. Chriſtus ergo quum nunc adhuc vivat, ſedeatque ad dexteram Patris, ſe ipſum offerens pro nobis, nemo ſucceſſor illius dici poteſt. Quemadmodum ergo Chriſtus, quatenus eſt Summus Sacerdos, ſui ſacerdotii miniſtros, & vicarios viſibiles hìc habet in terris; ita etiam quatenus eſt ſupremum Eccleſiæ caput, habet hìc in terris, qui in exteriori adminiſtratione vices illius gerit, ac propterea dicitur viſibile Eccleſiæ caput, & revera eſt.

Quoniam vero multis eſt jam oſtenſum a nobis, Eccleſiam ex ſui natura, viſibili capite indigere (1): convenientiſſimum fuiſſe, ut hac in re Chriſtus ſuæ Eccleſiæ provideret (2): aliundeque ex hoc non fieri, ut Chriſtus ſupremum Eccleſiæ caput eſſe deſinat (3); non eſt, cur nunc aliqua ad ea reponamus, quæ de Divinis influxibus Adverſarius noſter dicit.

Veram autem tum Sacerdotii, tum Sacrificii rationem in Eccleſia eſſe, hìc contra Adverſarium noſtrum demonſtrandum non aggredimur, quia hoc ad inſtitutum noſtrum modo non pertinet. Paucis ergo dicimus, in verbis Lucæ haberi

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 2. & ſeqq. (2) Cit. loco §. 6.
(3) Hujus cap. §. 4. & ſeq.

sacrificii offerendi mandatum factum Apostolis, una cum eo, quod sibi commemorandum proponerent, dum illud offerrent. Apostolus autem *I. Corinth.* cap. 12. v. 26. quid commemorandum in oblatione sacrificii Christus præceperit, his verbis explicat: " Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, " & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec " veniat ". Utrum vero in Ecclesia verum Sacerdotium, verumque Sacrificium sit, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Ambrosius ne minimum quidem, atque apparens dubitationis argumentum in iis ipsis locis præbuerunt, quæ Adversarius noster in medium protulit. S. Joannes Chrysostomus in citata Homilia a nobis *offerri Sacrificium* non semel tantum, sed iterum iterumque affirmat, simulque tradit, hujusmodi Sacrificii oblationem fieri *in recordationem mortis ejus*, hoc est Christi. S. Augustinus lib. 2. *Contra Faustum* cap. 18. docet, Christianos peracti Sacrificii memoriam celebrare *sacrosancta oblatione*, *& participatione Corporis*, *& Sanguinis Domini*. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 10. tradit, Christum sui Sacerdotii non habere successorem: quod & nos quoque cum omnibus Catholicis confitemur. Qua vero ratione Christi Sacerdotium sit æternum, ejusque Sacerdotii nullus successor, sed minister tantum habeatur, supra in hoc §. jam exposuimus. Tandem S. Ambrosius *Enarratione in Psal.* 38. Christum quidem vocat *verum*, *æternum*, *& perpetuum* Sacerdotem, ejus autem *imagines* Petrum, Paulum &c., perfectionis tamen habita ratione, non vero quasi Sacerdotibus verum Sacrificium offerre non conveniat. Nam ita paulo ante habet num. 25.: " Vidimus Principem Sa" cerdotum ad nos venientem, vidimus, & audivimus pro " nobis offerentem sanguinem suum: sequimur, ut possumus " Sacerdotes, ut offeramus pro populo Sacrificium: etsi infir" mi merito, tamen honorabiles Sacerdotio ".

§. VII. Quæ Christus in regimine suæ Ecclesiæ nunc operatur, ad interiorem influxum referri tantum debent.

Profecto si quæ Christus nunc in suæ Ecclesiæ utilitatem operatur, non solum ad interiorem, sed etiam ad exteriorem influ-

influxum referri deberent, atque sensibilem Ecclesiæ gubernationem complecterentur, non esset sane, cur visibile in Ecclesia caput poneretur. Illud vero est, quod Justinus Febronius in suo Opere *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 1. §. 8. in resp. ad 4. contendit: " Quam Redemptor noster (inquit) in terris habuit auctoritatem in Ecclesiam sponsam suam, eam & in cœlis exercere pergit, juxta id, quod ante Ascensionem dixit Apostolus: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; ita ut per operationem Spiritus Sancti etiamnum veniat a Salvatore, & capite nostro non solum *interior* gratiarum *influxus*, sed & *exterior assistentia*, vi cujus per Apostolos, Pastores, & Doctores obfirmantur fideles adversus errores, & deducuntur ad unitatem fidei: Ministri quoque munera sua fideliter exercent secundum mensuram potestatis, & portionem jurisdictionis, quæ cuique a Deo tributa est". At falsum est, quam Christus in suam Ecclesiam, dum nobiscum ageret, sensibilem potestatem habuit, etiam nunc in cœlis ea uti, multoque magis falsum est, id colligi ex illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Christus sane, dum hic in terris degeret, non solum auctor fuit cujuscumque doni spiritualis, sed etiam ipse per se suæ Ecclesiæ sensibili vocatione Apostolorum initia posuit: quæ credenda, atque servanda essent ab iis, qui in suam Ecclesiam adscriberentur, sensibili loquutione manifestavit: sermone sensibili docuit, Pharisæos errare in intellectione multorum, quæ in Veteri Lege habebantur, & contra ac ab illis tradebatur, servandum præcepit, sicuti *Matthæi* cap. 5. legitur: sensibili modo miracula patravit, Apostolis (1) " Dedit potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem": loquutione sensibili plures parabolas sæpius exposuit: sensibili demum ratione in rebus sensibilibus sacramenta instituit. Anne fortasse nunc sensibili ratione in suæ Ecclesiæ ministerium ipse per se homines vocat, aut eos ad suam Ecclesiam adducit? Quæ credi, atque servari debent contra insurgentes er-

(1) *Matt.* cap. 10. v. 1.

rores suæ Ecclesiæ sensibili modo manifestat ? suis ministris sensibili ratione potestatem confert ? ceteraque multa sensibiliter peragit, quæ nunc sedens ad dexteram Patris, in suæ Ecclesiæ; atque in se credentium utilitatem præstat ? Quisnam unquam hæc sibi confinxerit ? At Christus dixit : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* : hæc sane dixit : quomodo igitur nobiscum est, nobiscum etiam operatur : at nobiscum non est cum sensibili corpore, quomodo fuit, quando hic in terris degebat : ergo neque etiam sensibili ratione operatur : nam sensibilis operatio sine corpore fieri non potest, ut habeatur. Sed distingui debet *interior influxus gratiarum*, & *exterior assistentia*. Ita ne vero ? igitur virtus illa assistens, " Vi „ cujus per Apostolos, Pastores, & Doctores obfirmantur fideles „ adversus errores, & deducuntur ad unitatem fidei ; Ministri „ quoque munera sua fideliter exercent secundum mensuram", aliquid externum erit : in qua ergo parte corporis recipitur ? an in capite, in lingua, in corde, in pectore ? quomodo hæc externa impressio fit in aliqua sensibili parte corporis, & non videtur, neque sentitur ? Nam quod externum est, atque ab interiori influxu distinguitur, & sensibili ratione, & in sensibili subjecto peragatur oportet. Est ergo dicendum, quæ nunc dona Christus suæ Ecclesiæ confert, alia comparata esse ad interiorem nostram sanctificationem, alia vero etiam ad aliquod exterius Ecclesiæ bonum : ita etiam ad aliquod exterius Ecclesiæ bonum est institutum illud donum, " Vi cujus per Apo„ stolos, Pastores, & Doctores, obfirmantur fideles adversus „ errores, & deducuntur ad unitatem fidei ; Ministri quoque „ sua munera fideliter exercent secundum mensuram pote„ statis, & portionem jurisdictionis ". Ceterum omnia æque dona interius infunduntur, atque in quodam influxu interiori consistunt. Febronius ergo ut supremi Ecclesiæ capitis auctoritatem deprimeret, Christum ea ratione in utilitatem suæ Ecclesiæ nunc operantem facit, qua nullo modo operatur, omnemque propterea necessitatem admittendi in Ecclesia visibile caput e medio tollere voluisse, non immerito quispiam collegerit. Nam " Si quam Redemptor noster in terris ha„ buit

„ buit auctoritatem in Ecclesiam sponsam suam, eam & in
„ cœlis exercere pergit " ; sicut dum in terris Christus degeret, nullum aliud præter ipsum in Ecclesia visibile caput esse debuit, est inde sane consequens, ut etiam nunc esse non debeat.

CAPUT III.

DE VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE, HABITA RATIONE DIVINARUM SCRIPTURARUM.

§. I. Multa sunt loca Divinarum Scripturarum, quibus visibile nunc esse in Ecclesia caput ostenditur.

Christum ergo dum hìc in terris nobiscum ageret, officium Supremi Pastoris etiam quoad exteriorem Ecclesiæ gubernationem exercuisse, negari a nemine potest: æque etiam certum est, eumdem redivivum a mortuis, antequam in cœlum ascenderet, gubernandam Ecclesiam Petro, uti supremo capiti, commisisse, atque ita quidem commisisse, ut & super eum tota Ecclesia ædificanda singulari ratione foret, sicuti *Matthæi* cap. 36. v. 18. & seqq. legimus, & Petrus totam fidem illius regeret, atque tum omnes agnos, tum omnes oves pasceret, quemadmodum a Sancto Luca cap. 22. v. 32., & S. Joanne cap. 21. v. 15. & seqq. traditum accepimus. Hæc autem si satis non sunt, ut dici possit, Sanctum Petrum sui Vicarium a Christo relictum fuisse, & totius Ecclesiæ visibile caput constitutum, non video sane quid ab homine prædito ratione exigi amplius possit. Verum ista, qua ratione ad plenam convictionem possemus urgere, nunc omittimus: est enim pluribus id infra agendum a nobis, quando de Petri supra universam Ecclesiam Primatu differemus; nunc ex aliis locis Divinarum Scripturarum visibile caput in sua Ecclesia Christum reliquisse ostendamus.

„ Alias oves habeo, (inquiebat Christus *Joannis* cap. 10.
„ v. 16.) quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me
„ adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile,
„ & unus pastor ". Sicuti vero communis expositio Sanctorum

rum Patrum habet, hisce verbis Christus futurum esse significavit, ut etiam Gentiles fidem Christianam amplecterentur, atque tum ex iis, tum ex Hebræis unum ovile fieret, hoc est una Ecclesia coalesceret, cui unus quoque pastor hic in terris præsideret. " Gentes significans (ait S. Augustinus *Enarrat.* „ *in Psal.* 78. num. 3.) quas erat adducturus, non quidem „ per suam præsentiam corporalem, ut illud verum sit: non „ sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel: sed „ tamen per Evangelium suum, quod erant disseminaturi „ speciosi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bo„ na ". Quemadmodum ergo Christus suam vocem gentes audituras prædixit, quamvis non ipse per se, sed ministerio Apostolorum Christianam fidem easdem docuerit; ita quoque dum futurum prænunciavit, ut fieret unum ovile, & unus pastor; sicuti de ovili hic in terris tum ex Hebræis, tum ex Gentilibus congregato loquebatur, simili modo ad visibilem pastorem hic in terris degentem respexit. Pastor enim conditioni ovilis proportionatus sit oportet. Unde licet Christus interius gentium corda moveret, ut Christianam fidem amplecterentur, tamen ad id etiam sensibili ministerio Apostolorum usus fuit; ita etiam quamvis nunc in cœlis sedens ad dexteram Patris sit supremum totius Ecclesiæ caput, aliud tamen hic in terris visibile posuit, ut grex visibilis visibili etiam pastore regeretur.

Deinde nos omnes esse unum corpus in Christo Apostolus *Roman.* cap. 12. v. 5. tradit. Id vero dum tradit, quemadmodum animadvertit S. Thomas lect. 2. in cap. 12. Epistolæ *ad Romanos*, rationem habet ejus similitudinis, quæ inter mysticum, & naturale corpus intercedit. Est ergo Ecclesia mysticum quidem Christi corpus, quod tamen cum corpore naturali similitudinem habet: in sua autem similitudine cum corpore naturali quam maxime, immo omnino deficeret, si illud haberet suum caput, hæc vero, quatenus in se est visibilis, suum visibile caput non haberet. *Ephesiorum* cap. 4. v. 16. idem Apostolus ita omnes adhortatur: „ Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, „ ex

„ ex quo totum corpus compactum, & connexum per „ omnem juncturam subministrationis secundum operatio- „ nem in mensuram, uniuscujusque membri augmentum „ corporis facti in ædificationem sui in charitate". Profecto vel sumus mutilum Christi corpus, vel completum, atque perfectum: aut sumus cum suo capite corpus, aut sine capite: esse non possumus mutilum corpus, vel corpus sine capite; alioquin Christus diceretur caput mutili corporis, aut caput inanis trunci, non vero corporis, quia corpus sine capite truncus quidam est: si autem sumus corpus perfectum, & non mutilum; oportet, ut capite destituti non simus, eo, inquam, capite, quale nunc Ecclesia, uti visibilis, atque militans requirit. Hinc vero est, ut ab Apostolo sæpe fiat Ecclesiæ cum domo comparatio (1). Sicut enim domus, quantumvis ejus œconomiæ termini late pateant, unum patremfamilias oportet, ut habeat, qui ipsam regat, atque moderetur, licet a Deo tantum sibi omne bonum expectare possit; ita Ecclesia supremum aliquem rectorem, & caput, necesse est, ut hic in terris habeat, a quo in sua militia regatur, quamvis ejus supremum invisibile caput, a quo tantum omnia spiritualia dona in eam proficiscuntur, sit Christus Jesus.

§. II. Solum Christum Ecclesiæ præesse, ac propterea visibile caput in ea admitti non debere, in Sacris Litteris nullo modo traditum habemus.

Marcus Antonius de Dominis in memorato lib. & cap. num. 1. & seqq. totus in eo est, ut visibile ab Ecclesia caput excludendum esse, ex Sacris Litteris ostendat. Primo itaque solum Christum Ecclesiæ præesse, colligit ex illis verbis *Matt.* cap. 28. v. 20. " Ecce ego vobiscum sum omnibus „ diebus usque ad consummationem seculi ". Rem eamdem ex his aliis confirmat, quæ habet Apostolus *Roman.* cap. 12. v. 5. " Multi unum corpus sumus in Christo, sin- „ guli autem alter alterius membra "; atque contendit, nullum aliud præter Christum Ecclesiæ caput admissum ab Apo-

(1) 1. *Ad Timot.* cap. 5. 11. ad eumdem cap. 2.

Apoſtolo fuiſſe, quia idem Apoſtolus inter membra Chriſti Petrum, ſe ipſum, & ceteros Apoſtolos connumerat, de ſingulis, quod alterius membra eſſent, dicit, ut ſignificet, æque convenire omnibus ſibi invicem membra eſſe, nemini autem caput ceterorum.

Hæc duo nunc expendamus. Triplex ergo munus, quemadmodum *Matt.* cap.28. legitur, Chriſtus ſuis Apoſtolis commiſerat, hoc eſt docendi, quæ fidei ſunt, baptizandi, & informandi in chriſtianis moribus: ne ergo Apoſtoli dubitarent, utrum his muneribus recte defungi poſſent, ſe ſemper futurum cum eis, Chriſtus promiſit, hoc eſt, id gratiæ, auxilii, atque fortitudinis a ſe eſſe recepturos, quo omnia peragerent, ſicuti eorum officii ratio poſtulabat. Ex hoc autem conſequi quod Adverſarius noſter vellet, in mentem ſolum ejus venire potuit. Quid? Anne ſpiritualis influxus Chriſti in ſuam Eccleſiam inde negatur, quia in ea caput viſibile ponitur? aut quia Chriſtus ſpiritualiter in Eccleſiam ſuam interius influit, eſſe non poteſt, ut in eadem Eccleſia ſit, qui ſenſibili ratione exterius influat (1)? Suæ ergo Eccleſiæ Chriſtum ſemper proſpicere, illi auxilio eſſe, hoc unicum eſt, quod evincunt ea verba; " Ecce ego " vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummatio" nem ſeculi "; non vero neminem alium præter Chriſtum nunc Eccleſiæ præſidere.

Comparatione autem ducta a phyſico corpore, in quo ſunt multa membra, quæ unam eamdemque actionem non habent, etiam in corpore myſtico, quod eſt Eccleſia, differentes eſſe donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, Apoſtolus *Roman.* cap.12. probat. Singulos autem alterius membra eſſe inde colligit, quia ſicut in corpore phyſico membra ſe mutuo indigent: non poteſt enim caput dicere pedibus; non eſtis mihi neceſſarii (2); ita in myſtico ſinguli ſunt alterius membra ob gratiæ diverſas donationes, quibus unus alteri prodeſſe poteſt. At vero etiam in membris, quæ hujuſmodi corpus conſtituunt, nonne illud quoque

(1) Hujus lib. cap.2. §.3. & 4. (2) 1. *Corint.* cap.12. v.21.

quę recenſet Apoſtolus, cui datum eſt, ut aliis præſit? „ Habentes autem (inquit) donationes ſecundum gratiam, „ quæ data eſt nobis, differentes, ſive prophetiam ſecun„ dum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſi„ ve qui docet, in doctrina, qui exhortatur in exhortan„ do, qui tribuit, in ſimplicitate, qui *præeſt* in ſollicitu„ dine“. Membra ergo Chriſti ſunt Petrus, ceteri Apoſtoli, atque omnes Fideles, quia ad unum myſticum corpus pertinent, cujus caput eſt Chriſtus. Hæc tamen membra non omnia ſunt ejuſdem conditionis, ſed quemadmodum in phyſico corpore contingit, ut inter alia membra ſit caput, quod præeſt omnibus membris; ita etiam in myſtico habent ſane membra diverſas donationes ſecundum gratiam, atque inter diverſas donationes ea quoque recenſeri debet, qua uni datum eſt, ut ceteris præſit. Omnia ergo Eccleſiæ membra ſibi invicem membra ſunt, quatenus ſibi mutuo ſecundum diverſas donationes gratiarum prodeſſe poſſunt, non vero quatenus una eademque eorum ratio ſit, atque aliquod unum non habeatur, quod præſit ceteris, illorumque ſit caput.

§. III. Falſum eſt, nobis traditum eſſe in Sacris Litteris, totum Eccleſiæ regimen ſpirituali modo perfici.

Chriſtum poſt ſuam mortem a Deo Patre accepiſſe regimen ſupra univerſam Eccleſiam, conſtare dicit Marcus Antonius de Dominis (1) ex Apoſtolo *Ephеſior.* cap. 1. v. 19. & ſeqq., atque hoc regimen Chriſtum per ſe exercere colligit ex illis Apoſtoli verbis *ad Coloſſenſ.* cap. 1. v. 18. “: Et „ ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, pri„ mogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe prima„ tum tenens“. Eſſe autem hoc regimen totum ſpirituale, nec egere corporali præſentia, Apoſtolus, inquit ille, ſtatim ſubinde his verbis declarat: “ Quia in ipſo compla„ cuit omnem plenitudinem habitare, & per eum recon„ ciliare omnia in ipſum pacificans, per ſanguinem crucis „ ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt“. Idem vero,

(1) Loco cit. num. 3.

vero, pergit ipse, confirmat Apostolus 1. *Corint.* cap. 12. ỳ.4. & seq., in quibus unum eumdemque spiritum esse tradit, quamvis dentur divisiones gratiarum. Quibus positis, ita in sua argumentatione prosequitur (1): " Ecce regimen „ actuale Christi e cœlis per suum Spiritum, quo Ecclesiam „ in terris moderatur suorum opera ministrorum. Unde & „ subdit Paulus (2): *Sicut enim corpus unum est, & membra* „ *habet multa, omnia autem membra corporis quum sint mul-* „ *ta, unum tamen corpus sunt; ita & Christus* ". Illud autem ex his animadvertere prosequitur, Christum aliquid unum esse cum tota Ecclesia, ex Apostolo colligi, ita ut Christus, & Ecclesia unicum integrum corpus conflatum ex membris, atque capite constituant, & ministri sint quidem membra, ejus tamen corporis, cujus caput est Christus, qui membris quidem utitur, non tamen altero capite. Unde ita concludit: quando Apostolus 1. *Corint.* cap. 12. dicit non posse caput dicere pedibus: non estis mihi necessarii, eum loqui de capite *materialiter*, prout caput est una pars materialis corporis, non vero *formaliter*, quatenus regit omnia membra corporis. " Caput igitur, (inquit) quod indi- „ get pedibus, est membrum, non formaliter caput. Ca- „ put enim, formaliter ut caput, nihil opis accipit a pe- „ dibus, seu a quocumque membro; sed omnia membra „ ipsum regit, fovet, & adjuvat suo spirituum animalium „ influxu. Et tunc caput potest dicere pedibus: vos mihi „ non estis necessarii ". Post nonnulla vero alia in hæc verba prorumpit: " Valeant ergo illi, qui ex hoc Pauli loco „ colligunt, in Ecclesia debere dari caput visibile, sed for- „ maliter sumptum, hoc est regens, & influens præter Chri- „ stum: quum Christus possit optime dicere pedibus: mihi „ non estis necessarii: unde colligunt, caput hoc loco non „ posse significare Christum. Ego vero dixi: caput hoc lo- „ co significare membrum, quale est quisque in Ecclesia, „ quicumque ille sit, etiam Apostolus, non caput formali- „ ter ". Urget tandem illud Pauli ex eodem capite epistolæ

(1) Cit. loco num.4. (2) 1. *Corint.* cap.12. v.12.

stolæ 1. *ad Corint.* v.18. " Nunc autem posuit Deus mem„ bra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit " ; atque nomine membrorum etiam Apostolos, nemine excepto, a Paulo indicatos contendit.

Ad hæc omnia, quam paucioribus fieri poterit, nunc respondebimus. Est ergo Christus caput corporis Ecclesiæ, atque in omnibus principatum tenet, quia uti idem Apostolus statim superaddit: " In ipso complacuit omnem ple„ nitudinem Divinitatis inhabitare, & per eum reconcilia„ re omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, „ sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt ". Sicuti enim animadvertit S. Thomas lect.5. in cap.1. epist. *ad Colossenses*, „ Caput respectu aliorum membrorum habet tria privile„ gia: Primo quidem distinguitur ab aliis ordine dignita„ tis, quia est principium, & præsidens: secundo in ple„ tudine sensuum, qui sunt omnes in capite: tertio in „ quodam influxu sensus, & motus ad membra. Et ideo „ primo ostendit, quomodo Christus est caput ratione di„ gnitatis: secundo ratione plenitudinis gratiarum, ibi: „ *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*: item „ tertio ratione influentiæ, ibi: *Et per eum reconciliare* „ *omnia* ". Ecclesiæ ergo regimen per se Christus exercet, quatenus ratione dignitatis, plenitudinis gratiarum, & influentiæ est caput illius: neque est alius hic in terris, qui aut dignitate, aut plenitudine gratiæ cum Christo comparari, aut interius, sicuti Christus facit, in nos influere possit. Cum hac tamen ratione regiminis non pugnat, alterum esse in Ecclesia visibile caput, quod exteriori gubernationi hic inter homines potestate suprema præsit; immo non solum non pugnat, sed etiam visibilis Ecclesiæ conditio, atque ipsorum hominum in unum per sensibilia signa coadunatio necessario requirit (1), nihilque de suprema Christi auctoritate detrahitur (2).

At Ecclesiæ regimen totum spirituale est, neque præ-

(1) Hujus lib. cap.1. §.1. & seqq. (2) Ejusdem lib. cap. 2. §. 3. & seqq.

sentia corporali eget. Unde tandem Adversarius noster hoc didicit? Quia, inquit, per sanguinem crucis ejus pacificata sunt omnia, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, sicut Apostolus tradidit. Ita ne vero? " Inter Deum enim & hominem, (inquit S. Thomas citata lectione 5.) causa „ discordiæ fuit peccatum; inter Judæos, & Gentiles lex. „ Christus per crucem destruxit peccatum, & implevit le- „ gem; & ita removit causam discordiæ. *Hebræor.* 12. 22. „ *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Hieru-* „ *salem cœlestem*. Et sic reconciliati sumus, & ita pacificata „ sunt, *sive quæ in cœlis*, ut Angeli, & Deus, *sive quæ in* „ *terris*, scilicet Judæi, & Gentiles. Ideo Christo nato, di- „ citur *Lucæ* 11. 14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax* „ *hominibus bonæ voluntatis*. Item in resurrectione dixit: *Pax* „ *vobis*, uti habetur *Joannis* 20. 19. *Ephesiorum* 11. 14.: *Qui* „ *fecit utraque unum* ". Non ergo eo sensu, quo ad arbitrium Adversarius noster sibi confingit, tam quæ in cœlis, quam quæ in terris sunt, Christus suo sanguine pacificavit; quasi Ecclesiæ regimen spirituale tantum esse debeat, atque a solo Christo peragi possit. Ad pacem enim, quam Christus tam in cœlis, quam in terris, conciliavit, respexit Apostolus, dum affirmavit, pacificata fuisse omnia per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

Quæ vero Apostolus I.*Corinth.* cap.12. habet, sunt omnia comparata ad demonstrandum, a Deo proficisci omnia dona, quamvis aliis detur sermo sapientiæ, aliis sermo scientiæ, aliis fides, aliis gratia sanitatum &c. quia (1) " Divisiones „ gratiarum sunt, idem autem spiritus: & divisiones mini- „ strationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones ope- „ rationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in „ omnibus ". Physicum corpus unum esse, licet in eo sint plura membra, quæ eumdem actum non habent, deinde Apostolus animadvertit, ex quo colligit etiam Christum esse unum, quamvis multa,& diversa membra habeat, hoc est omnes Fideles juxta illud *Roman.* cap. 12. v. 5. " Multi unum corpus sumus „ in

(1) Cit. cap. v.4. & seqq.

„ in Christo ". In his omnibus, uti nemo non videt, nulla fit mentio regiminis, atque gubernationis; & tamen Adversarius noster non solum pro suo arbitrio ad regimen, & gubernationem ea trahit, sed etiam in iisdem depictum supponit regimen illud, quod contra auctoritatem Divinarum Scripturarum sibi finxit.

Christum autem simul cum tota Ecclesia aliquid unum esse, ei damus: nam, uti ex Apostolo modo observavimus: „ Multi unum corpus sumus in Christo";& *Ephesior.* c.1.v.22. dicitur: " Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est „ corpus ejus". Ministri ergo, & ceteri Fideles, sunt membra ejus corporis, cujus caput est Christus: & hoc quoque damus. Christus enim esse non posset caput Ecclesiæ, & Ecclesia corpus ejus, si qui ad Ecclesiam pertinent, non essent membra ejus. Christus ergo suis membris utitur, non tamen altero capite: distinguo: non utitur altero capite, quod ipsius Christi habita ratione, sit caput, concedo; habita ratione ceterorum membrorum, nego. Aliud est ergo, omnes Fideles esse membra Christi, & Christum caput omnium hujusmodi membrorum, aliud vero inter hæc membra unum aliquod esse, quod præsit ceteris, sitque eorum omnium caput. Fieri potest, immo revera fit, ut si Christi supremi capitis ratio habeatur, omnes Fideles in censum membrorum veniant, alioquin Christus dici non posset supremum caput: attamen esse quoque potest, & revera est, ut, ipsorum membrorum habita ratione, unum supra cetera præcellat, eaque regat, atque moderetur. Hoc vero est, quod etiam Apostolus tradit: sicuti enim supra innuimus, *Roman.* cap. 12. postquam affirmavit, nos esse unum corpus in Christo, illud quoque superaddidit, nobis datas fuisse secundum gratiam diversas donationes, atque in eas illam quoque donationem recensuit, qua aliquibus datum fuit, ut *præessent* ceteris, hoc est aliis membris, licet qui præessent æque, ac alii, unum in Christo corpus constituerent. Hoc etiam confirmat in isto 12. cap. epistolæ 1. *ad Corinthios*, ad quod Adversarius noster appellat. Nam & in uno spi-

ritu

ritu omnes nos in unum corpus fuisse baptizatos, & esse corpus Christi, Apostolus quidem tradit; verum nonne membrorum corporis diversa munera esse simul affirmat, quia „ Si totum corpus oculus : ubi auditus ? Si totum audi- „ tus : ubi odoratus “ ? Quapropter si comparationis, quam instituit, ratio habeatur, quemadmodum membrorum physici corporis diversa munia sunt, quamvis ejusdem corporis æque membra sint; ita etiam membrorum corporis Christi diversa munia ad invicem esse debent, licet omnia membri rationem respectu Christi in se habeant. Inter hæc autem diversa munera, ipsius Ecclesiæ conditio exigit (1), ut illud sit, in quo regimen supra cetera resideat.

Apostolus ergo vel loquatur de capite *materialiter* accepto, vel de capite accepto *formaliter*, semper habetur, quod volumus, quia capitis tam *materialiter*, quam *formaliter* accepti diversa munera sunt, ac ceterorum membrorum. Caput autem *formaliter*, ut caput est, nihil opis accipere ab aliis membris, quisnam unquam Adversario nostro concesserit? Anne caput, quatenus etiam alia membra regit, ipsorum opera non utitur? anne caput ex quinque sensibus corporis, qui profecto in diversis membris paraguntur, regulam dirigendi cetera membra non sumit? Nonne ex eo quod alia membra male sese habeant, ipsum quoque caput in suo regimine torpescit, ac languet? Verum ad rem nostram ista non pertinent: ea indicasse sufficiat, ut omnibus perspectum sit, quænam ob errorem lumini etiam evidentissimo rationis tenebræ offundantur.

Illud tamen hic omittere non possumus, ab Adversario nostro alios reprehensos in eo fuisse, in quo de suo errore convinci debebat. Nam Turrecrematæ lib. 2. *De Ecclesia* cap. 23. ad 4. cum S. Thoma distinguenti duplicem influxum gubernationis, unum internum, externum alterum, & hunc quidem ei similem, quo caput sensibus [illegible] exter-

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 1. & seqq.

externis dirigit in homine actus exteriores, illud opponit, visum, auditum, & ceteros sensus, qui suam in capite originem habent, dici non posse caput: hic sane non advertit, Turrecramatam cum S. Thoma 3. par. qu. 8. art. 6. non dixisse sensibus dirigi homines in actibus exterioribus, sed quod a capite " Secundum visum, & alios sensus, qui " in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus " actibus ". Quapropter sensus rationem capitis neque habent, neque habere possunt, quia ipsi non dirigunt exteriores actus, sed caput ministerio eorum in hujusmodi directione utitur. Quo sane constat, caput etiam *formaliter* acceptum, hoc est, quatenus exteriores actus dirigit, uti sensibus, quorum operationes in diversis partibus corporis peraguntur, ac propterea falsum esse, " Nihil opis accipere " a pedibus, seu a quocumque membro ".

Tandem quum satis jam explicatum sit a nobis, qua ratione omnes Fideles, nemine excepto, sint Ecclesiæ membra, quatenus Ecclesia est mysticum corpus Christi, & quomodo hæc membra, si ad invicem comparentur, non sint omnia unius ejusdemque conditionis, sed inter ea habeatur aliquod, quod præsit ceteris, sitque illorum caput; non est, cur nunc aliud ad id superaddamus, quod falsa interpretatione Adversarius noster ex illis Apostoli verbis *I. Corinth.* cap. 12. v. 18. " Nunc autem posuit Deus " membra, unumquodque eorum in corpore, sicut vo- " luit ", falsa inquam, interpretatione colligit. Mystici enim corporis etiam Apostoli membra fuerunt, verum enim vero ceteris membris ipsi quoque præfuerunt, ac eorum quodammodo capita sub uno eorumdem primo capite extitere.

CA-

CAPUT IV.

DE VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE EX SANCTIS PATRIBUS.

§. I. EST unanimis consensio Patrum, Christum hic in terris visibile caput reliquisse, qui suæ Ecclesiæ præsideret.

A Patribus non solum generatim illud traditum habemus, in Ecclesia esse visibile caput, sed etiam a Christo singulariter Petrum visibile ejusdem caput fuisse constitutum. Hoc, aliquorum tantum Sanctorum Patrum locis in medium adductis, nunc haud longiori sermone ostendemus, quia de hoc doctrinæ capite, hoc est, de Primatu S. Petri multis inferius agere constituimus, atque ostendere, de eo omnino esse perspectum non minus ex Divino verbo scripto, quam tradito. A Græcis ergo Patribus exordiamur, deinde ad Latinos veniemus. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 14. num. 23. inquit: " Testatur & Petrus (resurrectionem Christi) qui prius quidem negaverat, tertium " vero confessus est postea, & spirituales oves pascere jussus ". S. Joannes Chrysostomus *Homilia* in Apostolicum dictum: *Hoc autem scitote &c.* num. 4. ait: " Petrus itaque " chori illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput " illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ec" clesiæ, ardens Christi amator ". S. Epiphanius *Hæresi* 59. num. 7. " Qui quidem (Petrus) solidæ petræ instar nobis " extitit, cui velut fundamentum Domini fides innititur: " supra quem Ecclesia modis omnibus extructa est ". Optatus Milevitanus lib. 2. *Contra Parmenianum* " Videndum est, " qui, & ubi prior cathedra sederit: si ignoras; disce: si " nosti; erubesce. Ignorantia tibi adscribi non potest. " Restat ergo, ut noveris. Scientem errare, peccatum est: " nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci ". S. Hilarius *De Trinitate* lib. 6. num. 37. loquens de Petri fide, qua confessus fuit, Christum esse Dei Filium, ait: " Hæc " fides Ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmæ " adver-

„ adversus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides regni cœ-
„ lestis habet claves. Hæc fides, quæ in terris solverit, aut
„ ligaverit, & ligata in cœlis sunt, & soluta". S. Augustinus, ut alios nunc omittam in *Psal.* 108. num. 1. " Quædam
„ dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere vi-
„ deantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi
„ quum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in fi-
„ gura gestasse personam propter Primatum, quem in Di-
„ scipulis habuit, sicuti est: *Tibi dabo claves regni cœlorum*,
„ & si qua hujusmodi". *Tractatu* 124. *in Joann.* num. 5.
„ Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui principa-
„ tum gerebat figurata generalitate personam. Quod enim
„ ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratiâ
„ unus Christianus, abundantiori gratia unus idemque pri-
„ mus Apostolus". Hæc omnia haud sane quidem multa, quæ tamen ostendunt, Patres tum Græcos, tùm Latinos, nobis tradidisse, Petrum a Christo Domino Primatum in Ecclesia super omnes accepisse, neminem dubitare sinunt, insimul eosdem Patres propugnasse, haberi in Ecclesia visibile caput. Nam Sanctus Petrus fuit profecto visibile caput, visibilisque capitis personam gerunt, qui Petri locum tenent.

§. II. Præter omnem rationem sibi quispiam confinxerit, S. Augustinum putasse, in Ecclesia visibile caput admitti non debere.

Hujus sententiæ Augustinum fuisse, Adversarius noster tuetur, pluraque Augustini loca, ut id evincat, in medium adducit; in uno tamen præcipue, quod refert ex lib. *De Unitate Ecclesiæ* cap. 2. & 4., suæ desperatæ causæ præsidium ponit (1). Ut autem nos ab eo exscribendo, quoniam longius est, abstineamus; sciendum est, S. Augustinum in eo contendere, Ecclesiam esse Christi corpus, & Christum Ecclesiæ caput. Ex hoc autem Adversarius noster infert, nullum aliud Ecclesiæ caput præter Christum admissum ab Augustino fuisse, atque hac ratione, sicuti sen-

(1) Cit. lib. & cap. num. 5.

sensum Divinarum Scripturarum, quemadmodum jam vidimus, ita etiam S. Augustini pervertit. Ulterius illud quoque animadvertit (1), S. Augustinum tradidisse *Tractatu* 108. *in Joannem* Christum esse simul caput, & corpus.

Verum enim vero qua ratione intelligendus sit S. Augustinus, dum Ecclesiam esse Christi corpus, & Christum Ecclesiæ caput, affirmat, est perspicuum ex iis, quæ supra disputavimus (2). Quapropter non est, cur nunc explicemus, quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, & omnes Fideles membra ejus, quamvis inter Fideles sit hic in terris, qui omnibus suprema auctoritate, atque potestate præsit. Eo vel maxime, quia S.Augustinus, sicut in §. superiori observavimus, hanc præfecturam Petro datam a Christo fuisse docuit. Unum ergo tantum hic superest ut moneamus, hoc est, S.Augustinum, dum ageret contra Donatistas, æquissima judicii ratione ductum, illud eis sæpe objecisse, Christum non minus supremum esse Ecclesiæ caput, quam unicum, si de spiritualibus charismatibus, quæ in nos profluunt, ratio habeatur. Eo enim usque insaniæ Donatistæ devenerant, ut nomen *Mediatoris*, quod soli Christo proprie convenit, etiam Episcopo tribuerent. Unde ita contra eos S. Augustinus *Cont. Epist. Parmeniani* lib.2. n.15. „ Si vero ita diceret: (Joannes Apostolus in 1. epist. cap.2. „ v.1.) Hæc scripsi vobis, ut non peccetis: & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego „ exoro pro peccatis vestris: (Sicut Parmenianus quodam „ loco mediatorem posuit Episcopum inter populum, & „ Deum) Quis eum ferret bonorum, atque fidelium Christianorum? quis sicut Apostolum Christi, & non sicut „ Antichristum intueretur? ... Homines enim omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo „ autem nullus interpellet, ipse pro omnibus, hic unus „ verusque mediator est ". Membra ergo Ecclesiæ fuisse tum Petrum, tum ceteros Apostolos, & Christum supremum, & unicum Ecclesiæ caput, S. Augustinus contra Donatistas, ut hunc illorum errorem refutaret, recte contendit.

(1) Cit. loco num.9. (2) Cap. præced. §.2. & seq.

dit. Nemo enim est, qui sanctitatem, quam habet, a Christo acceptam referre non debeat, solusque Christus unus est, a quo tamquam capite, & unico auctore omnia spiritualia bona in Ecclesiam proficiscuntur.

Tractatu 108. *in Joannem* num. 5. S. Augustinus id contendit, Christum causam fuisse sanctificationis Apostolorum, atque ceterorum omnium, indeque *Joannis* cap. 17. v. 19. dixisse: *Et pro eis sanctifico me ipsum*: quia, inquit S. Augustinus, " Per hoc quod mediator Dei, & hominum Christus „ Jesus factus est caput Ecclesiæ, illi membra sunt ejus... „ Propter sua vero membra, *Et pro eis*, inquit, *ego*, id „ est, quod prosit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego, si„ cut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis: *Et* „ *ego sanctifico me ipsum*, hoc est, ipsos in me, tamquam „ me ipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt „ ego ". Non ergo affirmat S. Augustinus, Christum tum caput, tum corpus Ecclesiæ esse, sed ab ipso omnes sanctificari, atque in omnibus Christum sanctificare se ipsum, quia ipse est in omnibus, & omnes in ipso sunt. Si autem sanctificationis ratio habeatur, est sane Christus non solum supremum, sed etiam unicum Ecclesiæ caput (1).

Quoniam vero sunt ejusdem generis, ac superiora, cetera omnia, quæ ex S. Augustino, ejusque etiam apocryphis operibus, Adversarius noster pro se in medium adducit; non est, cur ad eorum explicationem nunc alia superaddamus.

§. III. S. Gregorium Magnum putasse, visibile caput in Ecclesia admitti non debere, ex scriptis ejus ostendi non potest; immo contrarium ostenditur.

Auctoritate S. Gregorii Magni non secus, ac S. Augustini, Adversarius noster abutitur. Affert ergo pro se duo loca ejus: unum desumptum ex *Explanatione* 5. *Psalmi Pœnitentialis* num. 1., alterum ex lib. 4. epist. 38. Christum esse Ecclesiæ caput, atque ab eo omnia charismata proficisci; in priori contendit Sanctus Pontifex: in altero autem, pro-

(1) Vide §. 4. cap. 2. hujus lib.

ut ab Adversario nostro refertur, tradit idem Pontifex, fieri *dilacerationem* Dominici corporis, si membra ejus alteri, quam ipsi Christo, subjiciantur. Ex his vero S. Gregorium pro sua sententia stare, Adversarius noster colligit.

Semper tamen pro suo more agit. Nam S. Gregorius in citato loco ita habet: " Christus itaque cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo regnat in cœlis, una persona est. Et sicut est una anima, quæ diversa corporis membra vivificat; ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vegetat, & illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu Sancto conceptus est; sic Sancta Ecclesia, quæ corpus ejus est, eodem Spiritu Sancto repletur, ut vivat: ejus virtute firmatur, ut in unius fidei, & charitatis compage subsistat ". Quinam vero sunt, qui in unius fidei, & charitatis compage non subsistunt? An fortasse, qui Jesum Christum quidem spiritualis in Ecclesiam influxus supremum, & unicum caput, atque largitorem, hic autem in terris supremum visibile caput, ipsius Christi Vicarium, habita ratione exterioris gubernationis, agnoscunt? " De hoc spiritu (prosequitur Sanctus Gregorius) non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus: non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret ". Quanam vero ratione schismaticus de eo spiritu non vivit, de quo S. Gregorius loquitur? Non alia profecto, nisi quia unum primum supremum hic in terris Ecclesiæ caput non agnoscit, atque reveretur. Dum ergo S. Gregorius affirmat, Jesum Christum esse caput, & Ecclesiam corpus illius, simul tradit eos in unius fidei & charitatis compage non subsistere, qui hic in terris unum supremum, & visibile Ecclesiæ caput non agnoscunt. Hoc autem si contra Adversarium nostrum non faciat, non video sane, quid facere possit.

Lib. 4. epistola 38. secundum veterem editionem S. Gregorius nihil eorum habet, quæ ex ipso Adversarius noster refert. Lib. 4. Indict. 12. epist. 38. secundum Maurinorum edi-

editionem hæc habentur, quibus ſemper magis magiſque Adverſarii noſtri error convellitur: " Quum itaque integri-
„ tatem noſtram ex aperta mea traditione, ſeu profeſſione
„ cognoſcitis, dignum eſt, ut de Eccleſia B. Petri Apoſto-
„ lorum Principis nullum ulterius ſcrupulum dubietatis
„ habeatis: ſed in vera fide perſiſtite, vitam veſtram in
„ petra Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione B. Petri Apoſto-
„ lorum Principis ſolidate. Ne tot veſtræ lacrymæ, tan-
„ taque opera bona pereant, ſi a fide vera inveniantur
„ aliena ". Hæc autem viſibile eſſe in Eccleſia caput, atque Petro datum fuiſſe, ut eſſet viſibile iſtud Eccleſiæ caput, neminem dubitare ſinunt.

LI-

LIBER XVIII.

DE SUPREMO VISIBILI CAPITE, QUOD CHRISTUS JESUS UNIVERSÆ SUÆ ECCLESIÆ PRÆFECIT.

De visibili capite Ecclesiæ universe, atque generatim in superiori libro egimus: in hoc autem de eo capite disputare instituimus, cui Christus supremam præfecturam super suam Ecclesiam contulit. Petrum igitur regendæ Ecclesiæ auctoritatem, potestatem, atque jurisdictionem supremam a Jesu Christo recepisse, Divino verbo tum scripto, tum tradito ostendemus. Hoc autem semel posito, quum illud consequatur, Christum claves regni cœlorum non dedisse Ecclesiæ, sed Petro; refutabimus errorem illorum, qui arbitrantur, Ecclesiam esse subjectum ejus jurisdictionis, quam Jesus Christus ad ejusdem Ecclesiæ regimen dedit, ita ut, sicuti illi volunt, potestas clavium *primario*, *proprie*, & *essentialiter*, sit in Ecclesia, *ministerialiter*, *&* *quoad exequutionem* tam in Episcopis, quam in Romano Pontifice (1). Duobus capitibus illud prius absolvemus, duobus aliis istud alterum: in primo de hoc visibili Ecclesiæ capite agemus auctoritate Divinarum Scripturarum, & Sacræ Traditionis, in 2. de potestate suprema legislativa visibilis hujusce capitis disputabimus, in 3. de subjecto ejus jurisdictionis, qua Ecclesia hic in terris regitur auctoritate Sacrarum Scripturarum, in 4. Divinæ Traditionis differemus.

CA-

(1) Videatur Richerii libellus *De Ecclesiastica, & politica potestate* cap. 1.

CAPUT I.

DE VISIBILI CAPITE, QUOD JESUS CHRISTUS SUÆ DCCLESIÆ PRÆFECIT, PROUT TRADITUM HABEMUS IN SACRIS LITTERIS.

§. I. QUÆ *Matthæi* cap. 26. v. 19. & seqq. leguntur, Christum Petro futurum promisisse, ut eum universæ suæ Ecclesiæ præficeret, neminem dubitare sinunt.

Quum Christus in partes Cæsaraæ Philippi venisset, a Discipulis quæsivit, quemnam ipsum esse, putaretur ab hominibus: Discipuli ad hæc, non unum idemque de eo omnes sentire reposuerunt: putare aliquos, Filium hominis esse Joannem Baptistam, alios Eliam, nonnullos Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Hoc audito, inquit Christus: " Vos „ autem quem me esse dicitis "? Tunc sane, uno Petro excepto, omnes tacuerunt; Petrus ergo solus ille fuit, qui statim ita respondit: " Tu es Christus Filius Dei vivi ". Nulla usque modo inter nos, atque Acatholicos est circa expositionem hujus loci concertatio. Sequentia ergo videamus, atque interim illud unum animadvertimus, sermonem inter Christum, & Petrum nunc singulariter institutum esse, ac Petrum singulariter Christum Dei Filium confessum fuisse. Christus igitur, audita hac confessione Petri, illum ita affatus fuit: " Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis „ non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et „ ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram „ ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævale„ bunt advesus eam: & quodcumque ligaveris super ter„ ram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris su„ per terram, erit solutum & in cœlis ". Hæc omnia manifesta sunt, nullamque in se obscuritatem habent: Petrus, & quidem unicus, non carne, & sanguine revelantibus, sed Patre, qui in cœlis est, Christum Dei Filium esse confitetur: Christus ob hanc confessionem fidei, Ecclesiam super illum

illum ædificandam prædicit, ac propterea etiam claves regni cœlorum ei se daturum spondet, quibus id, quod ligaret, aut solveret in terris, etiam in cœlis ligatum, aut solutum esset. Mirum tamen est, quam multa ad horum omnium perspicuitatem aut omnino elevandam, aut saltem obscuritate quadam involvendam, Adversarii nostri confinxerint. Lutherani, & Calvinistæ recentiores etiam ad quasdam tricas grammaticales recurrunt, antiquiores vero omnem in eo operam ponunt, ut verum sensum verborum pervertant. Hoc de illis Mamachius animadvertit *Origin. & Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 5., de istis Bellarminus *De Romano Pontifice* lib. 1. cap. 10. & seqq. (1) Nos ergo nunc, iis omissis (quum sint præ ceteris aliis nullius momenti, & in mentem hominis gravis, qui de re gravissima agit, cadere non potuisse videantur) quæ ad inanes quasdam grammaticales observationes spectant, in id potissimum intendemus, ut Petri supremam potestatem ex prædicto loco S. Matthæi evincamus, ac quæ contra opponuntur, simul refutata maneant. Litteralem ergo hujus loci sensum per singulas partes expendamus, atque una simul videamus, quid de iisdem Sanctorum Patrum Traditio ferat.

§. II. Petrum esse illam petram, supra quam suam Ecclesiam ædificandam Christus promisit, sensus litteralis habita ratione, nullus sane dubitare potest.

Sive legatur: *Tu es Petrus*, uti in Græco, & in nostra Vulgata; sive: *Tu es petra*, quemadmodum in Syriaco, & in Hebraico habetur; semper æque constat, Petrum esse illud subjectum, supra quod Ecclesiam ædificandam Christus promisit. Christus enim, audita confessione Petri, inquit: " Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, (vel petra) " & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ". Profecto ex sensu verborum nimis evidenter unicuique constare debet, promissum fuisse, Ecclesiæ ædificationem supra Petrum

(1) Apud Mamachium citato loco quinam oppugnaverint potissimum ex recentioribus, & quinam præcipue ex veteribus apud Bellarminum in Præfat. cit. libri habetur, quod nos nunc tuemur.

Petrum esse faciendam. Hæc enim pronomina *Tibi*, *Tu*, *&* *super hanc*, ita in loquutione Christi inter se conjuncta sunt, ut si unum idemque subjectum non designent, nunquam sane contingere posse arbitror, ut nos dum aliquid alteri promittimus, ipsi, & non alicui alio, a nobis fieri promissionem, certissime significemus. Quid? Nonne illum, cui dictum legimus: *Tu es Petrus*: *super hanc Petram*: *Tibi dabo*, tum nomine proprio, tum nomine Patris ejus, idem Christus compellavit? Illi ergo, qui Simon vocabatur, qui erat Jonæ filius, Christus dixit, esse Petrum, super eum Ecclesiam se ædificaturum, atque illi daturum claves regni cœlorum. Tota ergo promissio Christi super eum cadit, qui Simon vocabatur, qui erat filius Jonæ, qui a Christo dictus fuit Petrus. Qua vero de causa hunc Simonem, Jonæ filium Christus & beatum prædicavit, & Petrum vocavit, & super eum Ecclesiam se ædificaturum, & claves regni cœlorum illi daturum promisit? Non alia sane, nisi quia illum esse Dei Filium confessus fuerat, & quidem non carne, & sanguine revelantibus, sed Patre, qui in cœlis est: igitur quum solus Simon, quum solus filius Jonæ, quum solus Petrus, prout a Christo dictus postea fuit, Christum Dei Filium confessus fuerit, magis magisque inde confirmatur, totam Christi promissionem super unicum Simonem, super unicum filium Jonæ, super unicum Petrum cadere.

Quis ex hisce omnibus aperte non cognoscat, quam absurda eorum sententia sit, atque omnino falsa, qui nomine petræ aut omnes Fideles, aut fidem eorum intelligi volunt? Anne pronominibus *Tibi*, *Tu*, *&* *super hanc* omnes Fideles, aut fides eorum designari possunt? anne spectare possunt ad omnes Fideles, aut ad fidem eorum, quæ ad Simonem, ad filium Jonæ, ad Petrum, singulariter, atque unice referuntur? Anne qui nondum nati erant, Christo interroganti respondebant, Patre revelante, Christum Dei Filium esse confitebantur?

Neque etiam dici potest, Christum nomine petræ se

ipsum designasse. Fortassisne de se Christus loquitur, dum dicit: *Beatus es Simon Bar-jona*? Dum superaddit: *Et ego dico tibi*? Dum adjungit: *Tu es Petrus*? dum concludit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*? Quapropter sicuti quoad usque ipse Christus fuit Ecclesiæ visibile caput, nullum aliud caput ipsi præfecit, quando vero in cœlum ascendens evasit invisibilis, aliud posuit visibile caput (1); ita quoque quoad usque Ecclesiæ visibile fundamentum fuit, nullum aliud visibile fundamentum posuit, quando autem evasit invisibilis; tunc sane aliud visibile fundamentum constituit, indeque est, ut in hoc loco Christus promittat quidem Petro suam Ecclesiam super eum se ædificaturum; tamen id statim non præstat, sed post suam resurrectionem implendum relinquit. Ad Petrum ergo prædicta verba Christi referenda esse, si litteralis, atque omnino obvii sensus ratio habeatur, nullus dubitandi locus superest.

§. III. Petrum esse illam petram, supra quam Christus suam Ecclesiam ædificandam promisit, unanimi consensione Patrum confirmatur.

Illa verba: *Et super hanc petram* ad Petrum referenda esse, a SS. Patribus traditum quidem accepimus; tamen nonnulli eorum, nomine *Petræ*, confessionem Petri; alii vero personam illius designatam fuisse volunt. Utrorumque loca referemus, & primo quidam illorum, qui nomine *Petræ* confessionem Petri esse intelligendam censuerunt. S. Hilarius laudans S. Petri confessionem inquit lib.6. *De Trinitate* num.36. " Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est ". S. Gregorius Nyssenus cap. ultim. *De Trinitate*: " Petra vero fidei tamquam fundamentum, quia ipse Dominus ait ad Principem Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* ": super confessionem videlicet Christi, quia dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. S. Ambrosius *De Incarnatione* cap.5. num.34. " Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mor-

tis

(1) Toto lib. præced.

„ tis ei non prævalebunt “. S. Epiphanius *Hæresi* 59. n.7. „ Princeps Apostolorum Petrus ... qui quidem solidæ pe„ træ instar nobis extitit, cui veluti fundamento Domini „ fides innititur, supra quem Ecclesia modis omnibus ædi„ ficata est. In primis quidem, quod Christum Dei vivi „ Filium esse confessus est, idque vicissim audiit : super „ hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam “. S. Joannes Chrysostomus *Homil.*54., alias 55. *in Matthæum*, num.2. “ Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, „ id est super fidei confessionem “. S. Augustinus *Tractatu* 7. *in Joannem* num.20. “ Nominavit petram, & laudavit „ firmamentum Ecclesiæ in ista fide “. Et *in Psal.*69. n.4. „ Petrus, qui paulo ante eum (Christum) confessus erat „ Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, „ supra quam fabricaretur Ecclesia “. S. Cyrillus Alexandrinus lib.4. *De Trinitate* “ Petram opinor nihil aliud, quam „ inconcussam, & firmissimam discipuli fidem vocavit, in „ qua Ecclesia Christi ita fundata, & firmata esset, ut non „ laberetur “. Theodoretus epist.77. “ Dominus noster Apo„ stolorum Principem, cujus confessionem, veluti basim „ quamdam, & fundamentum Ecclesiæ defixerat “. S. Petrus Chrysologus *Serm.*154. *De S. Stephano* : “ Petrus a pe„ tra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam „ fidei firmitate fundare “. S. Isidorus Hispalensis lib. 7. *Originum* cap.9. “ Dixerat Petrus : *Tu es Christus Filius Dei* „ *vivi*. Deinde ei Dominus : super hanc petram, quam „ confessus es, ædificabo Ecclesiam meam “. S. Joannes Damascenus *Oratione De Transfiguratione* num.6. “ Hæc est „ firma illa, & immota fides, supra quam, tamquam pe„ tram, Ecclesia fundata est “. Tandem S. Thomas, ut alios omittamus, 2. 2. qu.174. art.6. “ Super hanc petram, „ scilicet confessionis tuæ ædificabo Ecclesiam meam “.

Non defuere quoque multi ex SS. Patribus, qui nomine *Petræ* ipsam personam Petri intelligendam esse putaverint. Ex Græcis Patribus ita sensit Origenes *in Matth.* juxta seriem veteris interpretationis num. 139. dicens :

„ Ipse Petrus petra a Domino est appellatus, quum dici-
„ tur ei: *Tu es Petrus*, *& super hanc Petram ædificabo Ec-*
„ *clesiam meam* “. S. Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 18. num.25. “ De qua dixit Petro: (hoc est de Ecclesia) &
„ super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam “. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 26. “ Vides quemadmodum ex
„ Christi discipulis, magnis utique omnibus, & excelsis,
„ & electione dignis hic petra vocetur “. S. Joannes Chrysostomus lib.5. *Adversus Judæos* num.2. nomine *Petræ* personam Petri intelligendam esse affirmat. S. Joannes Damascenus *De recta sententia* num.4. de Petro loquens ait: “ Su-
„ per hanc petram Ecclesia firmiter ædificata est “. Ex Latinis Tertullianus in lib. *De Pudicitia* cap.21. explicans illa verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, inquit:
„ In ipso Ecclesia extructa est “. S. Cyprianus epist. 33., alias 27. “ Dominus noster, cujus præcepta metuere, &
„ observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ
„ rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Pe-
„ tro: *ego dico tibi*: *tu es Petrus*, *& super hanc petram ædi-*
„ *ficabo Ecclesiam meam* “. S. Ambrosius *Expositione in Lucam* lib.6. num.97. “ Petra est Christus .... Etiam disci-
„ pulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipse
„ sit petra, quod de petra habeat soliditatem constantiæ,
„ fidei firmitatem “. S. Gregorius Magnus lib.5. Indictione 13. epist. 20., alias 32. “ Cunctis enim Evangelium
„ scientibus liquet, quod voce Domini sancto, & omnium
„ Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura
„ commissa est: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo*
„ *Ecclesiam meam* “. *De Regimine Principum* Opusculo 20. lib.3. cap.10. ita explicatur illa verba: *Et ego dico, quia tu es Petrus*:
„ In hoc enim nomine, ut sacri exponunt doctores, sicut
„ Hilarius, & Augustinus, Dominus potentiam Petri insi-
„ nuat: quia a petra, quæ est Christus, ut dicit Aposto-
„ lus, cujus confessionem Petrus præmiserat, Petrus est ap-
„ pellatus, ut secundum etiam quamdam participationem
„ nomen acquirat, & potestatem, & audire mereatur: *Et*
„ *super*

„ *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quasi totum
„ dominium inter Fideles ex Petro dependeat in ejus Suc-
„ cessores “.

Quæ ergo, qualisve sit consensio Sanctorum Patrum in hac re, de qua agimus, quum nobis modo compertum sit, illud superest, ut animadvertamus, tam eos Patres, qui verba Christi ad confessionem Petri, quam alios, qui ad personam ejus referunt, & statuisse, Petrum esse illam petram, supra quam Christus suam Ecclesiam ædificandam promisit, & utrosque sensum litteralem fuisse sequutos. De illo priori ex se constat: nam vel persona Petri, vel confessio, & fides ejus esse illud fundamentum dicatur, super quod Ecclesia ædificanda erat, tamen Ecclesiæ ædificationem super Petrum faciendam esse semper æque constat. De altero nunc videamus. Sensus litteralis est ille, quem ipsa verba, vel proprie, vel metaphorice accepta proxime præseferunt: vel proprie, inquam, vel metaphorice: nam quando aliqua figurate dicuntur, ille sensus, quem verba in sui propria significatione habent, non est litteralis, sed quoad ista sensus litteralis in eo positus est, quod verbis figurate acceptis significatur. Quapropter dum in Sacris Litteris brachium Deo tribuitur, sensus litteralis non est, hujusmodi membrum corporeum in Deo esse, sed operandi virtutem, quæ illius membri nomine figuratur. Idem vero dicendum est & de istis aliis loquutionibus: super te ædificabo Ecclesiam meam: pasce oves meas, atque aliis multis hujus generis. Unde tam illi Patres, qui verba Christi ad personam Petri, quam alii, qui ad confessionem ejus referunt, sensum litteralem metaphoricum sequuti sunt: illis enim verbis: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id in Petro perficiendum indicitur, non quod ipsa materiali ædificatione fit, sed quod ea significatur. Hinc mirandum non est, a nonnullis eorum faciendam ædificationem non ad personam Petri, sed ad fidem illius relatam fuisse. Neque enim super ossa Petri Ecclesia ædificanda erat. Super quid ergo singulariter, atque ad Petrum spectans, suam Ecclesiam extraen-

truendam Christus prædixerit, hoc vero est, quod Patres illi tradunt, qui verba Christi ad Petri confessionem referunt.

Ex his autem perspicuum est, Patres in expositione hujus loci, de quo agimus, sibi mutuo non adversari, quamvis nonnulli eorum ad personam Petri, alii ad confessionem ejus, illud referant. Semper enim in eo inter se mutuo absque ulla dubitatione conveniunt, Petrum esse illum, super quem ædificationem Ecclesiæ faciendam esse, Christus promisit. Unde longe a vero Dupinius aberrat, dum *De Antiq. Eccl. Discipl. Differt.* 4. cap. 1. §. 1. Primatum Petri ex citato *Matthæi* cap. 16. loco evinci non posse inde putat, quia a Sanctis Patribus, & interpretibus non una illud eademque ratione exponitur. Nam, sicuti jam ostendimus, qui ad Traditionem constituendam Sanctorum Patrum consensus requiritur, eum in hujus expositione loci amplissimum habemus.

§. IV. Patres in expositione illorum verborum: *Et super hanc petram*, de fide, & confessione *absolute*, *& sine relatione ad personam Petri* fuisse loquutos, in mentem ejus, qui illos legerit, cadere non potest.

Id tamen venit in mentem Marci Antonii de Dominis, qui libro 1. *De Republ. Ecclesiast.* cap. 6., Lutheranos sequutus (1), postquam multa loca Patrum congessit, qui supra fidem, & confessionem Petri Ecclesiæ fundamentum positum fuisse tradunt, §. 15. ita concludit: " Certe loca, „ quæ protuli, quum non habeant adjunctum Petrum, de „ de fide, & confessione absoluta, & sine relatione ad per„ sonam Petri erunt intelligenda; alioquin non sine violen„ tia magna flecti possunt, ut per fidem, & confessionem „ intelligatur ex vi verborum Petrus fidelis, & confitens ". In his autem verbis aperta obcœcatio Marci Antonii de Dominis observanda est. Nam inter cetera loca Patrum eadem ipsa ex S. Hilario, S. Gregorio Nysseno, S. Cyrillo, & S. Joanne Damasceno cit. cap. num. 12. refert, quæ nos modo in supe-

(1) Vide Bellarminum *De Romano Pontif.* lib. 1. cap. 10.

ſuperiori §. retulimus. His autem in locis ſermonem eſſe de fide, & confeſſione *abſolute*, & *ſine relatione ad perſonam Petri*, ille ſolus putaverit, qui velit, Patres, dum de Petri fide, & confeſſione loquerentur, ad fidem *abſolute*, & *ſine relatione ad Petrum*, reſpexiſſe. Neque minus evidens eſt loquendi ratio, qua utuntur alii Sancti Patres, quorum loca in medium idem auctor adducit. Victorem Antiochenum in *Marci* cap. 8. ita habentem profert: " Quia Chriſtus Domi„ nus ſupra petram, hoc eſt, ſupra infractam ſanamque Pe„ tri doctrinam, inconcuſſamque ejuſdem fidem Eccleſiam „ ſuam ædificaturus &c. " Laudat S. Auguſtinum *Tractatu* 10. *in Joannem* de Petri fide ita diſſerentem: " *Tu es Petrus, & „ ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quid eſt ſuper „ hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Super hanc fi„ dem, ſuper id, quod dictum eſt: *Tu es Chriſtus Filius Dei „ vivi*: ſuper hanc petram, inquit, fundabo Eccleſiam „ meam ". Neque minus aperta ſunt aliorum teſtimonia Patrum, quæ ipſe refert, uti Bedæ, Theophylacti, multorumque etiam Romanorum Pontificum. Eorum enim nullus eſt, qui non diſtincte, atque ſingulariter, de Petri fide loquatur. Suæ ergo obſtinatæ obcœcationis non minus hac in re, quam in aliis omnibus, manifeſtum argumentum Marcus Antonius de Dominis præſefert. Bohemerus tamen & ipſe quoque non minus profecto obcœcatus *De Jure Parochiali* ſect.8. cap.1. §.1. ad locum *Matt.* cap.16. v.18. reſpiciens ita habet: " Hunc locum contra auſus Pontificio„ rum, fundamentum Eccleſiæ Petrum ſtatuentium, ſolide „ ex Patrum dictis defendit Marcus Antonius de Dominis „ *De Republ. Eccl.* lib. 1. cap. 6. " Superaddit in defenſionem hujus ſententiæ, quam cum eodem auctore defendit, hunc Theophylacti locum Matthæum exponentis: " Quia „ confeſſus eſt Petrus ipſum Filium Dei, dicit Dominus, „ hanc confeſſionem, quam confeſſus eſt, fundamentum fu„ turum Fidelium, ita ut omnis homo, conditurus domum „ Dei, confeſſionem fundamenti loco ſit ſubſtraturus ". Nonne Theophylactus *ad hanc confeſſionem*, ſcilicet Petri, *fundamentum*

mentum futurum fidelium refert? Confessionem quidem fundamenti loco fubsternendam ab omnibus dicit, qui domum Dei condituri funt; verum eft ne illa confeffio *fundamentum Fidelium*, quale Theophylactus Petri confeffionem fuiffe dicit?

§. V. Verba illa: *Et fuper hanc petram*, *ad reliquos quoque Apoftolos* pertinere, contra communem explicationem Sanctorum Patrum ad arbitrium confingitur.

Hoc vult Juftinus Febronius, qui *De ftatu Ecclefiæ* cap. 1. §. 2. num. 3. affirmat communiorem effe fententiam „ Eorum Patrum, ac Sacrorum Interpretum, qui Chrifti „ verba de S. Petro quidem, fed ita accipiunt, ut quem„ admodum Petrus Domino *omnes* interroganti fuo, & con„ difcipulorum nomine refpondit; ita & in replica Chrifti „ cum Petro intelligantur reliqui quoque Apoftoli, quippe „ qui revera omnes funt fundamentum Ecclefiæ.... In fum„ ma: Chriftus ipfe eft *unicum*, & *primarium* fundamentum „ fuæ Ecclefiæ; & fi Sanctus Petrus dicatur *fecundum*, & „ *minifteriale* fundamentum, debebit & tantumdem afferi de „ reliquis Apoftolis. Itaque fi de *fecundario* hoc fundamen„ to accurate loqui velimus, Petrus erat primus, fed non „ *unicus* fundamenti lapis“. Id autem auctoritate Patrum oftendere contendit: hæc vero loca Patrum pro fe in medium profert. Origenes *Tract.* 1. fuper caput 16. *Matth.* tom. 2. edit. Parifienf. an. 1604. ita habet: “ Tu es Petrus: „ petra enim eft quilibet Chrifti difcipulus, & fuper talem „ petram conftruitur omnis Ecclefiaftica doctrina.... Quod „ fi fuper illum unum Petrum tantum exiftimas ædificari „ totam Ecclefiam, quid dicturus es de Joanne filio toni„ trui, & unoquoque Apoftolorum“? S. Hieronymus lib. 1. *Adverfus Jovinianum* “ At dicis: (inquit) fuper petram fun„ datur Ecclefia, licet id ipfum alio in loco fuper omnes „ Apoftolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, „ & ex æquo fuper illos fortitudo Ecclefiæ folidetur; ta„ men propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capi„ te conftituto, fchifmatis tollatur occafio“. S. Auguftinus

Tra-

Tractatu 108. ita habet : " Unus pro omnibus dicit : Tu ,, es Filius Dei vivi, & propter hoc claves cum omnibus, ,, tamquam personam gerens Ecclesiæ, accepit: ideo unus ,, pro omnibus , quia unitas in omnibus ". Post hæc ad alia S. Augustini loca Adversarius noster provocat, hoc est ad unum desumptum ex *Tract.* 124. *in Joannem* superiori num.2. a se relatum ad ostendendum nomine Petræ intelligi Christum, & ad quatuor alia unum desumptum ex lib. *De Agone Christiano* cap.30., alterum ex *Tract.*50. *in Joan.*, tertium ex *Tract.* 124. in eumdem Joannem, quartum ex *Sermone* 118. cap.2., quibus ipse inferius §.6. num.2. contendit potestatem clavium universitati Ecclesiæ datam a Christo fuisse; illudque tandem ex S. Augustino superaddit, hunc Doctorem in lib.1. *Retractat.* cap. 21. lectori liberum reliquisse, ut ex explicationibus a se datis in expositione prædictorum Matthæi verborum : " Quæ omnes (inquit) in ,, eumdem finem a nobis intentum collimant, " eam unusquisque amplecteretur, quæ sibi magis arriserit. Subinde postea hæc alia pro se affert. S. Leo *Serm.*3. in Anniversaria die suæ assumptionis ad Pontificatum cap. 3. ita habet : ,, Transivit in alios Apostolos vis istius potestatis , & ad ,, omnes Ecclesiæ Principes hujus decreti constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omni- ,, bus intimetur: Petro enim singulariter hoc creditur, quia ,, cunctis Ecclesiæ Rectoribus forma præponitur ". Theophylactus in hunc locum Matthæi : " Licet ad Petrum tan- ,, tum dictum sit illud : *Tibi dabo claves &c.* tamen omni- ,, bus Apostolis olim datum est, quando dicit : *Quorum re-* ,, *miseritis &c.* " Eucherius Lugdunensis Episcopus *Homil. De Nativit. Petri* : " Hoc enim , quod Petro principaliter ,, dicitur, ceteris quoque Apostolis dictum esse, intelligi de- ,, bet ". Paschasius Ratbertus lib.4. in *Matt.* " Non super ,, unum Petrum, verum super omnes Apostolos, Aposto- ,, lorumque successores, Ecclesia Dei ædificatur ". Eodem sensu hunc textum intelligunt Hincmarus epist.33. ad Hincmarum Laudun. cap.20., & alibi, Odo Cluniacensis lib.4.

Collat. cap.19., Petrus Blesensis *Serm.*44., aliique innumeri. Eamdem interpretationem amplexus est Gratianus *Causa* 24. *Quæst.*1. *Can.*6. cum S. Augustino, & *Can.*18. cum S. Cypriano, & *Dist.*21. *Can.*2. His adde Cardinalem Cajetanum *Tract. De Auctorit. Papæ*, *& Conciliornm* cap.2.

Belle sane hæc quidem omnia! Hoc loci Febronius, Matthæi verbis nihil Petro tributum arbitratur, quod etiam ceteris Apostolis eadem ratione tributum non fuerit: " In „ summa: (inquit) Christus ipse est unicum, & primarium „ fundamentum suæ Ecclesiæ; & si S. Petrus dicatur secun„ dum, & ministeriale fundamentum, debebit & tantum„ dem asseri de reliquis Apostolis ". Cap.2. §.1. in quo de Primatu agit, qui est in Ecclesia, num.1. esse de eo compertum dicit etiam ex Matthæi verbis cap.16. v.18., prout tamen illa ex sententia Patrum cap.1. §.2. num.3. a se exposita sunt, hoc est ea ratione, " Ut quemadmodum Pe„ trus Domino omnes interroganti suo, & condiscipulo„ rum nomine respondit; ita & in replica Christi cum Pe„ tro intelligantur reliqui quoque Apostoli "; & in summa semel ac Petrus dicatur *fundamentum*, *tantumdem* & de reliquis Apostolis affirmandum erit. Quapropter primatum tantum ordinis, non vero jurisdictionis Petro se tribuere, aliis saltem suspicandi occsionem Febronius præbet. Nam primatus ordinis dicitur, & est, non solum ille, quo quis super alios honore tantum præcellit, sed etiam alter, qui præter prærogativam honoris, etiam aliquod jus continet, ordinis tamen, quo aliquo modo quispiam fit superior inter æquales; non vero jurisdictionis, propter quod unus potestate, atque auctoritate aliis præest. Ita in senatu simul congregato jurisdictio est in Patribus, unus tamen non solum inter eos primum locum tenet, sententiamque primus dicit: quæ sane ad honorem referuntur; sed etiam pro suo jure convocat Patres, de negotiis refert, sententias rogat, remque totam, de qua agitur, quadam ratione regit. In his enim jus quoddam exercetur, ordinis tamen, quum ob illud, supra ordinem aliorum Senatorum quis non extollatur;

tur; non vero poteſtatis, atque juriſdictionis, quo ſane ejus auctoritati, & definitioni Patres ſubjecti fierent. Priorem primatum, non alterum Petro tribuere Febronium, non ſolum ea oſtendunt, quæ modo animadvertimus, ſed etiam ex eo exemplo omnino convincitur, quo ad explicandum Petri primatum ille utitur cap.2. §.4. num.1. " Nulli Apoſtolorum (inquit) in particulari erat poteſtas, ſeu juriſdictio proprie dicta in alium, ſed ſinguli ſubjiciebantur collegio, hujuſque deciſionibus, & mandatis. Qualis in Senatu eſt Præſes; talis propemodum in Collegio Apoſtolorum Petrus. Ille Senatorum ſententias rogat, non cogit, uno ſuo arbitrio nihil decidit. Reliquorum actibus intendit, eos commonefacit; arguit etiam, ſed non deſtituit. Caput ipſorum eſt, ac major, non in ſtricta ſignificatione ſuperior, minus Dominus; quam qualitatem quidam imperite tribuunt Petro ex male intellecta denominatione Principis Apoſtolorum. Caput, inquam, erat Petrus: inde deferebatur ei primarius honor; ejus ſententiæ multum tribuebatur: nulla cauſa majoris momenti ſine ejus participatione definiebatur, maxime ſi univerſum corpus Eccleſiæ reſpiceret. Ipſe in conventibus proponebat materiam, de qua deliberandum erat: ipſe, quum id opportunum eſſet, levabat vocem ſuam, & omnium loco, ac nomine loquebatur ". Hæc vero omnia quidquid juris in ſe continent, eſt ſane ordinis, uti etiam ex eo exemplo conſtat, ad quod Febronius recurrit, nullo autem modo poteſtatis, atque juriſdictionis. At vero Primatum juriſdictionis & poteſtatis eſt ſane illud, quod tum hæretici, tum ſchiſmatici e medio ſublatum volunt, atque in hoc ſequuntur, quod Catholico dogmati adverſatur; ceterum Primatum ordinis admittunt, atque confitentur. Nam " Reformatos primatum tantum ordinis in Papa agnoſcere, " tradit Salmaſius in præfatione Operis *De Primatu Papæ*, qui illud etiam ſuperaddit, indignari eos, quod " Papæ poteſtas non primas in ordine partes, aut ſedes tenere contenta, ſuprema omnium, qui in aliqua

„ sunt potestate, aut dignitate, haberi vult". Nilus *De causis dissensionum* lib. I. postquam dixit, se cum ceteris schismaticis cum Romana Ecclesia de Primatu non contendere, in quo deinde a Catholica Ecclesia differat, ita explicat: „ Porro Primatus, quem Episcopus Romanus obtinet in „ alios universales Episcopos non est æqualis ei, quem Epi- „ scopus unius gentis habet in subditos. Illic enim Primatus „ ordinis tantum est, & in verbis magis, quam in rebus „ positus, quum in plurimis æqualitas spectetur". Quam ergo sententiam hac in re hæretici, ac schismatici tuentur, tenet etiam Febronius, qui *ad reuniendos dissidentes in religione Christianos* tantum allaboravit. Verum hac de re satis: intelligo enim de ea nunc agere hominem, cui, si ad scribendi quascumque prærogativas attendatur, ne a longe quidem comparari aliquo modo possum. Reliqua ergo expendamus.

Nomine sane omnium Petrus responderit (1); attamen confessio fuit propria Petri: ipse, & non alii, Christum esse Dei Filium protestatus fuit: ipso, & non aliis, id Pater revelavit, non vero caro, aut sanguis: ipsi, & non aliis, Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hac petram ædificabo Ecclesiam meam*: nihil igitur minus dici potest, quam quod " In „ replica Christi cum Petro intelligantur reliqui quoque Apo- „ stoli". Nam replica Christi ad confessionem refertur, eamque præsupponit.

Omnes quidem Apostoli sunt fundamentum Ecclesiæ; quemadmodum ab Apostolo, ad quem Febronius appellat, traditum habemus *Ephes.* cap. 2. v. 30., non tamen sicuti Petrus. " Notandum est, (inquit S. Thomas lect. 6. in cap. 2. „ epistolæ *ad Ephesios*, explicans illa verba: *Superædificati su-* „ *per fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*) quod Apo- „ stoli dicuntur fundamenta, *Psal.* 83. *Fundamenta ejus in* „ *montibus sanctis*. *Isaiæ* 54. 12. *Fundabo te in saphiris*; idest „ in cœlestibus viris. Expresse autem dicuntur fundamenta „ *Apo-*

(1) Vide S. Thomam tum in *Catena Aurea*, tum in *Exposit.* cap. 16. S. Matthæi.

„ *Apocalyp.* 21. 14. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum*. Qui in tantum dicuntur fundamenta, in quantum eorum doctrina Christum annuntiat. *Matth.* 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Dicit autem Apostolorum, & Prophetarum, ut designet, quod utraque doctrina est necessaria ad salutem ..... Item ut ostendat concordiam inter utramque, alterius ad alteram, dum idem est utriusque fundamentum. Nam quod Prophetæ prædixerunt futurum, Apostoli prædicaverunt factum". Quapropter si Apostoli ob doctrinam potissimum Ecclesiæ fundamenta dicuntur, quia tum eorum, tum Prophetarum hac in re una eademque ratio habetur; sicuti Prophetæ cum Petro, quatenus est Ecclesiæ fundamentum a Christo singulariter institutum, comparari non possunt, ita neque etiam Apostoli. Petrus enim non solum ob suam doctrinam, quemadmodum Apostoli, atque etiam Prophetæ, est Ecclesiæ fundamentum, atque ob nonnulla quoque alia, quæ ipsi sunt communia cum ceteris Apostolis, sicuti est promulgatio Evangelicæ Legis primitus facta, & institutio Ecclesiarum; sed etiam ob singularem confessionem Divinitatis Christi, vel supra eum, vel supra fidem ipsius Petri singulariter Ecclesiam extruendam Christum prædixisse, a Sanctis Patribus unanimi consensione traditum habemus, & contextus ipse verborum manifeste præsefert; quemadmodum jam ostendimus (1). Fundamentum ergo Ecclesiæ est Christus, fundamentum Petrus, fundamentum omnes Apostoli: Christus est supremum fundamentum, quod excellentiæ potestatem supra suam Ecclesiam habet, invisibile tamen: Petrus est Ecclesiæ fundamentum, & a Christo supremum omnium, atque præcipuum, simul & visibile: Apostoli sunt fundamentum, quia ipsis est cum Petro communis tum doctrina, tum Evangelii promulgatio, tum institutio Ecclesiarum; quibus sane omnibus innititur Ecclesia universim accepta. Petra igitur est Christus, petra est & Petrus: Christus est vere immobilis petra, Petrus propter petram.

(1) Hujus cap. §. 2. & seq.

tram. " At Petrus dixerat jam antea, (inquit S. Basilius) „ & Beatus pronuntiatus fuerat, quum dixisset: Tu es Fi„ lius Dei excelsi; & vicissim audierat, se esse petram, „ laudatus a Domino: licet enim & ipse petra esset, non „ tamen petra, ut Christus. Nam Christus vere est immobi„ lis petra; Petrus vero propter petram. Nam Jesus dignita„ tes suas largitur, nec exhauritur" (1).

Auctoritate Origenis pessime Febronius abutitur: ex ea enim consequeretur, ut non solum Apostoli, sed etiam Discipuli, immo omnes Fideles eodem modo, quo Petrus, Ecclesiæ fundamentum essent. Quo ergo sensu Origenes loquutus fuerit, ipse per se prodit, neque ulla interpretatio necessaria est: ita enim habet *Comment in Matth.* tom. 12. num. 10.: " Quod autem respondens Petrus dixit his ver„ bis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, si illud idem dicamus, „ sicut & Petrus, eo nobis non per carnem, & sanguinem „ revelato, sed per lumen, quod a Patre cœlesti nobis afful„ serit, fortasse simus & ipsi id, quod Petrus; nempe iti„ dem, ut ille, fortunati prædicamur, propterea quod hæc „ etiam ad nos pervenerunt, quæ causa illi fuerunt, cur „ beatus sit existimatus; eo quod neque caro, neque san„ guis revelaverint nobis Jesum esse Christum, Filium Dei „ vivi, sed Pater, qui in cœlis est. Quod si postquam dixe„ rimus & nos, quemadmodum Petrus: *Tu es Christus Filius* „ *Dei vivi*, non quasi nobis revelatum fuerit a carne, vel „ sanguine, sed luce cordi nostro affulgente a Patre, qui „ in cœlis est, Petrus efficimur; dicatur & nobis a Verbo: „ *Tu es Petrus*. Petra enim est omnis Discipulus Christi, de „ quo bibebant, qui *bibebant de spirituali consequente petra* (2). „ Et super quamlibet hujusmodi petram ædificatur omnis ser„ mo ecclesiasticus, & vitæ juxta ipsum institutæ ratio. Uni„ cuique enim perfecto habenti congregationem sermonum „ beatitudinem perficientium, & operum, & cogitationum, „ inest Ecclesia a Deo ædificata". Num. 11. habet a Febronio citata, & post nonnulla alia ita concludit: " Nomen „ enim

(1) Vide §.1. cap.2. lib. superior. (2) 1. *Corinth.* cap.10. v.4.

„ enim trahunt a petra omnes imitatores Christi, spiritualis „ scilicet petræ consequentis eos, qui salvi fiunt, & ex ea „ spiritualem potionem ebibunt. Illi enim nomen trahunt a „ petra, quemadmodum Christus; sed & quum Christi membra sint, nomine ab illo ducto, Christiani appellati sunt: „ a petra autem Petri. Inde vero accepta occasione, justos a „ Christi justitia, sapientes a Christi sapientia denominatos „ esse dices, idemque facies de reliquis ejus nominibus, nomina in Sanctos ducens, & quicumque tales fuerint, dicatur iis a Servatore illud, quod ita se habet: *Tu es* „ *Petrus &c.* “

S. Hieronymus lib. I. *Adversus Jovinianum* num. 26. Joannis virginitatem commendat, atque ob eam affirmat plus ceteris illum amatum a Christo fuisse; hæc deinde sibi opponit: “ At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet „ id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves &c. “ Ita vero prosequitur: “ Sed cur non Joannes electus est virgo? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & pene puer, progressæ „ ætatis hominibus præferretur, & magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre Discipulis, qui dixerat „ eis (1): *Pacem meam do vobis*, *pacem relinquo vobis* in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ “. Quapropter S. Hieronymus de ea hic præfectura loquitur, quæ ad tollendum schisma, sicuti ea habent, quæ ex eodem S. Doctore etiam Febronius refert, & ad amovendam omnem occasionem jurgii referebantur: hæc autem occasio tum præcipue nasci poterat, si S. Joannes, quamvis adolescens, ceteris in potestate præpositus fuisset: igitur illa potestas Petro collata continebat aliquam prærogativam, ceteris non communem, alioquin propter eam Apostoli jurgii occasionem accipere non potuissent. Aliunde vero ad tollendam cum efficacia occasionem schismatis, præfectura honoris non sufficit, sed potestatis, atque jurisdictionis requiritur: igitur, ne alia nunc loca Hieronymi commemore

(1) *Joan.* cap. 14. v. 27.

moremus, quæ ad rem nostram faciunt, ex hoc ipso, quem Febronius pro se in medium adducit, constat id, quod nos volumus.

Nunc vero ad S. Augustinum veniamus, quem stare pro se non solum Febronius, sed etiam alii omnes ante ipsum, qui in eodem errore fuerunt, inaniter jactant. Explicabimus autem cujus sententiæ S. Augustinus fuerit, non solum illorum verborum: *& super hanc petram*, habita ratione, sed etiam sequentium, immo aliorum quoque, quæ ex Joanne desumuntur ad probandum Primatum jurisdictionis Petro collatum. Negari ergo non potest, aliquibus in locis S. Augustinum tradidisse, nomine *Petræ* non Petrum, sed Christum intelligi debere. Id enim aperte affirmat *serm.* 76. num. 1., alias 12. *De Verbis Domini*, *serm.* 270. num. 2., alias 322., *serm.* 295. num. 1., alias 108. *De diversis*. Illud quoque certum est, S. Augustinum *Tract.* 50. *in Joannem* num. 12., & 124. num. 5., lib. *De Agone Christiano* num. 32., *serm.* 295. num. 2., alias 108. *De diversis* tradere, Petrum claves a Christo nomine Ecclesiæ recepisse.

Ad hæc omnia quam paucioribus fieri poterit. Ea ergo ratione S. Augustinus nomine *Petræ* Christum quandoque intellexit, ut semper ob omnium oculos pateret, Christum esse illud primum supremumque fundamentum, super quod Ecclesia ædificata esset, Petrum autem a Christo secundum fundamentum super illud primum constitutum: " Petra (inquit *serm.* 76. num. 1.) principale nomen est. Ideo Petrus a petra, non petra a Petro ..... super me ipsum Filium Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te ". *Serm.* 270. num. 2. " Quia ego petra, tu Petrus: neque enim a Petro petra, sed a petra Petrus; quia non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: non super Petrum, quod tu es; sed supra petram, quam confessus es. *Ædificabo* autem *Ecclesiam meam*: ædificabo te, quia in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ ". *Serm.* 295. num. 1. " Tu enim Petrus. A petra Petrus, non a Pe-

„ a Petro petra. Sic a petra Petrus, quomodo a Christo „ Christianus. Vis nosse de qua petra Petrus dicatur? Audi „ Paulum.... *Petra autem erat Christus*. Ecce unde Petrus". Anne fortasse Catholici unquam negarunt, Christum fundamenti Ecclesiæ angularem lapidem esse, supra Christum, uti supra supremum fundamentum, Ecclesiam extructam fuisse? Hæc vero sunt, quæ S. Augustinus animadvertenda proponit, dum petræ nomen ad Christum refert. Ceterum super hanc petram & ipsum quoque Petrum ædificatum esse vult, atque ab hac Petra dictum Petrum. Ideo autem nomine Petræ sæpe Christum S. Doctor intellexit, quia res illi erat cum Donatistis, qui virtutem Sacramentorum in ministrorum sanctitate reponebant. Quia ergo si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines, licet sine ulla ratione, inde occasionem accipere posse videbantur præsumendi de sanctitate ministrorum, ponendique super eos spirituale ædificium, S. Augustinus totam fundamenti rationem ad Christum revocavit. Hac de re compertum est ex *serm.* 76. num. 2., alias 13. *De verbis Domini*, in quo, ut alia nunc loca omittam, illud tradit ad refellendum errorem Donatistarum, in Petri, aut Pauli nomine neminem baptizari, & Petrum ædificatum supra petram, non petram supra Petrum. Inde tamen Primatum jurisdictionis a Petro non abjudicat, imo illud eidem Petro aperte tribuit, dum affirmat *Apostolatus Principatum ab eo teneri*, atque *primum*, & *præcipuum* esse in ordine Discipulorum, *in quo Ecclesia figurabatur*.

Deinde S. Augustinus *in Psalmo contra partem Donati* petræ nomine S. Petrum intellexit, sicuti ipse testatur *Retractat.* lib. 1. cap. 21. num. 1., in quo inquit: " Harum „ duarum sententiarum (hoc est earum, quarum una pro „ petra Petrum, altera Christum intelligit) quæ sit probabilior, eligat lector". Lectori ergo optionem relinquit, ut ex his duabus, quam voluerit, sententiam sequatur. Hoc autem semel posito, non video sane, qua ratione Adversarii nostri tanta confidentia uti auctoritate Augustini contra nos

possint. Neque nostram, neque alteram, quam sæpius secutus ipse fuit, S. Doctor reprobat, atque vult, ut utramvis earum, unusquisque seligat; prout sibi placuerit; immo vero monet omnes, ut probabiliorem seligant, ac propterea judicium de majori probabilitate unius super alteram lectori relinquit: in eo ergo, quod indefinitum pro utraque parte S. Augustinus omisit, quodque voluit, ut quoad majorem probabilitatem aliorum judicio subesset, suum Adversarii nostri fundamentum reponunt, & S. Augustini auctoritate nos vicisse sibi videntur. Quo sane constat, cujusnam generis ea causa sit, quam defendendam susceperunt. Non solum autem probabiliorem, sed etiam omnino certam eam explicationem esse, qua nomen petræ ad Petrum refertur, non vero ad Christum, unanimis consensio Sanctorum Patrum, de qua jam egimus (1), neminem dubitare sinit.

Ea vero S. Augustini mens fuit, dum Petrum Ecclesiæ personam gestasse, in Ecclesiæ persona claves accepisse, atque munus pascendi oves recepisse affirmavit, ut voluerit, Petrum propter Apostolatus sui Primatum Ecclesiæ gessisse figurata quadam generalitate personam, ut claves, & munus pascendi oves in persona Ecclesiæ receperit, uti primus præcipuusque hic in terris rector illius, atque moderator. " Petrus Apostolus (inquit S. Augustinus *Tract.* 124. *in Joannem* num. 5.) propter Apostolatus sui Primatum Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves &c.* universam significabat Ecclesiam ". Non solum autem hoc loci S. Augustinus Primatui Petri tribuit, quod Ecclesiæ personam ille gesserit, sed etiam *serm.* 76. num. 2., alias 13. *De verbis Domini* inquiens: " Idem ergo Petrus a petra cognominatus Beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens ". Et *Enarrat.* in *Psal.* 108. num. 1. " Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum " Petrum

(1) Hujus cap. §. 3.

„ Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum, quem in Discipulis habuit: sicuti est: Tibi dabo claves regni cœlorum". Ex his vero consequitur, ut Petrus & claves, & munus pascendi oves in persona Ecclesiæ receperit, sicuti primus præcipuusque hic in terris rector illius, atque moderator. Nam Petrus figurabat Ecclesiam propter *Primatum*, atque *Principatum* sui Apostolatus: Ecclesiæ autem dictum non fuit: *Quidquid ligaveris*: vel: *Pasce oves meas*; sed Petro: ei igitur dicta fuisse oportet, quatenus primus præcipuusque hic in terris rector illius erat, atque moderator. Quapropter si Rex repræsentans regnum, suam in illud jurisdictionem habet; ita etiam Petro potestas in universam Ecclesiam collata fuit, quam repræsentabat, quatenus princeps illius erat.

Deinde anne fortasse S. Augustinus dum aliquid juxta mysticum sensum exponit, litteralem rejicit? *Tract.* 124. *in Joann.* num. 7. dum Joannem Ecclesiæ Triumphantis personam gessisse tradit, quando super pectus Domini in cœna recubuit, an fortasse voluit, ut revera non recubuerit? *Tract.* 50. *in Joannem* num. 10. dixit a Juda corpus malorum, a Sancto Petro corpus bonorum repræsentatum fuisse, an propterea sensit, ut neque Judas Christum prodiderit, neque Petrus claves regni cœlorum receperit? Quisnam id sibi unquam confinxerit?

Illud tandem non est omittendum a nobis, propter hæresim Montanistarum nonnullos Patres aliquando asseruisse, Petro collatas fuisse claves, quatenus Ecclesiam repræsentabant. Montanistæ enim peccata in Ecclesia dimitti posse negabant: suum autem errorem inde quoque tuebantur, quia ligandi solvendique potestatem Petro collatam cum eodem interiisse defendebant. Nam Tertullianus Montanista jam factus, ab iis, quæ in *Scorpiaco* cap. 10. docuerat, recedens, *De Pudicitia* cap. 21. affirmavit, Petro *personaliter*, non vero Ecclesiæ, a Christo claves traditas fuisse. Quapropter ad re-

 fellen-

fellendos Montanistas inter ceteros Patres S. Augustinus sæpe docet, in Petro claves Ecclesiæ datas fuisse. Hinc *Tract.* 50. *in Joann.* num. 22. ita habet: " Nam si in Petro non esset Ec-
„ clesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo
„ claves regni cœlorum, quæcumque solveris in terra, so-
„ luta erunt & in cœlo, & quæcumque ligaveris in terra,
„ ligata erunt & in cœlo. Si hoc Petro tantum dictum est,
„ non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ
„ in terra ligantur, in cœlo ligantur, & quæ solvuntur in
„ terra, solvantur in cœlo..... Petrus quando claves acce-
„ pit, Ecclesiam sanctam significavit". *Sermone* 149. num. 7., alias 24. *De diversis*: " Petrus enim in multis locis Scriptu-
„ rarum apparet, quod personam gestat Ecclesiæ, maxime
„ illo in loco, ubi dictum est: Tibi trado claves regni cœlo-
„ rum. Quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata & in
„ cœlo; & quæcumque solveris in terra, erunt soluta & in
„ cœlo. Nunquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non
„ accepit? Petrus accepit, & Joannes, & Jacobus non ac-
„ cepit, & ceteri Apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia
„ claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? sed quoniam
„ in sanctificatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod
„ illi uni datum est, Ecclesiæ datum est. Ergo Petrus figu-
„ ram gestabat Ecclesiæ". Idem etiam in aliis locis tradit S. Doctor. Ex his vero constat, voluisse Augustinum, claves in Petro ab Ecclesia fuisse receptas, quatenus Petrus ob suum Principatum in illam, Ecclesiam ipsam repræsentabat. Usque modo de S. Augustino.

Vis potestatis etiam ad alios Apostolos transivit, ita tamen, ut in Petro omnium Apostolorum summo, teste S. Leone, principaliter permanserit: Epist. 12. ad Episcopos provinciæ Viennensis (1) cap. 1. " Hujus muneris (id est prædica-
„ tionis, inquit S. Leo) sacramentum ita Dominus ad om-
„ nium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissi-
„ mo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collo-
„ caverit, & ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in cor-
„ pus

(1) Juxta edit. Ballar.

„ puis omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse
„ Divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc
„ enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id, quod
„ ipse erat, voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus*, *& super*
„ *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ut æterni templi ædi-
„ ficatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate con-
„ sisteret". *Serm.* 4. cap. 2. (1) ita Christum cum Petro lo-
quentem inducit: " Quum ego sim inviolabilis petra, ego
„ lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamen-
„ tum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu
„ quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi
„ sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.
„ *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *& portæ in-*
„ *feri non prævalebunt adversus eam*. Super hanc, inquit, for-
„ titudinem æternum exstruam templum, & Ecclesiæ mane
„ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consur-
„ get". *Serm.* 62. cap. 2. affirmat, ideo Petrum in confes-
sione, Deo revelante, ceteros Apostolos præivisse, " Ut ad
„ regimen totius Ecclesiæ præparatus, primum disceret,
„ quod doceret, & pro soliditate fidei, quam erat prædica-
„ turus, audivit: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo*
„ *Ecclesiam meam*, *& portæ inferi non prævalebunt adversus*
„ *eam*". Verum hæc loca S. Leonis in medium produxisse
sufficiat, quamvis alia multa possemus.

Theophylactus in citato loco exponens illa verba: *Et ego dico tibi*, de Petro ita habet: " Remunerat Petrum Do-
„ minus, mercedem illi dans magnam, quod supra eum ædi-
„ ficavit Ecclesiam. Quia enim confessus erat eum Dei Fi-
„ lium Petrus, dixit, quod hæc confessio, quam confessus
„ est, fundamentum erit futurum credentium". Illud qui-
dem Theophylactus superaddit, remittendi, & ligandi potestatem habere eos, qui, sicut Petrus, gratiam Episcopatus assequuti sunt, atque etiam ceteris Apostolis claves concessas fuisse, licet soli Petro dictum fuerit: *Tibi dabo claves*.

Qua ergo ratione Petro remittendi, & ligandi potestas data

(1) Juxta eamdem edit.

data fuit, atque illi traditæ claves regni cœlorum, eadem etiam Apostolis,& Episcopis tam ligandi & solvendi potestatem concessam, quam claves commissas,hoc vero est,quod negamus, idque contra Febronium usque modo ostensum fuit a nobis.

Inter Homilias B. Eucherii, quæ tom. 2. Bibliothecæ Patrum recensentur, neque etiam inter Homilias ejusdem B. Eucherii, quas legimus appositas Operibus B. Theodori Studitæ in editione Antuerpiensi an. 1602. non extat Homilia *de Nativit. Petri*. Tam vero hoc in libro, quam tom. 2. Bibliothecæ Patrum duæ Homiliæ B. Eucherii leguntur *in Natale Ecclesiæ*, in quibus nihil tale occurrit, quale ex B. Eucherio Febronius refert.

Paschasius Ratbertus lib. 8. *in Matthæum* eo sensu super omnes Apostolos, & successores Apostolorum Ecclesiam ædificatam esse dicit, immo etiam super omnes Fideles, quatenus in Christo firmitatem habent: " Et notandum, (inquit) " quod tantum petra est unusquisque Fidelium, quantum " imitator est Christi, & tantum lux, quantum illuminatur " a luce. Ac per hoc tantum Ecclesia Christi super eos fun- " datur, quantum & ipsi firmantur a Christo. Unde non su- " per uno Petro, verum super omnes Apostolos, Apostolo- " rumque successores Ecclesia Dei ædificatur ". Hac ratione non solum Petrum esse Ecclesiæ fundamentum, nemo negat.

Hincmarus in citato loco inter alia, quæ ad rem quidem nostram, contra Febronium vero faciunt, hæc habet: " Sed ideo B. Petrus, qui Christum vera fide confessus, " vero est amore sequutus, specialiter claves regni cœlo- " rum, & Principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes " per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab uni- " tate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos " segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ja- " nuam possint regni cœlestis ingredi ".

Collationes Odonis Cluniacensis finem habent in lib. 3. tam in Bibliotheca Cluniacensi edita Parisiis an.1614., quam in tom. 3. Bibliothecæ Patrum. In capite autem 19. vel primi, vel secundi, vel tertii libri Odo Cluniacensis nihil minus

agit,

agit, quam de eo, quod Febronius vellet, uti constat ex duabus Editionibus illius, quas propriis oculis conspexi.

Petrus Blesensis juxta editionem Parisiensem an. 1667. *Serm.* 44. nihil eorum habet, quæ ad rem nostram, vel contra eam faciant. *Serm.* 28. explicans illa verba: *Tu es Petrus*, ait: " Petra siquidem erat Christus, suumque nomen com-
„ municat Petro, ut Petrus petra sit. Nam sicut a petra si-
„ tienti populo aqua in deserto profluxit; ita & a Petro, aliis
„ in fide arescentibus, salutiferæ fidei confessio emanavit.
„ Christus ascensurus in cœlum Petro suas oves pascendas
„ agnosqne commisit, atque post parvæ naviculæ regimen
„ eidem gubernaculum navis magnæ, id est totius Ecclesiæ
„ magisterium mancipavit ".

Gratianus *Causa* 24. *Quæst.* 1. Can. 6. ea habet, quæ nos modo retulimus ex S. Augustino *Tract.* 50. *in Joan.* num. 12. Quapropter quum jam exposuerimus, quo sensu S. Augustinus sit intelligendus, non est, cur nunc rem eamdem agamus. Canone 18. idem Gratianus ad Ecclesiæ unitatem adstruendam plura in medium adducit ex libro S. Cypriani *De Unitate Ecclesiæ*. Quia vero Gratianus S. Cypriani locum non eo modo in medium producit, quo apud eumdem S. Cyprianum legitur, nos hic illum exscribemus, prout in Sancto Martyre legitur: ex quo sane duo unicuique constare debent, hoc est, ceteros Apostolos fuisse in dignitate, & auctoritate Apostolatus Petro æquales, eo autem inferiores, si tum Primatus, tum Fundamenti Ecclesiæ ratio habeatur. " Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi,*
„ *quia tu Petrus &c.* Et iterum eidem post resurrectionem
„ suam dicit: *Pasce oves meas*. Super illum unum ædifica-
„ vit Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.
„ Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam
„ parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pa-
„ ter, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, si cu-
„ jus remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenue-
„ ritis, tenebuntur; tamen ut unitatem manifestaret, uni-
„ tatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctori-

„ tate

„ tate disposuit. Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod „ fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & pote- „ statis; sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus „ Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una „ monstretur .... Qui Ecclesiæ renititur, qui cathedram „ Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Eccle- „ sia se esse confidit "? Hæc ex S. Cypriano nunc retulisse sufficiat, ut constet, ipsum quoque contra Febronium facere, tuerique & super unum Petrum Ecclesiam ædificatam, & Primatum Petro datum ob Ecclesiæ unitatem, & cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deseri non posse, quin Ecclesia deseratur; quamvis aliunde omnes Apostoli, si ad Apostolatum attendatur, pari consortio & honoris, & potestatis præditi essent. Verum de mente S. Cypriani alibi fusius agemus.

Distinct. 21. *Can.* 2. Gratianus *Pontificatum in Ecclesia* uni Petro tribuit, idque facit eorum verborum auctoritate ductus: *Tu es Petrus &c.*: illud quoque tradit Apostolos, *pari consortio* cum Petro *honorem*, *& potestatem* accepisse. Hæc tamen, semel ac Petrus Pontificatum in Ecclesia acceperit, ad Apostolatum referantur oportet, uti ex se constat. Gratianus ex Anacleto Papa ad Episcopos Italiæ epist. 2. hunc Canonem accepit: unde a Febronio quærimus, cur nunc ipse cum Gratiano utatur auctoritate falsarum Decretalium, contra quas ubique tantopere declamat.

Cajetanus in *Tractat. De Auctoritat. Papæ*, *& Concilii*, postquam nonnulla sibi opposuit, ad quæ sane tantum Febronius appellare potest, illud ostendit, ea Christi verba: *Dic Ecclesiæ* cum sensum in se nullo modo continere, quem iisdem Adversarii nostri tribuunt. Etiam rem istam nos inferius expendemus.

§. VI. Illis verbis: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* Petro in universam Ecclesiam supremam præfecturam Christum promisisse, Sanctorum Patrum traditio confirmat.

Quamvis id perspicuum sit ex multis locis Patrum,

quæ

quæ ſupra retulimus; tamen in ejuſdem rei confirmationem tum ex Græcis, tum ex Latinis Patribus hæc alia ſuperaddenda cenſemus. " Petrus, (inquit Origenes apud Euſe-
„ bium *Eccleſiaſticæ Hiſt.* lib.6. cap. 25.) cui tanquam fun-
„ damento ſuperextructa eſt Eccleſia Chriſti, adverſus quam
„ nec ipſæ inferorum portæ prævaliturae ſunt ". S. Baſilius in cap.2. *Iſaiæ* num.66. " Unus ex his montibus erat & Pe-
„ trus, ſupra quam petram pollicitus fuerat Dominus ſuam
„ ſe ædificaturum Eccleſiam ". S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 26. " Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, ma-
„ gnis utique omnibus, & excelſis, atque electione dignis,
„ hic (Petrus) quidem petra vocetur, & in fidem recipiat
„ Eccleſiæ fundamenta ". S. Epiphanius *Hæreſi* 39. num.7.
„ Princeps Apoſtolorum Petrus, qui quidem ſolidæ petræ
„ inſtar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides
„ innititur, ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa
„ eſt ". S. Cyrillus Alexand. lib.2. *in Joannem* cap.1. " Si-
„ monem eum non jam vocari patitur, eum ſibi pro ſua
„ poteſtate jam tunc ut ſuum vendicans, ſed congrua ſi-
„ militudine Petrum a petra vocari placuit, puta ſuper quem
„ fundaturus erat ſuam Eccleſiam ". Tertullianus lib. *De Præſcript. adverſ. Hæreticos* cap.22. " Latuit aliquid Petrum
„ ædificandæ Eccleſiæ petram dictum " ? S. Cyprianus ep.73.
„ Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Ec-
„ cleſiam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit,
„ poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cœlis, quod
„ ipſe ſolviſſet in terris ". S. Petrus Chryſologus *Serm.* 154.
„ Petrus a petra nomen adeptus eſt, quia primus meruit
„ Eccleſiam fidei firmitate fundare ". Sanctus Leo Magnus *Serm.* 2. in Anniverſario Aſſumptionis ad Pontificatum:
„ Manet diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta forti-
„ tudine petræ perſeveravit, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacu-
„ la non reliquit: ſic enim præ ceteris eſt ordinatus, ut
„ dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur ...
„ qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa appella-
„ tionum ejus myſteria noſceremus ". S. Thomas *In Matt.* 16.

caput: " Super hanc petram, id est super te petram; quia
„ a me petra tu trahis, quod sis petra. Et sicut ego sum
„ petra; ita super te petram ædificabo ". Patrum ergo consensione constat, Petrum inter omnes Apostolos illum unum fuisse, super quem ut primum præcipuumque fundamentum Christus Ecclesiam ædificandam promisit. Quum vero moralis ædificii ratio hìc habenda sit, moralisque ædificii fundamentum in eo reponendum sit, qui inter ceteros omnes & dignorem locum obtinet, & cum auctoritate eisdem præest; consequens inde fit, supremam præfecturam in universam Ecclesiam S. Petro promissam a Christo fuisse, constare etiam ex consensione Patrum.

§. VII. De suprema præfectura S. Petri in universam Ecclesiam constat etiam ex Evangelio *Lucæ* cap. 22. v. 31. & seq.

Christus *Matthæi* cap. 16. Petro futurum spoponderat, ut & lapis ille esset, super quem singulariter Ecclesia erigeretur, & claves regni cœlorum reciperet, quibus solutum, aut ligatum esset in cœlis, quidquid iisdem solveretur, aut ligaretur in terris. Quum vero appropinquaret tempus, quo promissio facta implenda esset, alia de re Petrum certiorem fecit, quæ cum ea suprema præfectura, quam illi in universam Ecclesiam promiserat, necessario conjungi debebat, ne vera Ecclesiæ fides deficere unquam posset. Rem totam expendamus. Quum ergo Christus, facta cœna, adstantibus Apostolis, futurum promisisset, ut in suo regno sederent judicantes duodecim tribus Israel, ad unum Petrum, iisdem Apostolis præsentibus, conversus ita illum affatus fuit: " Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi
„ pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando con-
„ versus confirma fratres tuos ". Omnes Apostolos a tentatione satanæ appetendos Christus Dominus dicit; pro uno tamen Petro se rogare affirmat, ne deficiat fides illius, atque ut confirmet in fide fratres, uni tantum Petro committit: igitur etiam Apostoli in eorum fratrum numero fuerunt, qui a Petro in fide confirmandi erant: itaque, ne exce-

exceptis quidem Apostolis, cura confirmandi fratres in fide uni Petro commissa fuit. At vero Ecclesia recta fidei doctrina consistit: ille ergo unus, qui munus in fide confirmandi omnes fratres sibi demandatum habet, supremum super universam Ecclesiam præfecturam gerit: ex Evangelio itaque Lucæ cap.22. v.31. & sequenti constat de suprema præfectura S. Petri in universam Ecclesiam. " Vide namque (inquit S. Joannes Chrysostomus *in Acta Apostol. Homil.3.* num.3.) centum viginti erant, & unum postulat ab omni multitudine; & jure quidem primus auctoritatem habet in negotio, cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ". S. Leo *Serm.3.* cap.3. (1) explicans præcitata verba Lucæ inquit: " Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur ". Theophylactus in cap.22. *Lucæ* explicans ista verba: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, ait: " Planus hujus intellectus is est, quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam, negato me, fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum. Intellexerit autem quis, non solum de Apostolis dictum, quod confirmati fuerint a Petro, sed de omnibus, qui usque ad consummationem seculi futuri sunt Fideles ".

§. VIII. Supremam præfecturam supra universam Ecclesiam *Matthæi* cap.16. sibi promissam, & *Lucæ* cap.22. confirmatam, Petrus a Christo recepit, quando, ficuti *Joannis* cap.21.

(1) *Juxta edit. Cacciarii.*

cap.21. legitur, oves, & agnos pascendi curam illi commisit idem Christus.

S. Gregorius Magnus epist. lib.5. Indict.13. epist.20., alias 32., scribens ad Mauricium Imperatorem ita habet: „ Cunctis enim Evangelium scientibus liquet, quod voce „ Dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi „ Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe „ dicitur: *Petre amas me? pasce oves meas*. Ipsi dicitur: *Ec-* „ *ce satanas expetiit cribrare vos sicut triticum; & ego pro* „ *te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando* „ *conversus confirma fratres tuos*. Ipsi dicitur: *Tu es Petrus,* „ *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ* „ *inferi non prævalebunt adversum eam: & tibi dabo claves* „ *regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit* „ *ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram,* „ *erit solutum & in cælis*. Ecce claves regni cœlestis acce- „ pit, potestas ei ligandi, ac solvendi tribuitur, cura ei „ totius Ecclesiæ, & principatus committitur". Hujus ergo Sancti Doctoris vestigiis nunc insistentes, ex priori illo oco S. Joannis supremam præfecturam S. Petri in universam Ecclesiam ostendendam aggredimur, quoniam rem eamdem jam perfecimus, habita ratione aliorum duorum locorum S. Matthæi, atque S. Lucæ.

Quum ergo Petrus, Thomas, Nathanael, filii Zebedæi, & alii duo discipuli simul essent, atque ad piscandum sese contulissent; Jesus redivivus a mortuis, facto mane, coram eis stetit in littore. Ab illis ergo quæsivit, utrum pulmentarium haberent, & quum intellexisset, quod nullum haberent, qua parte maris retia tendere deberent, eis ostendit. Paruerunt illi cito, factumque inde fuit, ut piscium magnam multitudinem ceperint, atque ex eis postea cum Christo discumbentes comederint. " Quum ergo pran- „ dissent (ita cit. cap. *Joannis* v.15.) dicit Simoni Petro Je- „ sus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam, „ Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos „ meos". Hanc autem interrogationem Jesus iterum ite-

„ rum-

rumque Petro fecit, a quo quum eamdem responsionem semper accepisset, etiam secunda vice, sicuti in prima fecerat, illi præcepit, ut suos agnos, in tertia autem ut suas oves pasceret. Nullus hìc quoque est dubitandi locus, quin hisce verbis Christus Petrum singulariter alloquutus fuerit, iisdemque etiam singulariter Petro commiserit, quod aliis adstantibus discipulis nullo modo commisit. Nam omnes quidem discipulos, qui tunc simul aderant, Christus ad prandium vocavit, omnibusque etiam panem, & piscem ipse porrexit. At vero quando de suprema suorum agnorum oviumque cura alteri committenda agere cœpit; tunc sane sibi tantum cum Petro rem esse, qua fieri majori evidentia poterat, ostendit. Nam Petrum proprio nomine vocans, & eo quidem, quo ipsum compellaverat, quando super illum se Ecclesiam ædificaturum promisit, ab eo quæsivit, utrum ipsum diligeret plus, quam ceteri. Ad hæc sane Petrus inquit: " Etiam, Domine, tu scis, quia amo te ". Iterum vero iterumque eamdem interrogationem Christus fecit Petro, & Petrus unum idemque semper respondit. Ad Petrum ergo tantum singulariter dictum a Christo fuisse: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*; qui negaverit, is sane non video, quidnam tandem negare non possit.

Modo ergo videamus, quid potestatis hisce verbis: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, Christus Petro contulerit. Profecto quum Christus *Matthæi* cap. 16. Petro promiserit, suam super eum Ecclesiam se ædificaturum, veluti supra præcipuum, omniumque primum fundamentum, eique se daturum claves regni cœlorum, quibus quidquid in terris ligaret, aut solveret, in cœlis quoque ligatum, aut solutum futurum esset: & *Lucæ* cap. 22. ipsum Petrum certiorem fecerit, se rogasse, ut non deficeret fides illius, atque etiam ei præceperit, ut aliquando suos fratres in fide confirmaret; dicendum est, hisce verbis: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*, eam Petro potestatem a Christo collatam fuisse, quæ requirebatur, ut exequeretur, quod debebat juxta promissiones sibi factas *Matthæi* cap. 16., & *Lucæ* cap. 22. At vero

vero ut primum præcipuumque Ecclesiæ fundamentum esset, ut omnia solvendi atque ligandi, prout primo Ecclesiæ fundamento convenit, potestatem haberet, ut propter fidei suæ indefectibilitatem ceteros omnes in fide solidaret, atque confirmaret, illud necessario requirebatur, ut supremam in universam Ecclesiam præfecturam haberet: hæc ergo est, quæ Petro promissa fuit cap.16. *Matthæi*, confirmata *Lucæ* cap.22., & collata prædictis verbis *Joannis* cap.21.

Et re quidem vera agni, & oves totum ovile componunt: quotquot ergo ad Ecclesiam pertinent, Petro pascendi traditi fuere: pastor autem ovibus agnisque pascendis cum auctoritate, atque potestate præficitur: præfecturam ergo, & eam quidem potestatis, & auctoritatis super omnes oves, & agnos Petrus recepit: omnes oves, atque omnes agni totam Ecclesiam componunt: recepisse ergo Petrum oportet supremam præfecturam in universam Ecclesiam.

§. IX. Etiam a SS. Patribus traditum habemus, illis verbis *Joannis* cap.21. *Pasce agnos meos: Pasce oves meas* supremam præfecturam in universam Ecclesiam Petro collatam fuisse.

S. Basilius in *Monasticis Constitut.* cap.2. num.5. ita habet: " Atque hoc ab ipso Christo edocemur, qui post se „ Petrum pastorem Ecclesiæ suæ constituit. Petre enim, in„ quit, diligis me plus his? pasce oves meas ". Justinus Febronius *De statu Ecclesiæ &c.* cap.1. §.3. num.1. urget contra nos una cum prædictis verbis hæc alia Basilii sequentia verba: " Atque etiam omnibus futuris pastoribus, ac ma„ gistris eamdem potestatem tribuit ": Unde contendit, quæ Christus de grege pascendo Petro dixit, spectare ad omnes Ecclesiæ pastores. Verum suæ Ecclesiæ pastorem universe, atque generatim Petrum a Christo relictum fuisse dicit S. Basilius; qui quidem Petrus, uti idem S. Basilius habet in lib. 2. *Adversus Eunomium* num.4. " Quoniam fide „ præstabat, Ecclesiæ ædificationem in se recepit ": qui, inquam, fuit " Omnibus discipulis prælatus, cui soli ma-

„ jora

„ jora data, quam aliis, testimonia, qui prædicatus est bea„ tus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt“, auctore eodem S. Doctore in *Proœmio de Judicio Dei* num.7. Quapropter dum dicit, eamdem potestatem pascendi tributam etiam aliis, hic est sensus hujusmodi verborum juxta mentem illius, ut pascendi potestas etiam ad alios extendatur, non tamen quod conferatur omnibus eodem modo, quo Petro collata fuit.

S. Joannes Chrysostomus explicans prædicta verba Joannis *Homil.*88. *in Joannem*, alias 87., num.1. “ Et cur, aliis „ prætermissis, (inquit) de his hunc alloquitur? Eximius „ erat inter Apostolos, os discipulorum, & cœtus illius ca„ put. Ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul „ ostendens ei oportere deinceps fidere, quasi abolita ne„ gatione, fratrum ei præfecturam committit; neque nega„ tionem commemorat, aut exprobrat. Dicit autem, si „ amas me, fratrum præfecturam suscipe, & ferventem „ illum amorem, quem semper exhibuisti, & de quo exul„ tabas, nunc ostende“. Febronius citato loco ad probandum, quod sibi proposuit, hæc ex S. Joanne Chrysostomo *Homil.*47. *in Matt.*, alias 48., num.6. in medium adducit: „ Neque ad Sacerdotes tantum id dictum fuit, (hoc est: „ pasce oves meas) sed ad nostrum singulos, quibus vel „ minimus grex commissus sit“. At hoc loci S. Joannes Chrysostomus commendat exercitium charitatis erga proximum, atque in rem istam, præter alia, illud quoque Christi ad Petrum: *Petre amas me? pasce oves meas*, profert ad ostendendum Christi voluntatem esse, ut in spirituale bonum aliorum cooperemur, indeque colligit, non solum a Petro Christum exegisse, ut oves pasceret, sed etiam ab aliis, qui earum curam habent. Ita etiam *Homil.*71. *in Matt.*, alias 72., num.1. illa Christi verba: *Pasce oves meas* affert ad excitandam charitatem erga proximum, sicut etiam *Homil.*66., alias 67., num.3. Verum hæc explicatio cum altera ex Chrysostomo a nobis allata simul perbelle consistit; stare autem simul nullo modo potest illa prior Chry-

sostomi

ſoſtomi explicatio cum eo, quod Febronius ex eodem Chryſoſtomo contendit.

S. Ambroſius *Expoſit. in Lucam* num.175. inquit: "Et „ ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus ante- „ fertur". Febronius in eodem loco hæc ex S. Ambroſio in medium adducit, atque, uti ipſe dicit, ex ejus lib. 2. *De Dignitate Sacerdotali* cap.2. "Repetitum eſt ter a Domi- „ no: Paſce oves meas. Et quas oves, & quem gregem „ tunc Beatus ſuſcepit Petrus? Sed & nobiſcum eas ſuſce- „ pit, & cum eo illas nos ſuſcepimus omnes". Illud Opuſculum S. Ambroſii non eſſe, certum eſt, ac propterea inter opera illius ſuppoſititia Maurini Patres recenſuerunt. Hujuſmodi ergo Opuſculi 2. cap. leguntur ea quidem, quæ Febronius in medium adducit: attamen nihil minus ex eis colligi poteſt, quam quod Febronius vellet. Opuſculi ergo Auctor de dignitate Epiſcoporum ſupra Principes eo loci agit, atque multitudinem gentium curæ Præſulum commiſſam fuiſſe, verbis illis probat: *Paſce oves meas*; & poſt ea, quæ Febronius ex ipſo refert, hæc ſuperaddit: "Unde „ quia regendæ Sacerdotibus contraduntur, merito recto- „ ribus ſuis ſubdi dicuntur". Quid? anne fortaſſe inferri non poteſt ex illis verbis: *Paſce oves meas* multitudinem gentium commiſſam eſſe curæ Præſulum? vel ſi id inferatur, S. Petrum e ſuprema præfectura paſcendarum ovium deturbetur oportet? In cujuſnam tandem mentem id venerit?

S. Auguſtinus *Serm.*137., alias 49. *De Diverſis*, n.3. „ Dicit Petro, in quo uno format Eccleſiam: Petre amas „ me"? *Serm.*147., alias 24. *De Sanctis*, num.2. explicans illa verba: *Simon Joannis diligis me plus his*? ita habet: "Per „ ſingula enim dicebat Dominus Jeſus Petro dicenti: *Amo* „ *te*: *paſce agnos meos*: *paſce oviculas meas*. In uno Petro fi- „ gurabatur unitas omnium paſtorum, ſed bonorum, qui „ ſciant oves Chriſti paſcere Chriſto, & non ſibi". *Serm.* 296., alias 108. *De Diverſis*, num.4. "Non enim (inquit) „ inter diſcipulos ſuos ſolus meruit paſcere Dominicas oves: „ ſed

„ sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commen„ datur; & Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est pri„ mus". Hic ultimus locus ille est, ex quo Febronius S. Augustinum in suam partem trahit, vocemque illam *solus* esse animadvertendam monet: quasi vero Petrus si non fuerit solus in cura pascendarum ovium, supremus esse non potuerit. Quapropter etiam alii hujusmodi curæ participes facti fuere; verum S. Petrus inter eos supremus extitit, quia in eo *uno* Christus formavit Ecclesiam. Quia vero in eo *uno* Christus Ecclesiam formavit, atque ipsa Ecclesia pastoribus, uti sui nobiliori parte, constat, inde dixit S. Augustinus in Petro figuratam, atque commendatam unitatem pastorum, ac propterea ei *primitus*, quia Apostolorum *primus* curam pascendi universum gregem commissam fuisse.

S. Leo *Serm.* 72. cap. 2. (1) " In his per insufflationem „ Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, „ & B. Apostolo Petro supra ceteros post regni claves ovi„ lis Dominici cura mandatur". S. Gregorius *Epistol.* lib. 7. Indict. 15. epist. 4. " Et Pastori Sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Si„ mon Joannis amas me? Pasce oves meas*". Et epist. 40., alias 37. " Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apo„ stolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem „ mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? „ cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* „ Cui rursus dicitur: *Et tu aliquando conversus, confirma „ fratres tuos*. Iterumque: *Simon Joannis amas me? Pasce „ oves meas*. Itaque quum multi sint Apostoli, pro ipso ta„ men principatu sola Apostolorum Principis sedes in au„ ctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est". Sanctus Bernardus lib. 2. *De Consideratione* cap. 8. num. 15. „ Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolo„ rum, sic absolute, & indiscrete totæ commissæ sunt oves? „ Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel „ illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? „ Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse ali„ quas,

(1) Juxta editionem Cacciari.

„ quas; sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distin-
„ guitur nihil". S. Bruno Astensis *Sermone in Vigilia Sancti Petri*. " Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia
„ non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit
„ filios, pascit & matres: regit & subditos, & Prælatos.
„ Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oves
„ nihil est". Patrum ergo unanimi consensione traditum habemus, illis verbis *Joan.* cap. 21. *Pasce agnos meos: Pasce oves meas* supremam præfecturam in universam Ecclesiam Petro collatam fuisse.

Hic facere non possumus, quia animadvertamus, omnibusque animadvertendum proponamus, dogma istud de suprema præfectura S. Petri in universam Ecclesiam tam multiplici, tam manifesta, atque evidenti verbi Divini tum scripti, tum traditi auctoritate confirmatum esse, ut nihil supra desiderari possit. De eo enim summa cum evidentia constat ex sensu litterali trium locorum Sacræ Scripturæ, ut alia nunc omittamus, eaque solum commemoremus, de quibus nos egimus, hoc est *Matthæi* cap. 16., *Lucæ* cap. 22., & *Joannis* cap. 21. Sancti vero Patres in eorumdem explicatione locorum litteralem illum sensum non solum probant, atque sequuntur, sed etiam quam maxime urgent, atque ex eo nostrum fidei dogma eruunt. Non solum autem dum Sacras Litteras exponunt supremam S. Petri in universam Ecclesiam præfecturam tuentur, sed etiam eamdem tunc quoque propugnant, quando occurrit, ut de Ecclesiæ regimine agant, ejusque capite sermonem habeant. Quapropter & evidentissima est de hoc dogmate fidei Divinarum Scripturarum auctoritas, & Sanctorum Patrum apertissima traditio. Nam quod ex Sacræ Scripturæ litterali sensu constat, magis evidenter ex ea constare non potest: aliunde autem ex duplici capite, quod sane utrumque ad fidei dogma constituendum per se sufficit (1), Patrum traditionem de hoc fidei dogmate compertam habemus, hoc est, tum ex eorum mutua consensione in expositi-

(1) Lib. 15. cap. 4. §. 2. & 5.

positione Divinarum Scripturarum, tum etiam ex unanimi doctrina de hoc fidei dogmate, quam in suis omnibus operibus expressam reliquerunt, quando occasio tulit, ut de ea sermonem haberent. Mirandum ergo non est, si Thomas Morus, longo adhibito examine, & sedula diligentia impensa, novit, atque confessus fuit, hoc fidei dogma tale esse, ut & firmissime constabilitum sit, & reliquorum sit fundamentum, atque basis (1).

CAPUT II.

DE SUPREMA LEGISLATIVA POTESTATE, QUÆ PETRO VISIBILI ECCLESIÆ CAPITI COLLATA FUIT.

§. I. Potestas legislativa, quæ regat nunc homines quoad ea omnia, quæ sunt Divini cultus, futurumque vitæ bonum respiciat, suum etiam in lege naturæ fundamentum habet.

Quamvis naturali ratione sint præditi homines, eaque per se videre possint, quid unus alteri reddere, quid singuli omnibus universim acceptis referre debeant; tamen rectæ rationi consentaneum est, constitui civiles leges, quibus in his quoque dirigantur (2): potiori ergo jure recta ratio exigit, esse hominibus leges sancitas, quibus in consequutione æternæ felicitatis dirigantur, quamvis ex Divina Lege, quid credere, & agere ad eam assequendam debeant, cognoscere possint. An res ista non est longe majoris momenti, quam sit hujus vitæ pax, & communis tranquillitas? immo nonne hujus vitæ pacem, & tranquillitatem, in sui pretio, atque æstimatione infinite excedit? Hujus deinde vitæ pax, & tranquillitas communis, semel amissa recuperari potest; non vero alterius vitæ felicitas. Hinc autem est, ut etiam Ethnici ducti lumine rationis quosdam apud se constituerint, qui rem Divi-

(1) Vide Petrum a Soto in *Defensione Catholicæ Confessionis de una, & visibili Ecclesia necessario agnoscenda* cap.78., cujus locum nuper Soldatus retulit in *Exercitatione De Suprema Rom. Pont. in universam Ecclesiam potestate*. (2) Lib.16. cap.1. §.1. & seq.

Divinam regerent, atque moderarentur, omnesque alios quoad ea omnia gubernarent, quæ ad Divinum cultum spectant. Quo enim principio supremum aliquod Numen a se colendum esse viderunt, eodem quoque perspexere, hujusmodi cultum potestate aliqua regi oportere.

His accedit, ipsa ratione compertum esse, duplicem dari oportere potestatem legislativam, unam, quæ præsentis, alteram, quæ futuræ vitæ commune bonum respiciat (1): non est ergo dubitandum, quin potestas legislativa, quæ regat nunc homines quoad ea omnia, quæ sunt Divini cultus, futurumque vitæ bonum respiciat, suum etiam in lege naturæ fundamentum habeat.

§. II. Ut quoad hanc potestatem Christus suæ Ecclesiæ prospiceret, quam convenientissimum fuit.

Ecclesia ex sui conditione præ quævis alia republica visibili capite indiget tum ad publicam proscriptionem eorum, quæ contra rectam fidem, atque bonos mores disseminata fuisse novimus, semperque disseminari possunt, tum ad componendas dissensiones, quæ animos Christianorum, licet colentium unam fidem easdemque regulas morum, a se invicem alienos tenuerunt, aut aliquando tenebunt (2). Ad hæc autem peragenda necessaria est in visibili Ecclesiæ capite legislativa potestas. Nam legislativa potestate tantum indici potest omnibus, qui ubique gentium, qua late patet Ecclesia, versantur, quid in fidei rebus sentiendum, quid servandum, habita ratione honestatis mornm, in quo una cum aliis conveniendum sit in eis, quæ ad disciplinam universalem spectant. Convenientissimum ergo fuit, ut sua Deus in Ecclesia talem legislativam potestatem poneret, qua homines quoad ea omnia regerentur, quæ sunt Divini cultus, futurumque vitæ bonum respiciunt.

§. III. De suprema legislativa potestate super universam Ecclesiam, quam Christus Petro contulit, constat ex iis, quæ leguntur *Matthæi* cap. 16. v. 19. & seq.

Christus illis verbis, quæ *Matthæi* cap. 16. leguntur, supre-

(1) Cit. loco §. 4. (2) Lib. 17. cap. 1. §. 4. & 5.

supremum Ecclesiæ caput Petrum se constituturum spopondit, idque & sensus litteralis verborum manifeste præsefert,& aperte confirmat communis consensio Patrum tam in eorumdem explicatione verborum, quam dum de Ecclesiæ regimine agunt; qui propterea tuentur, supremam in universam Ecclesiam præfecturam illis verbis: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Christum Petro promisisse (1). Præstitit Christus quod promisit, sicuti jam ostendimus (2), atque illud non præstare non poterat, semel ac promiserat. At vero legislativa potestas cum hac ratione supremi capitis, supremaque præfectura super universam Ecclesiam, ita conjungitur, ut neneque vera ratio supremi capitis, neque vera suprema præfectura sine illa haberi possit. Potestas enim supremi capitis, ejusque suprema præfectura ad omnem Ecclesiam extendenda erat. Ecclesia vero ubique locorum diffundi debebat, & gentes omnes, atque nationes in sui unitatem recipere. Supremum igitur Ecclesiæ caput, sola legislatione eam regere, & gubernare poterat, solaque legislatione suus supremæ præfecturæ in universam Ecclesiam locus esse potuit. Multitudo enim hominum legibus regatur oportet, & tunc sane vel maxime, si ea ubique locorum diffundatur. Nihil ergo magis unum cum altero conjunctum esse potest, quam sit legislativa potestas cum suprema illa præfectura, quæ jurisdictionem continet: at vero de hac constat ex *Matthæi* loco cap. 16. ergo ex eodem loco & de ista non constare non potest.

Deinde ipsa conditio hominum in Ecclesiam congregatorum requirebat, ut in eadem Ecclesia esset quædam suprema legislativa potestas (3): ea autem supremo Ecclesiæ capiti conferenda profecto fuerat: si enim alteri collata fuisset, illud esse supremum desiisset: Petrus ergo quum singulariter fuerit supremum istud caput, sicut jam ex Matthæi citato loco ostendimus; eum, quatenus supremum Ecclesiæ caput a Christo constitutus fuit, supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam recepisse oportet.

§. IV.

(1) De his omnibus superiori cap. §.1. & seqq. (2) Cit. cap. §.7.
(3) Hujus cap. §.2.

§. IV. De ſuprema legiſlativa poteſtate in univerſam Eccleſiam, quam Chriſtus Petro contulit, conſtat etiam ex verbis *Lucæ* cap. 22. v. 31. & ſeq.

Ex verbis Lucæ compertum habemus ſupremam præfecturam ſuper univerſam Eccleſiam Chriſtum Petro tradidiſſe, quia ex iiſdem novimus, Chriſtum pro fide ſingulari Petri rogaſſe, eique ſingulariter demandaſſe munus, omnes, nemine excepto, confirmandi in fide fratres (1): cum poteſtate vero confirmandi in fide fratres, ſuprema legiſlativa poteſtas ita connexa eſt, ut ab ea nullo modo disjungi poſſit. Quandoquidem fieri non poterat, ut Petrus unumquemque in fide nutantem ſine ulla auctoritate moneret, & in ſemel ſuſcepta veritate fidei confirmaret. Sui ergo officii partibus ut fungeretur, publica in eo auctoritas quoad rem iſtam requirebatur, qua & definiendum erat, quidnam ad rectam fidem ſpectaret, ſi quando de rebus fidei inter fratres aliqua controverſia oriretur, & ſtatuendum, quid honeſtati morum juxta præſcriptionem Evangelicæ legis conveniret, & amputandi ab Eccleſia, atque plectendi, qui obſtinate in errore perſiſterent, & cetera omnia diſponenda, quæ ad Dei cultum referuntur. Nihil autem horum eſt, quod ſine legiſlativa poteſtate perfici poſſit. Legiſlativa ergo poteſtas cum ea auctoritate confirmandi in fide fratres, quam Petrus accepit, ita conjuncta eſt, ut ab illa nullo modo disjungi poſſit: ex verbis itaque Lucæ conſtat de ſuprema legiſlativa poteſtate, quam Chriſtus contulit Petro.

§. V. De ſuprema legiſlativa poteſtate, quam Chriſtus Petro contulit, eſt perſpectum ex verbis *Joannis* cap. 23. v. 15. & ſeq.

Petrum ſupremam præfecturam ſuper univerſam Eccleſiam a Chriſto recepiſſe, ex iiſdem verbis inde colligitur, quia cura paſcendi omnes agnos, & omnes oves illi ſingulariter commiſſa fuit (2): ovium autem non irrationalium, ſed rationalium paſcendi curam Petrus accepit, & talem quidem curam, quæ omnes oves, omneſque agnos in Eccleſia contentos

(1) Cap. ſuperior. §. 6. (2) Super. cap. §. 7. & ſeq.

tos compleceretur: in hac ergo cura legislativam potestatem contentam fuisse oportet. Nam institutione, atque præceptis oves rationales pascendæ sunt in iis, quæ ad earumdem spiritualem utilitatem conducunt. Hæc autem institutio, atque præcepta, si extendantur ad omnes; si ad multiplices variosque errores, qui ubique gentium contra veram rationem fidei, rectamque institutionem morum oriri possunt, referantur; si ea omnia respiciant, quæ ad bonum totius Christianæ Reipublicæ spectant, aut spectare possunt; lata lege, ferri debent, & ea quidem lege, quæ a legitima potestate proveniat, cui omnes subesse debeant. Cum ea ergo cura pascendi agnos, & oves, quam Petro traditam fuisse *Joannis* cap. 21. v. 15. & seq. legimus, suprema quoque legislativa potestas oportet, ut conjungatur, ac propterea etiam de ista ex verbis Joannis omnino compertum habemus.

§.VI. Etiam Apostoli legislativa potestate præditi fuerunt.

Apostolatum esse præcellentissimam in ordine Ecclesiastico dignitatem S. Thomas *Lect.* 3. in cap. 1. epist. *ad Romanos* ostendit ex illo *I. Corinth.* cap. 12. v. 28. " Et quosdam qui„ dem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos ". Unde inquit idem S. Doctor, " Apostolus autem idem est, „ quod missus: sunt enim a Christo missi, quasi ejus aucto„ ritatem, & vicem gerentes: *Joan.* 20. 21. *Sicut misit me* „ *Pater*, *& ego mitto vos*, id est cum plenitudine auctorita„ tis. Unde ipse Christus Apostolus nominatur *Hebræor.* 3. 1. „ *Considerate Apostolum*, *& Pontificem Jesum Christum*. Unde „ & per ipsum, tamquam per principalem Apostolum, sive „ missum, alii sunt secundario Apostolatum consequuti. „ *Lucæ* 6. 13. *Elegit duodecim*, *quos & Apostolos nominavit* ". Hinc vero est, ut Patres, Doctores, Gubernatores, Rectores, Pastoresque Ecclesiæ primi vocati fuerint Apostoli a Sancto Augustino *Enarrat.* in *Psal.* 45. num. 22., a S. Joanne Chrysostomo in *Psal.* 44. num. 12. & 13., a S. Gregorio Magno par. 2. *Pastoral.* cap. 4., & a S. Cypriano lib. *De Unitate Ecclesiæ*, atque etiam S. Joannes Chrysostomus *De Utilit. lect. Script.* num. 3. Apostolatum consulatui similem facit, qui sane

ne omnibus aliis Magistratibus praecellit. Sunt profecto etiam Apostoli fundamentum, super quod Ecclesia extructa fuit, quemadmodum Apostolus *Ephesior.* cap. 2. v. 20. nos monet: Apostolis futurum esse promissum fuit, ut quaecumque in terra ligarent, aut solverent, ligata, aut soluta essent & in coelo (1), oviumque curam etiam eis Christus commisit. Cum his autem omnibus legislativa potestas conjuncta sit oportet. Nam Apostolorum tota auctoritas ad id comparata erat, ut semel ac gentes, & populos ad Evangelii veritatem amplectendam induxissent, illos quoad omnia regerent, atque moderarentur, quae ad Christianam Religionem spectarent, eisdemque praeessent. Hoc autem sine legislativa potestate perfici non poterat, quum non jam parvi cujusdam coetus, sed multarum gentium, atque etiam inter se longe dissitarum rectores, & moderatores fuerint. Ipsorum deinde erat, pro ratione sui muneris, Ecclesiarum dissensiones componere, earum profectui providere, abusus, si qui insurgebant, ab eis tollere, aliaque multa hujus generis facere, ad quae legislativa potestas necessario requiritur. Quapropter, sicuti Mauclerus monet *De Monarchia Ecclesiast.* 2. par. lib.4. cap.9. „ Apostoli juxta suae a Christo Domino traditae dignitatis „ amplitudinem Episcopos, & Presbyteros Ecclesiis praefecerunt, qui greges Domini in diversis mundi partibus habitantes suae fidei disciplinaeque creditos sacro doctrinae „ Evangelicae cibo, sacramentorumque dispensatione fideliter alerent, ac nutricarentur, ut ex *Actibus* notum est. „ Ipsi Ecclesiarum principes, & primi jura Ecclesiae tradiderunt, & judiciorum exercitatione sancte religioseque „ tradita corroborarunt, & corroborata sua auctoritate recta judicandi forma, legumque vigore constituto, sanctificaverunt: nec ab ullis institutis, legibusque publicandis abstinuerunt ". Quin ergo cum Apostolatu legislativa potestas connexa fuerit, dubitari non potest.

§. VII. Apostoli usi fuerunt legislativa potestate, quae vim etiam coactivam in se haberet.

Quum

(1) *Matt.* cap.18. v.18.

Quum sanctio legis in comminatione pœnarum singulari quadam ratione poni debeat, inde consequitur, ut legitima, atque vera legislativa potestas vim coactivam sibi necessario connexam habeat (1). Quapropter ut de legislativa auctoritate Apostolorum semper magis magisque constet, illos vi coactiva in sua legislatione usos fuisse, nunc ostendendum aggredimur. Id autem ex Apostolo Paulo potissimum comprobabimus, cujus auctoritas quum eadem, ac reliquorum Apostolorum, fuerit, quæ ipse legislativæ potestatis, & quidem coactivæ, argumenta dedit, eamdem auctoritatem etiam in ceteris Apostolis fuisse demonstrant. „ Omnino auditur inter vos fornicatio, (ita Apostolus 1. „ *Corint.* cap.5. v.1. & seqq.) & talis fornicatio, qualis nec „ inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et „ vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tol„ latur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego qui„ dem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judica„ vi, ut præsens, eum, qui sic operatus est. In nomine Do„ mini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spi„ ritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmo„ di satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die „ Domini nostri Jesu Christi “. Hoc loci Apostolus, Corinthiis graviter objurgatis, illis verbis: *Ego quidem absens corpore . . . jam judicavi*, sicuti observat S. Thomas *Lect.*1. in cap.5. epist.1. *ad Corinthios*, “ Supplet eorum negligen„ tiam, sententiam proferens contra peccatorem: & circa „ hoc tria facit: primo ponit auctoritatem: secundo mo„ dum judicandi ibi: *Congregatis vobis, & spiritu meo cum* „ *virtute Domini Jesu*: tertio sententiam judicis ibi: *Trade*„ *re hujusmodi hominem satanæ*. Circa primum duo facit: pri„ mo ponit auctoritatem ministri, scilicet sui ipsius . . . se„ cundo ponit auctoritatem principalis Domini dicens: *In* „ *nomine Domini nostri Jesu Christi*; id est, vice, & auctorita„ te, seu cum virtute, & invocatione nominis ejus . . . . „ Deinde quum dicit: *Congregatis vobis in unum*, ostendit

 mo-

(1) Lib.2. toto cap.3.

„ modum judicandi, ubi tria tangit. Primo Fidelium congregationem, quum dicit: *Congregatis vobis*. Ea enim, quæ gravia sunt, multorum concordi deliberatione punienda sunt ... secundo adhibet suum assensum, quum dicit: *Et meo spiritu*, id est mea voluntate, & auctoritate, secundum illud quod dixerat: *Præsens autem spiritu*. Tertio adhibet auctoritatem principalis Domini, scilicet Christi, dicens: *Cum virtute Domini nostri Jesu Christi*, ex qua judicium Ecclesiæ habet robur firmitatis ... Deinde quum dicit: *Tradere hujusmodi hominem satanæ*, ponit condemnationis sententiam “.

Qua autem ratione in puniendo incestuosum hominem, ita in solvendo ab ea pœna, qua illigatus fuerat, sua auctoritate S. Paulus usus fuit. Sicut ergo in priori epistola *ad Corinthios* sententiam in eum dixit; ita in altera ab ea pœna illum solvit, cui obnoxius erat. “ Sufficit illi, (inquit „ 1. *Corint.* cap. 2. v. 6. & seqq.) qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis: & ego “. Quapropter, sicuti inquit S. Thomas *Lect.* 2. in cap. 2. epist. II. *ad Corinthios*, “ quia pœna sufficiens fuit, & pœnitentiam egit; ideo consequenter inducit eos ad miserendum dicens: *Ut e contrario magis donetis*. Ubi tria facit: primo mandat, ut ei, scilicet peccanti, parcant: secundo hujus rationem assignat ibi: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est*: tertio inducit eos ad observantiam hujus monitionis ibi: *Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem* ... Et inducit eos tribus modis: primo precibus dicens: *Propter quod*, scilicet ne absorbeatur, *obsecro*, qui possum præcipere: secundo inducit eos præcepto dicens: *Ideo enim scripsi hoc*, scilicet, *Ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes* „ *sitis*:

„ *stis*: & dicit *in omnibus*, sive in his, quæ placent vobis, „ sive in his, quæ displicent ... tertio ex commemoratio- „ ne beneficii quum dicit: *Cui autem aliquid donastis*, *&* „ *ego*: quasi dicat: vos debetis hoc facere, quia etiam ego „ feci“. In tota ergo hujus rei serie duo præstitit Apostolus: 1. incestuosum Corinthium publico judicio pœnæ subjecit, pœnitentemque ab ea solvit: 2. Corinthiis sua auctoritate constituit, quid tum in ejus inflictione pœnæ, tum in absolutione servare deberent. Hæc autem sine legislativa potestate, quæ vim coactivam in se haberet, præstari non poterant.

Indiscriminatim autem contra omnes, qui peccaverint, sua potestate se usurum idem Apostolus comminatur II. *Corint.* cap.13. v.2. & seq. inquiens: “ Prædixi, & prædico, „ ut præsens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, „ & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loqui- „ tur Christus“? Quasi dicat, sicuti habet Sanctus Thomas *Lect.*1. in cap.13. II. epist. *ad Corinthios*, “ Non est dubitan- „ dum de potestate mea, quia quidquid ego loquor, vel „ proferendo sententias, vel remittendo, vel prædicando; „ loquor a Christo“. Hinc idem Apostolus postea v.10. ita subjungit: “ Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit „ mihi in ædificationem, & non in destructionem“. Hac eadem auctoritate S. Apostolus & Corinthiis prohibuit, sicuti II. *Corinthiorum* cap.6. legitur, ne cum Infidelibus consortium haberent, & eos vehementer corripuit, uti I. *Corinthiorum* cap.6. traditur, quia in suis contra se mutuo contentionibus ad judicia Ethnicorum appellarent, idque ne amplius facerent, interdixit: & Thessalonicensibus præcepit, quemadmodum ex II. *Thessalonicensium* cap. 3. constat, ut ab iis se Christiani subtraherent, qui servare renuebant, quæ ipse instituerat, & Corinthios monuit, se in promptu habere, ulcisci omnem inobedientiam, uti II. *Corinthiorum* cap.10. testatum habemus. Hæc autem omnia si non sint

ejus, qui legem aliis ferre potest, simulque cogere ad observationem illius, non video sane, quænam tandem esse possint. Nimis est ergo perspicuum Apostolos legislativa potestate usos fuisse, quæ vim etiam coactivam in se contineret.

§. VIII. Apostolorum legislativa potestas subjecta fuit illi, quam Petrus ob suam præfecturam in universam Ecclesiam recepit.

Est igitur animadvertendum, 1. omnes Apostolos, sive æque Petrum cum ceteris Apostolis, pastores gentium simul a Christo fuisse constitutos, dum illis præcepit, ut docerent cunctas gentes (1), 2. omnes Apostolos, sive æque Petrum cum ceteris Apostolis accepisse Spiritum Sanctum, atque potestatem peccata remittendi, vel retinendi (2); 3. demum omnibus Apostolis, sive æque de Petro cum ceteris Apostolis dictum fuisse *Apocalypsis* cap. 21. v. 14. esse duodecim Ecclesiæ fundamenta, & super ea Ecclesiam extructam, ab Apostolo Paulo traditum *Ephesio*: cap. 2. v. 20. Ex hoc autem consequitur, ut si Apostolatus ratio habeatur, æqualis tam Petri, quam ceterorum Apostolorum, dignitas, atque auctoritas fuerit. Hinc vero est, ut Apostoli gregem, qui sibi pascendus traditus fuit, inter se diviserint, atque inter eos etiam Petrus, quatenus ipse quoque erat Apostolus, singularem partem ejus excolendam assumpserit. Quapropter sicuti alia omnia, quæ sunt propria Apostolatus; ita illam etiam legislativam potestatem Petrus habuit, quæ in ceteris quoque Apostolis inerat, ac propterea, si ad eam attendamus, æqualis conditionis tum Petrus, tum ceteri Apostoli haberi debent.

Quamvis autem id facultatis, atque potestatis, quod ceteris Apostolis collatum fuisse in Sacris Litteris legimus, etiam Petrus una cum illis receperit; non tamen quod potestatis, atque facultatis Christus tum *Matth.* cap. 16., tum *Lucæ* cap. 22., tum *Joann.* cap. 21., Petro contulit, alii Apostoli

(1) *Matt.* cap. 28. v. 19. (2) *Joan.* cap. 20. v. 22. & seq.

stoli receperunt. Quemadmodum enim jam ostendimus (1), ceteris Apostolis adstantibus, uni tantum Petro Christus dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; uni tantum Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; uni tantum Petro: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*. Contra vero quando de institutione Apostolatus agebatur, non uni tantum, aut alteri Apostolorum, sed omnibus, nullo secluso, dixit: *Euntes docete omnes gentes*; omnibus, inquam, sine exclusione alicujus: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*; atque de omnibus æque Apostolis, quod essent Ecclesiæ fundamentum, tum Paulus, tum Joannes in sua *Apocalypsi* affirmarunt. Unde illud quoque hic animadvertendum venit, Christum redivivum a mortuis, postquam dignitatem, atque auctoritatem Apostolatus suis Apostolis, & ex æquo omnibus, contulerat, in Petro complevisse, quod *Matth.* cap. 16., & *Lucæ* cap. 22. illi promiserat. Nam in hisce verbis Apostolatus ratio continetur. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos..... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Hæc autem, dixit Jesus, sicuti *Joannis* cap. 20. v. 21. & seqq., legimus, quando una Sabbatorum Apostolis apparuit, dum clausi manerent propter metum Judæorum. Post dies octo iterum apparuit illis Jesus, & Thomam de ejus incredulitate convicit: iterum postea manifestavit se iterum Jesus Discipulis ad mare Tiberiadis. In hac vero manifestatione post multa, quæ inter Jesum, & omnes Discipulos intercesserunt, idem Jesus, iisdem adstantibus Discipulis, Petrum singulariter de suo in se amore interrogavit iterum, atque tertio, respondentique sibi iterum, ac tertio, quod illum amaret, eidem semel ac iterum præcepit, ut suos agnos, tertio, ut suas oves pasceret, sicuti *Joannis* cap. 21. v. 15. & seqq. habetur. Institutione ergo Apostolorum semel facta, eisque omnibus illa tota collata auctoritate, atque potestate, quæ Apostolatus propria erat, Apostolis præsentibus, omnium

(1) Præced. cap. §. 1. & seqq.

omnium agnorum, omniumque ovium pascendi singularem curam Christus Petro tantum commisit. At vero, quemadmodum ostendimus (1), supremam præfecturam super universam Ecclesiam, quam Christus *Matth.* cap. 16. Petro promisit, *Luca* cap. 22. confirmavit, hic *Joannis* cap. 21. contulit: quæ ergo ratione hujus supremæ præfecturæ potestas legislativa Petro debebatur (2), Apostolorum legislativam potestatem sibi subjectam habuit. Hinc jure meritoque Petrus de Marca in Opere *De Discrimine Clericorum* cap. 3. num. 21. hæc ex Optati Milevitani doctrina colligit: " A Christo unam solam
" cathedram constitutam in Ecclesia, eamque Petro collatam
" in urbe Roma, qui hac ratione factus est caput Apostolo-
" rum: porro unitatem servandam ab Apostolis in illa una
" cathedra, ne si ab ejus unitate recedentes in Ecclesiis ædi-
" ficandis aliam cathedram constituerent, schismatici, &
" peccatores haberentur. Nullum erat periculum, ne, scissa
" unitate Ecclesiæ, proprias sibi Ecclesias defenderent sejun-
" ctas a communione Petri. Sed regiminis semel constituti
" forma exposcebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos
" huic regulæ a Christo præscriptæ subditos fuisse. Pares qui-
" dem in ceteris erant Petro, sed in retinenda unitate eum
" respicere debebant, ut totius collegii caput, & rectorem
" unitatis ". Num. 24. præ ceteris Apostolis Petro tributum affirmat, " Quod esset caput unitatis, adeoque tenerentur
" Apostoli particulares Ecclesias subjicere huic unitati, ut
" docuit Optatus, cujus specialis custodia in universa Eccle-
" sia erat penes Petrum. Uno verbo res ista comprehendi
" potest. Pares Apostoli inter se, & in Apostolatu: sed ra-
" tione habita ad unitatem Ecclesiarum servandam, Petrus
" eximio jure, & præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub
" illo respectu erat caput Apostolorum ".

Non est ergo mirandum, Patres unanimi consensione Petro ea tribuisse, quæ cadere in illum tantum possunt, qui suis legibus alios sibi subjectos habet, ipse vero alienis legibus non subjicitur. Origenes *Homil.* 5. *in Exodum* num. 3. de Pe-

(1) Toto præced. cap. (2) Hujus cap. §. 3. & seqq.

Petro loquens, ait: " Vide magno illi fundamento, & petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino ". S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 2. num. 19. vocat S. Petrum *Apostolorum fundamentum, & Principem*. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 7. *Ecclesiæ columen*; *Orat.* 26. *qui Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat*. S. Epiphanius *Hæresi* 30. num. 17. *Electum Discipulorum Principem*; *Hæresi* 39. num. 7. supra Petrum *modis omnibus Ecclesiam extructam* esse affirmat. S. Joannes Chrysostomus in lib. *Adversus Judæos* num. 3. de S. Petro tradit, quod " Sic abluit illam primam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit ". S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *in Joann.* cap. 4. S. Petrum ceteris Apostolis præfuisse tradit. S. Cyprianus epist. 55. *a Petri cathedra, & Ecclesia principali* unitatem sacerdotalem exortam dicit. S. Hilarius *Tract. in Psal.* 131. num. 4. vocat S. Petrum *primum Filii Dei confessorem, & Ecclesiæ fundamentum*, & *in Comment. in Matth.* cap. 7. num. 6. *Apostolatus Principem*. S. Ambrosius *De Virginitate* cap. 16. num. 105. in S. Petro fuisse dicit, *Ecclesiæ fundamentum, & magisterium disciplinæ*. S. Hieronymus in lib. *Adversus Jovinianum* num. 26. unum Petrum supra ceteros Apostolos constitutum affirmat ad tollendam occasionem schismatis. S. Augustinus *De Baptismo contra Donatistas* lib. 2. num. 2. in Petro docet *Primatum Apostolorum excellenti gratia praeminere*. S. Leo *serm.* 3. cap. 2. ex toto mundo unum Petrum electum dicit, " Qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur ". S. Gregorius Magnus *Regulæ Pastoralis* par. 2. cap. 6. Petrum, auctore Deo, *Sanctæ Ecclesiæ Principatum* tenere affirmat, idemque traditur etiam a S. Bernardo *De Consideratione* lib. 2. cap. 2. num. 15. Ceteri quoque Patres eorumdem seculorum, ac isti commemorati a nobis, atque etiam sequentium (1), Petrum totius Ecclesiæ Præsulem a Deo fuisse constitutum, Ecclesiamque super eum, veluti

(1) Vide Mamachium *Origin.*, *& Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 5. num. 1. & seqq.

veluti supra præcipuum fundamentum, innixam esse, unanimi consensione confirmant, atque hujus rei tam uberem, tam distinctam, tamque manifestam traditionem habemus, ut nihil supra expeti possit. Apostolorum ergo legislativa potestas subjecta illi fuit, quam Petrus ob suam præfecturam in universam Ecclesiam recepit.

§. IX. S. Petri suprema legislativa potestas non solum fuit superior legislativa potestate Apostolorum, sed etiam cogendi vim in se habebat.

Illud animadvertatur oportet, aliud esse quærere, cur Petro, & non alteri Apostolorum præfectura super universam Ecclesiam tradita fuerit; aliud vero, quem ob finem hæc præfectura instituta sit; hoc est, qua de causa unum supremum visibile caput, cui omnes subessent, & universa Ecclesia regenda committeretur, Christus in ipsa Ecclesia posuerit. De priori Sancti Patres inter se non conveniunt. Nam S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. Petro Primatum collatum putat ob provectiorem ætatem illius; Sanctus Hilarius cap. 7. *in Matthæum*, & S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 3. *De Pœnitentia* num. 3., quia primus a Christo vocatus fuit, atque etiam primus in ipsum credidit; S. Augustinus *serm.* 76., alias 13. *De verbis Domini*, num. 1., & *serm.* 146., alias 62. *De verbis Domini*, num. 1., ob eximiam charitatem ejus. Hæ autem rationes, cur Primatus præ ceteris Apostolis Petro collatus fuerit, ostendunt, non vero causam, & finem institutionis. In illis ergo Heterodoxi sistunt, indeque colligunt, nihil jurisdictionis in Primatu inhærere, sed eum esse meri ordinis. Hinc Marcus Antonius de Dominis lib. 1. *De Republica* cap. 3. num. 7. ita habet: " Invenio ego " Petrum primatum aliquem, citra tamen primatum potestativum, & jurisdictionalem, esse consequutum, nimirum " ex ætate, ordine vocationis, amoris fervore, & propriis " virtutibus; unde factum est, ut aliquo modo primas inter " Apostolos retineret ". Ita sane concludit, tribus illis causis semel recensitis, ob quas Primatum Petro collatum fuisse, nonnulli Patres statuerunt. Verum quænam tandem connexio

xio intercedit inter illas causas, & Primatum; qui non sit potestativus, & jurisdictionalis, vel quænam repugnantia occurrit inter illas causas, & Primatum, qui sit potestativus, & jurisdictionalis? Hujusmodi connexionem, repugnantiam ii quoque riderent, qui primas logicæ regulas attigere.

Ut ergo perspectum fiat, quid potestatis in Primatu contineatur, videndum est, qua de causa, seu ob quem finem, a Christo institutus fuerit. Propter unitatem ergo in tota Ecclesia, qua late futurum erat, ut pateret, Primatum in ea positum a Christo fuisse, a SS. Patribus traditum accepimus. S. Cyprianus epist. 55. loquens de schismaticis, inquit: „ Navigare audent & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam „ principalem, unde unitas sacerdotalis orta est". Epist. 70. „ Unde Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine uni- „ tatis, & ratione fundata". Epist. 73. " Nam Petro primum „ Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde uni- „ tatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam de- „ dit, ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in terris". In lib. *De Unitate Ecclesiæ* inquit: " Primatus Petro datur, „ ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur". Optatus lib. 7. *Cont. Parmenianum* cap. 3. ait: " Bono unita- „ tis B. Petrum ... præferri Apostolis omnibus meruisse". Lib. 2. cap. 2. cathedram Episcopalem, quam in tota Ecclesia unam esse pronuntiat, idcirco uni Petro collatam fuisse affirmat, ut in ea ab omnibus servaretur unitas: " Negare „ non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram „ Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apo- „ stolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, „ in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne „ ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam „ schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem „ cathedram alteram collocaret". Hoc autem loci Optatus agit contra Donatistas, eosque dicit schismaticos, quia ab hujus cathedræ communione se separaverant. S. Ambrosius in epistola ad Imperatores (1): " Totius (inquit) orbis Ro-

(1) Class. 2. epist. 2.

„ mani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosan-
„ ctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda
„ fuit clementia vestra: inde enim in omnes venerandæ
„ communionis jura dimanant “. Si autem communionis jura ab Ecclesia Romana in alias dimanant, ipsa in sua unitate complectitur omnes. S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. ait: “ Propterea inter duodecim unus
„ eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occa-
„ sio “; Et in *Dialogo contra Luciferianos* num. 9. “ Ecclesiæ
„ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non
„ exors quædam, & ab omnibus eminens tribuatur pote-
„ stas, tot in Ecclesia efficientur schismata quot sacerdotes “. Tandem S. Leo, ut alios omittamus epist. 10. (1) ad Episcopos provinciæ Viennensis de Evangelii prædicatione loquens ita habet: “ Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad
„ omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Bea-
„ tissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter
„ collocarit, & ab ipso quasi quodam capite dona sua velit
„ in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelli-
„ geret esse Divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate re-
„ cedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis as-
„ sumptum, id, quod erat ipse, voluit nominari dicendo:
„ *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;*
„ ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei
„ in Petri soliditate consisteret “. Si ergo *unitas sacerdotalis* a Petri cathedra oritur: si Christus in Petro *unitatis originem instituit*, dum ligandi, & solvendi singularem potestatem illi contulit: si Primatus ei datus fuit, *ut una Christi Ecclesia monstretur*, quemadmodum tradit S. Cyprianus: si, auctore Optato Milevitano, *bono unitatis Petrus prælatus fuit ceteris*, & ei Romæ cathedra Episcopalis collata, *in qua una cathedra unitas servaretur ab omnibus*: si, teste S. Ambrosio, ab Ecclesia Romana *in omnes venerandæ communionis jura dimanant*, & S. Hieronymo, inter duodecim unus eligitur, *ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio*, ac propterea

(1) Alias 89. cap. 1.

pterea si hujusmodi capiti eminens non tribuatur potestas, *tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes*; & tandem, S. Leone, si voluit Christus a Petro, quasi a quodam capite, dona sua in corpus promanare, *ut exortem se mysterii intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere*, ac propterea Petrum in consortium individuæ unitatis assumpsit, *ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret*; quod sane sine unione totius Ecclesiæ cum Petro perfici non poterat; nullus dubitandi locus superest, Petro ad Ecclesiæ unitatem Primatum collatum fuisse.

Ex his autem illud quoque perspectum habemus, SS. Patres non dubitasse, quin id omne potestatis Petrus a Christo receperit, quod ad hujusmodi unitatem custodiendam, & servandam requirebatur. Potestas autem jurisdictionis, quæ vim coactivam in se contineret, ad id necessaria erat. Nam sine ista neque fieri poterat, ut schismata tollerentur, atque prospiceretur iis omnibus, quæ contra unitatem insurgerent. Quapropter omnes quidem Apostoli Ecclesiæ præfecti fuerunt, ut ejus unitati prospicerent; verum inter eos, & S. Petrum id maxime interest, ut unitati singularium Ecclesiarum illi advigilare deberent, Petrus vero, *Ecclesiæ columen*, *qui Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accepit* (1), supra quem *modis omnibus Ecclesia extructa fuit* (2), *eique totus terrarum orbis commissus* (3), pro sui ratione Primatus vindicandi, & conservandi unitatem totius Ecclesiæ jus, atque potestatem acceperit.

Negari quidem non potest, S. Augustinum (4), & nonnullos alios Patres aliquando dixisse, Primatum Petro fuisse collatum, ut Ecclesiæ unitatem repræsentaret, non tamen eo sensu, quo vellet Marcus Antonius de Dominis lib. 1. *De Republ. Eccles.* cap. 1. num. 1. Nam quo sensu S. Augustinus sit accipiendus, aliique Patres loquuti fuerint, jam

Tt 2 expo-

(1) Vide S. Gregorii Nazianzeni locum hujus cap. §. 8. (2) Eodem §. S. Epiphanius. (3) Eodem §. S. Joan. Chrysostomus. (4) Vide loca ejus §. 5. cap. super.

exposuimus (1). Deinde, quemadmodum jam monuimus (2), sicut Rex & regnum repræsentat, & jurisdictionem super illud habet; ita etiam dici potest, Petrum ob rationem sui Primatus & Ecclesiæ unitatem repræsentare, & ad eamdem unitatem servandam, atque vindicandam potestate præditum esse. Quæ ergo legislativa potestas ob Primatum, quem receperat, Petro debebatur (3), vim coactivam in se habuisse dicendum est, si ad eum finem attendatur, propter quem Christus in Ecclesia Primatum instituit. Quid? Nonne supremam præfecturam super universam Ecclesiam Petrum a Christo recepisse, & sensus litteralis locorum *Matt.* cap.16., *Lucæ* cap.22., & *Joannis* cap.21. ostendunt, & unanimis explicatio Patrum in ea loca confirmat, & communis confessio Patrum, dum de Ecclesiæ regimine agunt, attestatur (4)? Qualis vero tandem hæc præfectura esset, si in sua legislatione nullam vim coactivam haberet, ac propterea illi deesset, quod est in legislatione præcipuum (5)? si quadam admonitione tantum sibi subjectos in fide confirmare posset? Si tum agnos, tum oves ulla sine virga pascere deberet? Verum hac de re satis.

§. X. Ea legislativa potestas, qua Petrus ob suum Primatum instructus fuit, & Apostoli propter munus Apostolatus præditi fuere, laicæ potestati non solum non subdebatur, sed etiam illam sibi subjectam habuit.

Eam legislativam potestatem, quam Petrus habuit, quatenus Primatum potestatis, & jurisdictionis in Ecclesia gerebat, a Christo recepit; legislativam potestatem quam Apostoli habuerunt, quatenus Apostolatus munere fungebantur, a Christo accepere (6): ille super omnes agnos, & super omnes oves, atque super universam Ecclesiam jus legislativum recepit; isti super omnes Fideles, qui spectabant ad eas Ecclesias, quas ipsi regebant. Dixit enim eis Christus: „ Si-

(1) Cap. præced. §. 5. (2) Eodem in loco. (3) Hujus cap. §. 3. & seqq. (4) Toto super. cap. (5) Lib. 2. toto cap. 3. (6) Hujus cap. §. 3. & seqq. §. 6. & seq.

„ Sicut misit me Pater, & ego mitto vos ... Accipite Spi-
„ ritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittun-
„ tur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt": Et (1)
„ Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Eun-
„ tes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-
„ ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos ser-
„ vare omnia, quæcumque mandavi vobis". Quum ergo nemo aliquid super ea possit, quæ Christus disposuit, atque constituit; aliundeque idem Christus jurisdictioni Petri Primatum in Ecclesia gerentis omnes tum agnos, tum oves subjecerit, potestati vero Apostolorum cunctos Fideles spectantes ad eas Ecclesias, quas ipsi regebant; evidenti argumento id esse debet, legislativam illam potestatem, qua Petrus ob suum Primatum instructus fuit, & Apostoli propter munus Apostolatus prædìti fuere, non solum non subditam laicæ potestati, sed istam illi subjectam fuisse. Quapropter tam Petrus, quam Apostoli & in suæ jurisdictione potestatis, & in exercitio ejus a laico regimine nulla ratione pendebant; ac propterea nihil eorum ab hoc regimine aut mutari, aut rescindi, aut ad examen revocari poterat, quæ tum Petrus, tum Apostoli suæ auctoritate jurisdictionis a Christo receptæ decernebant, atque servanda mandabant.

CAPUT III.

DE SUBJECTO EJUS JURISDICTIONIS, ET QUIDEM PRÆCIPUE SECUNDUM AUCTORITATEM DIVINARUM SCRIPTURARUM, QUA ECCLESIA HIC IN TERRIS REGITUR.

§. I. NOnnullorum hac de re gravissimus error exponitur.

Lutheranorum sententia est, ut non commemorem hæreticos antiquiores, generatim, atque universe in toto cœtu Fidelium Christum omnem illam facultatem deposuisse, quæ ad Ecclesiæ regimen requirebatur, ita ut Ecclesia secun-

(1) *Matt.* cap. ult. v.18. & seq.

ſecundum ſuam totam amplitudinem, hoc eſt, prout omnes Fideles in ſe continet, ſit ſubjectum hujuſmodi facultatis. " Ut Deus ipſe (inquit Joannes Franciſcus Buddeus
„ lib.5. *Inſtitut. Theol.* cap.4. §.4. explicans ſententiam ſuo-
„ rum Lutheranorum) miniſterium hocce inſtituit, ita etiam
„ illud certis hominibus confert, ſeu eos vocat, quod olim
„ quidem aliquando immediate fecit, hodie mediate facit
„ per Eccleſiam, cui facultatem hanc conceſſit. Quod de
„ quavis Eccleſia particulari, quamtumvis per injuſtam ex-
„ communicationem ab aliarum Eccleſiarum conſortio ſe-
„ parata, eſt intelligendum .... Immediate olim plurimi
„ Prophetæ in Veteri Teſtamento, & Apoſtoli in Novo vo-
„ cati ſunt. At hodie Deus mediate vocat per Eccleſiam,
„ quæ ab eo hancce poteſtatem accepit. Eſt enim ſponſa
„ Chriſti, cui claves regni cœlorum commiſit ". Lutheranis hac in re tum Calviniſtæ, tum aliæ propemodum infinitæ ſectæ Hæreticorum conſentiunt, uti legere eſt apud Mamachium *Origin. & Antiquit. Chriſtian.* lib.4. par.2. cap.1. §.2. Adnotat.2.

Catholicorum autem nonnulli cenſuerunt, hanc juriſdictionem, de qua loquimur, Eccleſiæ quidem a Chriſto collatam fuiſſe, non tamen acceptæ ſecundum totam amplitudinem ejus, hoc eſt, haud tributam toti cœtui Fidelium, ſed ordini tantum Hierarchico. Hanc ſententiam in libello *De Eccleſiaſt.*, *& Politica Poteſtate* Richerius propugnavit.
„ Quandoquidem (inquit cap.1.) tota juriſdictio Eccleſiaſti-
„ ca primario, proprie, ac eſſentialiter Eccleſiæ convenit:
„ Romano autem Pontifici, & aliis Epiſcopis inſtrumenta-
„ liter, miniſterialiter, & quoad exequutionem tantum,
„ ſicut facultas videndi oculo ". Illud tamen in *Demonſtratione* 1. cap. ſuperaddit; ſe " Quando dicit claves datas Ec-
„ cleſiæ, nominatim de Sacerdotali Eccleſia, aut ordine
„ Hierarchico loqui, cui ſoli Dominus ſacerdotium ſuum
„ cum facultate regendi Eccleſiam credidit ". Hunc tamen Richerii libellum Academia Pariſienſis Sorbona improbavit an.1611. una cum ejus Apologia, " Adjecta interminatio-
„ ne,

„ ne, ut si evulgaretur hujusmodi liber Apologeticus (quem „ Richerius in ipsis comitiis legerat) ... auctor illius libelli „ ex ipsa expungeretur Facultate " (1). Perronius quoque Archiepiscopus Senonensis, & Episcopi illius provinciæ anno 1612. eumdem libellum censura notandum judicarunt „ ob multas, quas continet propositiones, expositiones, & „ allegationes erroneas, scandalosas, schismaticas, &, ut „ sonant, hæreticas " (2); idemque judicium etiam ab Aquensi Concilio eodem anno latum fuisse legimus (3). Nihilo tamen minus Natalis ab Alexandro Dissert. 8. in Hist. Eccl. seculi XV. & XVI., art.3. num.54. tuetur: " Inconcussum manere principium illud ex Scriptura Sacra, & „ Traditione acceptum, & a S. Augustino aperte, frequen„ ter, perseveranter traditum, & inculcatum, claves toti „ Ecclesiæ a Christo datas, immediate ipsi collatam a spon„ so auctoritatem ligandi, & solvendi, potestatem jurisdi„ ctionis in tota universitate Ecclesiæ residere (ut Schola„ stici loquuntur) quod unum est ex fundamentis senten„ tiæ, quam Ecclesia Gallicana, & Sacra Facultas Parisien„ sis propugnant, asserentes, Concilium Œcumenicum su„ perius esse Romano Pontifice ". Illud quidem dare Natali ab Alexandro nullo modo possum ex Sacra Scriptura, atque Traditione perspectum esse, claves toti Ecclesiæ a Christo datas, immediate ipsi collatam a sponso auctoritatem ligandi, & solvendi, potestatem jurisdictionis in tota universitate Ecclesiæ residere; id enim est, quod nunc refutabimus: attamen alterum concedo, hoc est, sententiam, quam ipse tuetur, esse unum ex fundamentis sententiæ asserentis, Concilium Œcumenicum superius esse Romano Pontifice. Immo vero semel ac ponatur, sicuti revera poni debet, quemadmodum mox ostendemus, supremam jurisdictionem, quæ totam Ecclesiam, quanta est, complectitur, non Ecclesiæ, sed Petro, ac propterea successoribus ejus, Christum

(1) Vide Decretum in Append. ad Tom. 2. Operum Richerii *De Ecclesiast. & Polit. Potest.* Edit. Colonien. an.1701. (2) Tom.21. Conc. edit. Venet. colum.1735. (3) Eodem in loco.

ſtum reliquiſſe, actum ſane eſt ea de poteſtate, quæ Œcumenicis Conciliis ſupra Romanum Pontificem tribuitur.

Dupinius quoque in ſuſpicionem Richeriani erroris merito vocatur: nam *Diſſert. 6. De Antiq. Eccl. Diſciplin.* §. 1. ita habet: " Nemo eſt, qui non ſtatim intelligat, illum ſupremam habere poteſtatem, qui poteſtatem ipſam habet ſecundum originem, & virtutem; eum vero poteſtatem non habere ſupremam, qui tantum poteſtatem habet ab alio ſibi commiſſam quoad uſum. Patet autem ex dictis poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe penes Eccleſiam, Romanum autem Pontificem, ceteroſque Prælatos eam accipere ab Eccleſia quoad uſum tantummodo ". Eadem fere habet etiam *Diſſert.* 3. cap. 1. In his vero Richerii ſententiam expreſſam eſſe, nemo non videt.

Hexaplorum Auctores tom. 6. ad priorem partem 90. damnatæ propoſitionis Queſnelli in eo ſane potiſſimum adlaborarunt, ut argumento a Traditione petito, oſtenderent, *immediate*, *& directe* hanc poteſtatem, de qua nunc loquimur, Eccleſiæ datam fuiſſe, ita tamen ut non omnes Fideles, ſed ordo tantum Hierarchicus ſubjectum illius eſſet. Juſtinus Febronius *De Statu Eccleſiæ &c.* cap. 1. §. 6. ſuperfluum putavit, diſtinctionem adhibere inter ordinem Hierarchicum, & ceteros Fideles: unde abſolute pronunciavit: " *Petrum ſolum non eſſe ſubjectum immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ*; ſed clavium poteſtatem *univerſitati Eccleſiæ* proprie, & ita tranſcriptam eſſe, ut illa per ejus miniſtros pro ſua cujuſque portione, ac inter hos per Summum Pontificem exerceatur ". Quapropter cum Richerio in eo convenit, ut exercitium poteſtatis, non vero ipſam poteſtatem Summo Pontifici tribuat; ulterius autem vult *univerſitati Eccleſiæ*, nulla adhibita diſtinctione, clavium poteſtatem collatam eſſe.

§. II. Democraticum ſimul & Ariſtocraticum regimen in Eccleſiam inducunt, qui juriſdictionem, qua Eccleſia regitur, in ipſius Eccleſiæ univerſitate, Ariſtocraticum autem, qui in ordine Hierarchico, reponunt.

Popu-

Populus in Democratia, in Aristocratia vero Optimates tenent habenas regiminis, sicuti nemo non novit. „ Ecclesia deorsum, (inquit S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* „ 137. num.4.) & Ecclesia sursum: Ecclesia deorsum in „ omnibus Fidelibus: Ecclesia sursum in omnibus Angelis". Ecclesia ergo si secundum sui universitatem accipiatur, tam complectitur eos, qui ad ordinem Hierarchicum spectant, quam alios omnes, qui laici dicuntur. Si ergo in universitate Ecclesiæ non minus Hierarchicus, quam Laicorum ordo continetur, quidquid ad Ecclesiæ universitatem spectat, æque ad utrumque ordinem spectare debet: quæ ergo jurisdictio ad Ecclesiæ universitatem pertinet, non minus propria erit Hierarchici, quam laici ordinis. Quum ergo in Christiana Republica qui spectant ad Hierarchicum ordinem, locum Optimatum, ceteri autem populi locum teneant laicorum, inde sane non consequi non debet, ut semel ac jurisdictio collata dicatur universitati Ecclesiæ, ejus regimen sit Democraticum simul & Aristocraticum, vel potius regimen Democraticum Aristocratia mixtum, quia laici in numero longe eos excedunt, qui intra Hierarchicum ordinem continentur. Nam quodvis regimen vel Monarchicum, vel Aristocraticum, vel Democraticum est, illorum habita ratione, a quibus regendi potestas proficiscitur, non vero aliorum, a quibus hæc potestas exercetur. Quandoquidem tum populus, tum Optimates, tum etiam supremus Dominus in suæ communicatione jurisdictionis eadem ratione uti possunt, neque cum Democratico, Aristocratico, aut Monarchico regimine est necessario conjunctum, ut in exercitio suæ jurisdictionis plurimorum, aut pauciorum opera utantur, vel huic, aut illis vicarias sui vices committant, sed indifferenter ad hæc tria regimina se habet, ut hac, vel illa ratione utantur, dum sua jura aliis exercenda committunt.

Quia vero, uti dicebamus, in Christiana Republica nomine Optimatum ii intelligendi veniunt, qui ad Hierarchicum ordinem spectant; semel ac jurisdictio ita quidem

in Ecclesia esse dicatur, ut sit tantum ea ad Hierarchicum ordinem referenda, regimen Aristocraticum inde habeatur oportet. Est enim penes Optimates regimen Aristocraticum: in hac suppositione regimen Ecclesiæ est penes Optimates: nam regimen ille tenet, qui supra alios jurisdictionem habet: regimen ergo Ecclesiæ in hac suppositione erit Aristocraticum. At vero quotquot sunt Catholici nominis, neque admittunt, neque ullo modo admittere possunt, dum Catholici esse perseverent, Ecclesiæ regimen esse Democraticum simul & Aristocraticum, quemadmodum Calvinus lib.4. *Institut.* cap.11. §.6. sensisse videtur, aut Aristocraticum tantum, quia tunc in negando Primatu potestatis, atque jurisdictionis consentirent: quod ergo nonnulli tuentur de jurisdictione vel Ecclesiæ universitati, vel Hierarchico ordini collata, cum eo, quod certa fide tenent cum omnibus Catholicis, atque tuentur, non solum non consentit, sed aperte pugnat.

Richerius Ecclesiæ regimen modo simul Democraticum, & Aristocraticum, modo Aristocraticum tantum facit, ac propterea manifesta contradictione involvitur: Democraticum simul, & Aristocraticum illud quidem facit, dum cap.1. totam jurisdictionem *primario*, *proprie*, ac *essentialiter* Ecclesiæ tribuit: dum vero in demonstratione ejusdem capitis superaddit: " Se, quando dicit, claves Ecclesiæ datas, nominatim de sacerdotali Ecclesia, aut ordine Hierarchico „ loqui ", Democraticum simul & Aristocraticum regimen in Aristocraticum tantum mutat, ac propterea evidenti contradictione involvitur. Hac autem magis magisque in cap.2. implicatur: in eo enim de hoc argumento sibi agendum proponit: " Christus immediate, & per se claves, sive jurisdictionem, ordini Hierarchico contulit per immediatam „ & realem missionem omnium Apostolorum, & Discipulorum ". Quapropter cap.1. vult totam jurisdictionem *primario*, *proprie*, ac *essentialiter* Ecclesiæ convenire, Romano autem Pontifici, & aliis Episcopis, *instrumentaliter*, *ministerialiter*, & cap.2. ordinem Hierarchicum *immediate* a Jesu Chri-

Christo jurisdictionem accepisse: jurisdictio ergo *instrumentaliter*, atque *ministerialiter* hic ordo ab Ecclesia habet, ipsique Ecclesiæ *primario*, *proprie*, ac *essentialiter* jurisdictio convenit, & simul huic ordini Christus *immediate* jurisdictionem contulit. Si hæc inter se non pugnant; non video sane, quænam tandem pugnare possint.

§. III. Semel ac ponatur, Christum universitati Ecclesiæ jurisdictionem communicasse, inde consequeretur, ut, quamvis ipse sit infinita sapientia præditus, hac in re absurde ineptequc egisset.

Quamvis in partibus Ecclesiæ censendis variæ, omnes tamen æque falsæ, hæreticorum sententiæ sint; nemo tamen eorum negat, Ecclesiam esse hominum cœtum quemdam in quo alii præsint, alii autem obediant. Nulla enim respublica dari potest, quæ constet solis magistratibus, & iis, qui imperant, sed præter istos esse etiam in ea debent, qui pareant magistratibus, ceterisque imperantibus. Semel ac autem ponamus, Christum universitati Ecclesiæ jurisdictionem contulisse, talem ab eo Rempublicam constitutam esse consequeretur, in qua, si ad institutionem illius attendatur, omnes essent æque imperantes. Quod enim universitati alicujus cœtus collatum dicitur, est sane collatum omnibus, qui ad illum cœtum spectant. Omnes ergo illi, qui ad Ecclesiam pertinent, jurisdictione præditi esse deberent: ubi igitur alii, supra quos hujusmodi jurisdictio exerceatur? ligandi, & solvendi facultatem omnes haberent: ubi vero illi, qui ligentur, aut solvantur? Nam cœtus Fidelium; qui Ecclesiæ universitatem constituit, sicuti Scholastici loquuntur, vel collective accipi potest, vel divisive: si priori acceptione sumatur; tunc qui spectant ad Ecclesiam omnes simul accepti, ea jurisdictione præditi essent, quam universitati Ecclesiæ collatam fuisse supponitur: si autem altera; hujusmodi jurisdictione singuli præditi erunt. Si singuli sint jurisdictione præditi; semper æque constat de eo, quod supra dicebamus, hoc est, Ecclesiam futuram talem Rempublicam, in qua soli imperantes habeantur: idem quoque di-

cendum erit, si qui ad Ecclesiam spectant, omnes simul accepti jurisdictionem habeant: nam præter istos nullus alius in Ecclesia superest, super quem jurisdictio exerceatur. Si autem quis reponat, ab istis exercitium jurisdictionis etiam supra se quibusdam singularibus hominibus demandari posse; tunc sane non Christus Christianæ Reipublicæ formam constituit, atque efficit, ut in ea sint, qui imperent, quique mandatis istorum obsequantur, sed ipsa Christiana Respublica sibi certam formam daret. Si ergo Christus universitati Ecclesiæ jurisdictionem communicasset, inde consequeretur, ut hac in re absurde inepteque egisset.

§. IV. Ex Sacris Litteris perspectum habemus, Christum in ædificio suæ Ecclesiæ eam tenuisse rationem, quam Deus supremus conditor rerum omnium in mundani ædificii constructione servavit.

Deus, contra ac architecti facere solent, immo & debent, hujus mundani ædificii initium ab iis duxit, quæ superiora sunt, hoc est, a cœlestibus, reliqua deinde creavit, quæ sunt inferiora, & uti fundamenta ceterorum haberi possunt. Ad eumdem ergo modum etiam Christus, Ecclesiæ supremum caput, singularesque ejus præsides constituit, deinde vero reliquum corpus, & totius spiritualis ædificii membra formavit. Quandoquidem nonnisi post quinquaginta a Christi resurrectione dies lex Evangelica promulgari cœpit. Tunc enim, illapso in Apostolos Spiritu Sancto, in omnem terram exivit sonus eorum, ac plures in orbe terrarum Ecclesiæ constitutæ fuere, quæ ob unitatem fidei, atque Sacramentorum in unam Ecclesiam coalescebant. At vero Christus, antequam promulgationis Evangelicæ legis initium fieret, redivivus a mortuis, quod Petro *Matt.* cap. 16. promiserat, & *Lucæ* cap. 22. confirmaverat, *Joannis* cap. 21. complevit, eique suos omnes agnos, omnesque oves, ut supremo pastori, cui cura totius ovilis commissa esset, pascendas tradidit: omnibus quoque Apostolis præcepit (1), ut euntes docerent omnes gentes, atque baptizarent in nomine

(1) *Matt.* cap. ult. v. 19. & seq.

mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, dixitque eis (1): „ Sicut misit me Pater, & ego mitto vos... Accipite Spi- „ ritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur „ eis: & quorum retinueritis, retenta sunt “. Quapropter nullus dubitandi locus superest, quin Christus, antequam Lex Evangelica promulgaretur, atque ita Ecclesia ubique gentium extenderetur, tum Supremum Præsidem ejus, tum præcipuos pastores, qui columnæ, & fundamenta illius futuri erant, cum solvendi, ligandi, atque pascendi potestate constituisse. Quo ergo modo Deus in hujus mundani ædificii constructione a superioribus initium duxit, eodem quoque Christus in ædificatione suæ Ecclesiæ, ad supremum caput illius præcipuosque Præsides respexit, atque prout eorum muneris ratio postulabat, potestate communivit, antequam Fideles, super quos hæc exercenda erat, promulgatione Evangelicæ Legis in certos cœtus sub regimine suorum pastorum coadunarentur, atque ita omnes in unam Ecclesiam ob unitatem supremi capitis, qui tam omnibus ovibus, quam agnis præsideret, omnino coalescerent. Hoc autem evidenti argumento est, Christum auctoritatem, & jurisdictionem non Ecclesiæ, sed pastoribus ejus contulisse.

§. V. Petro quidem, & Apostolis, non autem cœtui Fidelium Christum jurisdictionem communicasse in Sacris Litteris legimus.

Petro quidem Christum dixisse legimus (2): “ Tu es „ Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... „ Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in „ cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solu- „ tum & in cœlis (3): Confirma fratres tuos (4): Pasce „ agnos meos: pasce oves meas “. Simili ratione Apostolis præcepit (5), “ Ut euntes docerent omnes gentes, bapti- „ zantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: „ docentes eos servare omnia, quæcumque “ mandaverat illis: item Apostolis dixit (6): “ Sicut misit me Pater; & „ ego

(1) *Joan.* cap.20. v.21. & seq. (2) *Matt.* cap.16. (3) *Lucæ* cap.22.
(4) *Joannis* cap.21. (5) *Matt.* cap. ult. (6) *Joan.* cap 20.

„ ego mitto vos ... Accipite Spiritum Sanctum, quorum „ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt". Hæc autem, vel ſimilia his, quandonam unquam cœtui Fidelium Chriſtus dixit? quandonam ei quidpiam auctoritatis, vel juriſdictionis, qua ipſa Eccleſia regeretur, fuit impertitus? Cœtus ergo Fidelium ſi hujuſmodi juriſdictionem a ſe non habeat, nullo modo habere poteſt: a ſe vero non habet: ergo nullo modo habet.

§. VI. · Cœtum Fidelium eſſe ſubjectum juriſdictionis Sacris Litteris manifeſte adverſatur.

Ut ergo hic iterum non urgeamus, juriſdictionem in Eccleſiam, datam fuiſſe ſingularem quidem Petro, communem omnibus Apoſtolis; illa ſane parabola de ſervo, *quem*, uti *Matth.* cap. 24. v. 45. legitur, *Dominus conſtituit ſuper ſuper familiam ſuam*, a Domino, non ab Eccleſia eſſe eos conſtitutos, oſtendit, qui familiæ ſuæ, hoc eſt Eccleſiæ, præeſſent. Et re quidem vera qua tandem ratione ab Apoſtolo dici potuiſſet, Eccleſiam eſſe unum corpus, in quo membra divinitus diſtributa haberentur, divinituſque etiam proprio munere fungerentur, ſi totus cœtus Fidelium juriſdidictionem ſibi commiſſam haberet? " Nunc autem (inquit „ Apoſtolus *I. Corinth.* cap. 12. v. 20. & ſeqq.) multa „ quidem membra, unum autem corpus..... Vos autem „ eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Dominus in Eccleſia, primum Apo„ ſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde vir„ tutes, exinde gratias curationum, opitulationes, guber„ nationes..... Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes „ Prophetæ? nunquid omnes Doctores"? Qui ſunt ergo Apoſtoli, qui ſunt Paſtores, qui ſunt Doctores, a Chriſto habent id muneris, quod in Eccleſia cum auctoritate exercent, non vero ab Eccleſia. Hinc vero eſt, ut idem Apoſtolus in *I. ad Timoth.* cap. 4. v. 14. ita ipſum moneat: " Noli „ negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per pro„ phetiam cum impoſitione manuum presbyterii". Et Titum in epiſtola ad eum data cap. 1. v. 5. " Hujus rei gra-

„ tia

„ tia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & „ constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dispo- „ sui tibi “. De gratia ergo S. Apostolus mentionem quidem fecit, non vero de Ecclesia, dum Timotheum monet, ut adimpleat partes sui muneris, quod in Ecclesia exercebat: simili ratione in mentem Titi revocat, eum a se Cretæ relictum fuisse, ut corrigeret illa, quæ deessent, atque in civitatibus constitueret Presbyteros, quin ullam Ecclesiarum, quæ in iisdem urbibus erant, mentionem faciat, quamvis illa peragi sine jurisdictione non possent. Quibus sane unicuique perspectum esse debet, in iis muneribus, quibus tum Timotheus, tum Titus fungebantur, nullas fuisse cœtus Fidelium partes. Quid? Quando Paulus urbium Asiæ Antistites ad se accivit, hortatusque fuit, ut Christianorum cœtibus prospicerent, anne quid ab Ecclesia recepissent, eis objecit, & non potius a Spiritu Sancto assumptos fuisse ad Ecclesiam regendam contestatus fuit? Hæc enim *Actorum* cap. 20. v. 17. & seq. legimus: “ A Mi- „ leto Paulus scribens Ephesum, vocavit majores natu Ec- „ clesiæ, qui quum venissent ad eum, & simul essent, di- „ xit: ..... Attendite vobis, & universo gregi, in quo „ vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam „ Dei, quam acquisivit sanguine suo “. Quod autem de aliorum ministerio dixit, & de suo in *II. ad Corinthios* cap. 11. v. 8. hisce verbis confirmavit: “ Nam etsi aliquid amplius „ gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Do- „ minus in ædificationem, & non in destructionem “; & *I. Corinthior.* cap. 4. v. 5. “ Sic nos existimet homo, ut mi- „ nistros Christi, & dispensatores misteriorum Dei “. Auctoritas ergo tum Pauli, tum ceterorum, qui Ecclesiæ præerant, non ab Ecclesia in eos, sed a Christo dimanaverat. Esse ergo Ecclesiam, sive cœtum Fidelium subjectum jurisdictionis Sacris Litteris manifeste repugnat.

§. VII. Quæ usque modo ostendimus auctoritate Divinarum Scripturarum, non minus convincunt, Ecclesiam universe, atque generatim, quam quoad Hierarchicum ordi-

ordinem tantum, supremæ jurisdictionis subjectum esse non posse.

Christus, uti dicebamus (1), dum suam Ecclesiam ædificavit, eamdem rationem, ac Deus in mundani ædificii constructione, sequutus fuit: ejus enim supremum Præsidem constituit, supremamque potestatem super universam Ecclesiam illi contulit, Ecclesiæ etiam superiores Pastores præfecit, qui ejus fundamenta futuri essent, atque auctoritate communivit, antequam Lex Evangelica promulgaretur, & promulgatione illius Fideles in plures cœtus coalescerent, qui ad unam eamdemque Ecclesiam pertinerent, quæ sicuti inquit S. Cyprianus epist. 73. " Una est, & super unum, qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata est ". Quare ipsum ordinem Hierarchicum Christus constituit, jurisdictione instruxit, qua ad Ecclesiæ regimen uteretur, atque per se Ecclesiæ præfecit, antequam illi Fidelium cœtus consurgerent, quibus universa Ecclesia coalescit. Nam uti habet S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 22. num. 5. Ecclesia Hierosolymitana est illa, " Ex qua habuit omnis Ecclesia initium ". His ergo positis, quomodo Ecclesia in sui Hierarchico ordine subjectum jurisdictionis esse potest, si hic ordo est a Christo constitutus, omni, quam habet, jurisdictione instructus, & Ecclesiæ præfectus, antequam Ecclesia promulgatione Evangelicæ Legis ædificari inciperet? si super hunc ordinem, servata proportione illorum, qui eumdem componunt, Ecclesia, veluti supra sua fundamenta extruenda erat?

Semel ac deinde dicatur, Ecclesiam in sui Hierarchico ordine esse subjectum supremæ jurisdictionis, inde consequitur, in Ecclesia inhærere quidem jurisdictionem, non tamen ab omnibus Fidelibus participandam, sed ab iis tantum, qui ad Hierarchicum ordinem pertinent: unde suam ab Ecclesia jurisdictionem ii habere deberent, qui sunt Hierarchici ordinis. Hoc vero est, quod factum non fuit, neque fieri potest. Nam, quemadmodum observavimus (2), Pe-

(3) Hujus cap. §.4. (2) Hujus cap. §.5.

Petro, & non Ecclesiæ, Christus dixit: " Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis ". Apostolis, & non Ecclesiæ: " Quorum remiseritis peccata, remittunter eis; & quorum retinueritis, retenta sunt ". Apostolus Timotheum monet, ut non negligat gratiam, quam quidem a Domino, non ab Ecclesia accepit. Titum cohortatur, ut adimpleat partes sui muneris, atque illis Ecclesiis prospiciat, quæ jurisdictioni ejus subjectæ erant. Antistites urbium Asiæ obsecrat, ut cœtibus Christianorum attendant, atque in memoriam illorum revocat, a Spiritu Sancto, non vero ab Ecclesia, assumptos fuisse ad regimen eorum: idem tandem Apostolus de sua potestate mentionem faciens, eam se non ab Ecclesia, sed a Domino, in Ecclesiæ quidem ædificationem, accepisse protestatur. Qui ergo sunt Hierarchici ordinis a Deo, non vero ab Ecclesia jurisdictionem accipiunt, quemadmodum requireretur, si Ecclesia esset subjectum jurisdictionis in iis, qui sunt Hierarchici ordinis (1). Non minus ergo ex auctoritate Divinarum Scripturarum compertum habemus Ecclesiam universe, & generatim, quam quoad Hierarchicum ordinem tantum, subjectum supremæ jurisdictionis esse non posse.

§. VIII. In Ecclesiæ utilitatem, commodum, & ædificationem, Christum instituisse Hierarchicum ordinem, atque eum jurisdictione, & auctoritate communivisse, in Sacris Litteris traditum habemus.

Quando Deus formavit humanum corpus, ad nullam partem illius, licet præstantissimam omnium, hoc suum totum opus retulit, sed quascumque ejusdem partes licet affabre constructas, & quidquid in iis fingendis molitus fuit, ad totius structuram corporis, pulchritudinem, & utilitatem factum voluit. Eadem ergo ratione Christus in iis omnibus, quæ suæ Ecclesiæ ornamenta, atque commoda contulit, totius Ecclesiæ corporis utilitatem sibi proposuit. Huc sane respexit, dum gratiæ suæ thesauros in nos tam multipliciter

(1) Vide loca Apostoli §. super.

ter effudit; atque præter cetera etiam potestatem, atque jurisdictionem in ea reliquit, qua Fideles in his omnibus regerentur, quæ sunt Evangelicæ Legis. Hinc Apostolus *II. Corinth.* cap. 10. v. 8. in ædificationem aliorum collatam sibi a Christo potestatem affirmat, inquiens: " Nam si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram ". *Ephesiorum* quoque cap. 4. v. 11. & seq. dum diversa Ecclesiastica ministeria recenset, ad Ecclesiæ ædificationem ea refert his verbis: " Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi ". Ecclesia enim, sicuti in hac eadem epistola cap. 1. v. 23. habet idem S. Apostolus: " Est corpus ipsius (hoc est Christi) & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur ". Quapropter quam Petro supremam potestatem Christus contulit, propter Ecclesiæ utilitatem, & ædificationem contulit, sicut etiam quam Apostolis jurisdictionem dedit, propter eumdem finem dedit.

Causam ergo finalem, ut vocant, cum efficienti Richerius confundit, indeque falsa ratiocinatione concludit, Ecclesiam esse subjectum jurisdictionis: ita enim habet in cap. 1. *De Ecclesiast. & Polit. Potestate*, in quo sui erroris fundamenta ponit: " Deum, & naturam prius, & immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi; quamvis nobilissimam, intendere: eamque ob causam facultatem videndi exemp. grat. toti datam esse homini, ut per oculum, tamquam per organum, & ministrum hominis exerceretur ". Ex hoc enim illud tantum consequitur, sicuti modo dicebamus, quam Christus Petro, & Apostolis auctoritatem donavit, non propter illos, sed propter Ecclesiæ utilitatem donasse, ac propterea eum " Prius, & immediatius ad totum suppositum " respexisse. Quia vero quodcumque fit, propter totum suppositum fit, non vero propter aliquam partem ejus, contra omnes Logicæ regulas Richerius in-

infert, totum suppositum vim causæ efficientis quoad ea habere, quæ propter ipsum fiunt, atque ita illam jurisdictionem, quæ propter Ecclesiæ utilitatem instituta est, ab Ecclesia dimanare, falso contendit.

Quemadmodum vero Petavius *Theolog. Dogmatum* lib. 3. cap. 16. num. 6. recte monuit, causa ministerialis, & instrumentalis duplici ratione accipi potest: primo prout cum causa efficienti prima, 2. prout cum eo fine comparatur, ad quem refertur: secundum priorem acceptionem Petrus, Apostoli, omnesque Ecclesiæ Præsules, eorum facta comparatione cum Christo prima efficienti causa ejus jurisdictionis, quæ est in illis, dici possunt, & revera sunt, causa ministerialis, & instrumentalis Ecclesiasticæ jurisdictionis: etiam secundum alteram causa ministerialis, & instrumentalis dici possunt, non tamen eadem ratione, hoc est, sunt quidem causa ministerialis, & instrumentalis Ecclesiæ, non quatenus suam jurisdictionem ab Ecclesia habeant, sicuti Richerius vellet, sed quia ei deserviunt, atque ad utilitatem, commodum, & ædificationem illius, jurisdictione præditi sunt.

§. IX. Ecclesiam esse subjectum jurisdictionis, auctoritate Divinarum Scripturarum ostendere, Lutherani frustra conantur.

Primo in iis, quæ leguntur *Matth.* cap. 28. v. 15. & seqq. suæ causæ præsidium reponunt. Quum enim hoc loci Christus præceperit, ut qui semel atque iterum correptus, primo seorsim, deinde coram duobus, aut tribus a prava agendi ratione non destiterit, Ecclesiæ denunciaretur, habereturque tamquam Ethnicus, si eam audire noluerit; inde sibi inferendum putant, omnem jurisdictionem esse in Ecclesia, sicuti in subjecto. Septem Diaconi deinde, inquiunt, quemadmodum in *Actibus Apostolicis* cap. 6. v. 5. legitur, dum adhuc Apostoli viverent, a cœtu Fidelium electi fuere, idemque etiam quoad Episcopos cap. 14. v. 22. in iisdem *Actibus* legimus. Ad hæc, superaddunt, illud quoque accedit, S. Paulum tum in 1. epist. *ad Timoth.* cap. 3. v. 2., tum in altera *ad Titum* cap. 1. v. 7. constituisse, quosnam Ecclesiæ sibi præfice-

re, & quibusdam virtutibus ii ornati esse deberent. Id autem satis evidenti argumento esse putant, Ecclesiam esse subjectum omnis jurisdictionis. Ita suorum Lutheranorum errorem Buddeus supra citatus tuetur.

Illud *Matthæi*: *Dic Ecclesiæ* non solum hæretici semper opponunt, atque ex eo fieri perspectum contendunt, Ecclesiæ regimen Democraticum esse; verum etiam ii omnes pro se in medium adducunt, immo nunquam in ore non habent, qui pro auctoritate Conciliorum Œcumenicorum supra Pontificem pugnant (1). Cogitanti autem mihi, atque animo repetenti, quinam eorum, saltem apparenter, ex prædicto Sacræ Scripturæ loco potiori jure colligant, quod volunt, visum fuit, Democraticos potius eo uti posse, quam alios omnes, qui licet Monarchicum in Ecclesia regimen admittant; tamen auctoritatem Conciliorum Œcumenicorum auctoritati Summi Pontificis præponunt. Sicut enim ex S. Augustino monuimus (2): *Ecclesia deorsum in omnibus Fidelibus*: semel ac igitur inferendum sit, subjectum supremæ jurisdictionis esse Ecclesiam, quia Christus præcepit, ut semel atque iterum correptus Ecclesiæ denunciaretur, atque si eam non audiret, haberetur ut ethnicus; inde consequitur, omnem cœtum Fidelium esse subjectum jurisdictionis, ac propterea Ecclesiæ regimen esse Democraticum. Alii vero secundum nobiliorem quidem sui partem Ecclesiam accipiunt, diminutam tamen, & avulsam ab illis, qui cum ea necessariam connexionem, æque ac pars nobilior, habent. Hoc enim si non faciant, quomodo ex citato loco inferre poterunt, nobiliorem Ecclesiæ partem, quam procul dubio Episcopi constituunt, dum ea simul congregatur, nullam superiorem potestatem supra se habere, sed esse præstantissimam omnium, quæ in Ecclesia dari possunt? In Sacris vero Litteris ulla sine distinctione traditum habemus, Ecclesiæ denunciandum eum esse, qui correptus resipiscere noluerit. Quapropter utrique quidem, uti mox exponemus, in

(1) Videatur inter alios Natalis ab Alexandro dissert. 4. in *Hist. Eccles.* sec. 15. & 16. art. 1. §. 2. num. 4. (2) Hujus cap. §. 2.

in intelligentia hujus loci decipiuntur; verum ei vim quamdam singularem inferunt, qui potestatem Conciliorum Œcumenicorum supra Summum Pontificem ex eodem deducunt: itaque ad rem nostram.

Modo ergo quærimus a Democraticis, semel ac, uti ipsi volunt, nomine Ecclesiæ hoc in loco cœtus Fidelium intelligi debeat, qua tandem ratione fieri possit, ut qui injuriam ab altero acceperit, postquam eum & privatim, & coram duobus, vel tribus redarguerit, cœtui Fidelium reatum illius denunciet. Singulis ne Fidelibus ipse per se hoc indicere debebit, aut in unum convocare omnes, ut eis simul congregatis indicat? Profecto etsi de singulari Ecclesia sermo sit, illud prius & nimis operosum, & vix, ac ne vix quidem fieri potest: alterum vero quo jure sibi quisquam tribuet? Præsules id juris habent: optime quidem: igitur Ecclesiæ Præsulibus, qui duplici correptione monitus a peccato non resipiscit, indicendus est. Non ergo Fidelium cœtui, sicuti ipsi vellent, sed Ecclesiæ Præsulibus depositum jurisdictionis commissum esse, ex hoc loco colligitur.

Ea vero difficultas, quæ occurrit in exequutione ejus, quod Christus præcepit, dum Ecclesiæ nomine, quemadmodum Lutherani volunt, cœtus Fidelium intelligatur, magis magisque semper augetur, atque ita quidem, ut Christi præceptum nullo modo servari possit, si per Ecclesiam Concilium Œcumenicum designatum fuisse dicamus. Nam *Matthæi* 18. cap. præcepit Christus, ut peccantem contra nos fratrem primo seorsim, deinde coram duobus, aut tribus testibus redargueremus, postremo illum in peccato perseverantem Ecclesiæ denunciaremus, atque tum de quovis homine peccante, tum de quolibet peccato Christus loquutus fuit: inquit enim v. 15. " Si autem peccaverit in te " frater tuus &c. ": igitur & quodlibet peccatum, & quilibet homo peccans Ecclesiæ denunciandus est, si correctioni non acquieverit. Si autem hæc denuntiatio fieri non potest, semel ac Ecclesiæ nomine cœtus Fidelium etiam cujus-

cujusdam singularis Ecclesiæ intelligatur, multo magis idem consequitur, si per Ecclesiam Concilium Œcumenicum designatum fuisse quispiam velit. Quid? anne fortasse ad ferendum judicium de quolibet singulari crimine vel gravissimo, de quolibet singulari homine peccante, & renuente obtemperare correctionibus, simul secum conveniendi Ecclesiæ Præsules aliquam obligationem habent? vel simul congregari possunt, aut volunt? An res ista non est hujusmodi, ut gravissimas difficultates patiatur, sumptos valde maximos requirat, quæque nonnisi longiori tempore, & cum incommodo multorum expediri potest? Tamen sit sane difficillima, quævis incommoda omnium Ecclesiæ Præsulum secum ferat, sine maximis sumptibus expediri non possit, efficiatur tamen oportet, si quilibet homo peccans correctionibus obtemperare noluerit. Nam Christus loquens de quovis homine peccante in fratrem suum, & non resipiscente ob correctionem sibi factam, nulla adjecta conditione, affirmavit: *Dic Ecclesiæ*. Qui ergo *apud Matthæum* cap. 18. v. 17. nomine Ecclesiæ Concilium Œcumenicum designari volunt, id Christum præcepisse statuunt, quod nunquam futurum erit, ut a nobis servari possit.

Illos autem, qui Œcumenicum Concilium Summi Pontificis auctoritati præponunt, in ea esse sententia, ut nomine Ecclesiæ in hoc loco Matthæi, Concilium Œcumenicum esse intelligendum velint, ex eorumdem argumentandi ratione manifestum est. Nam ex his, quæ dicit Christus *Matthæi* cap. 18. v. 15. & seq. ita habent (1): " Romanus „ Pontifex peccato obnoxius est: igitur super eum quoque „ correctio cadit: si igitur correptus non resipiscit, Eccle„ siæ denunciari debet, quemadmodum Christus monuit, „ Ecclesiæ quidem non dispersæ, quæ supra eum auctori„ tatem non habet, sed in Concilio Œcumenico congre„ gatæ, cujus potestas est Pontificia superior ". Unde ut ex loco Matthæi colligant, quod ipsi volunt, Ecclesiæ nomine Concilium Œcumenicum intelligendum esse, non solum dicunt, sed etiam dicere debent. Quan-

(1) Vide Natalem ab Alexandro supra citatum.

Quando ergo in Evangelio dicitur, Ecclesiæ denunciandum illum esse, qui repetita correctione non resipiscit, est id sane intelligendum de Ecclesiæ Præsulibus, quemadmodum tradit S. Joan. Chrysostomus *Homil.54. in Matthæum*, alias 51., num.2., & Theophilactus in eumdem Matthæi locum. Nam mutua Ecclesiæ, & Episcoporum ratio est, sicuti habet S. Cyprianus epist.69. inquiens: " Episcopum „ in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo ". Et epist.27. „ Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ec„ clesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Eccle„ siæ omnes præpositos gubernetur ". Hac sane ratione intelligitur, quomodo Christus præceperit, ut quilibet peccans in suum fratrem, & repetitam correctionem parvi faciens, Ecclesiæ denunciaretur.

At, inquiunt, cœtum Fidelium nomine Ecclesiæ intellexerunt S. Hieronymus, & S. Anselmus in explicatione loci S. Matthæi, sicuti in eumdem Matthæi locum Cornelius a Lapide animadvertit, intellexit S. Gregorius Magnus *Epist.* lib.5. Indict.13. epist.18., alias 38. Quid ergo cum istis ne, ac cum S. Joanne Chrysostomo, & Theophylacto sentiendum erit? Cum utrisque sane. Qua vero ratione id fieri possit, Hugo Cardinalis in *Matthæi* cap. 18. ita explicat: „ Si privata persona corripit, sic exponendum est: *Dic Ec„ clesiæ*, id est coram Prælato Ecclesiæ eum convince per „ testes, quos prius audire noluit corripientes. Si vero Præ„ latus corripit, sensus est: *Dic Ecclesiæ*, id est coram Ec„ clesia illum excommunica, id est, coram congregatione „ Fidelium ". Quapropter personæ corripientis distinctione servata, nomine Ecclesiæ tum Fidelium cœtus, tum Ecclesiæ Præsules intelligi possunt: sunt intelligendi Ecclesiæ Præsules, si qui alterum in se peccantem corripit, fuerit privata persona; si autem ultima correctio ab Ecclesiæ Præsule adhibetur, tunc nomine Ecclesiæ Fidelium cœtus intelligendus venit. Hinc S. Gregorius in citata epistola postquam Matthæi locum in medium produxit, ita habet, agens contra Joannem Episcopum Constantinopolitanum, qui nomen

men Episcopi Universalis sibi arrogaverat : " Ego itaque
„ per Responsales meos semel, & bis verbis humilibus hoc,
„ quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui : nunc
„ per me ipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui,
„ non omisi. Sed in mea correptione despicior, restat, ut
„ Ecclesiam debeam adhibere ". Ex quibus sane constat, illa verba : *Dic Ecclesiæ*, ad cœtum Fidelium S. Gregorium retulisse ejus occasione correptionis, quæ a se, uti a summo Ecclesiæ Præsule, Joanni Episcopo Constantinopolitano facta ulla sine ejus emendatione fuerat, ac propterea cœtui Fidelium præsumptio illius manifestanda erat. Nunc ad cetera paucis.

A multitudine quidem Fidelium septem Diaconi electi fuere; verumtamen Apostoli eis manus imposuerunt, qua sane illi omnem potestatem propriam sui muneris recepere. Paulum autem, & Barnabam, non vero cœtum Fidelium, constituisse in singulis Ecclesiis Presbyteros in citato loco apertissime traditur. Nam, mentione facta de profectione Pauli cum Barnaba in Derben, eorumque peragratione in alias regiones, in quibus discipulorum animas in fide confirmarunt, ita superadditur: " Et quum constituissent illis
„ per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum jeju-
„ nationibus, commendaverunt eos Domino ".

Inde vero Apostolus constituit, quinam Ecclesiis præfici deberent, quia voluit, ut non omnibus indiscriminatim id muneris demandaretur, sed eis, qui præditi essent illis dotibus, quas ipse recenset. Electio Ecclesiæ Præsulum, non semper eodem modo facienda erat, quo in initio Ecclesiæ facta fuit: Paulum, & ceteros Apostolos Christus per se elegit, sicuti etiam S. Petrum Ecclesiæ supremum caput per se constituit: subsequentibus vero temporibus electio successorum, ministerio hominum peragenda fuit. Quapropter mirandum non est, si Paulus Spiritu Sancto ductus præmonendum censuit, quibusnam Ecclesiæ regimen demandari deberet. At vero consecratione, non electione omnem potestatem ordinis, quam habent, Præsules

Ecclesiæ recipiunt. Virtute autem Dei, non hominum consecratio perficitur, ac propterea id omne potestatis, quod habent, Ecclesiæ Præsules Dei virtuti acceptam referre debent. Tota ergo potestas in Ecclesiæ ministris non ab Ecclesia, sed a Deo derivatur.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EJUS JURISDICTIONIS, ET QUIDEM SECUNDUM AUCTORITATEM SACRÆ TRADITIONIS, QUA ECCLESIA HIC IN TERRIS REGITUR.

§. I. A Patribus traditum accepimus, non Ecclesiam, sed ministros illius (1) esse subjectum jurisdictionis, qua ipsa regitur.

A Græcis Patribus exordiamur. S. Clemens in sua 1. epistola *ad Corinthios* dum recenset originem illorum, qui Ecclesiæ præsunt, num.41. ita habet: " Apostoli nobis evan„ gelizarunt a Domino Jesu Christo: Jesus Christus a Deo. „ Missus est igitur Christus a Deo, & Apostoli a Christo: „ & factum est utrumque ordinatim a voluntate Dei .... „ Prædicantes igitur (Apostoli) per regiones, ac urbes, „ primitias earum spiritu quum probassent, in Episcopos, „ & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt." Num.44. " Et Apostoli nostri cognoverunt per Dominum „ nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de „ nomine Episcoporum: ob eam ergo causam, accepta per„ fecta præcognitione, constituerunt supradictos, & dein„ de futuræ successionis regulam tradiderunt ". Sicut ergo a Deo Christus, a Christo Apostoli; ita etiam ab Apostolis Episcopi, & Diaconi sunt, atque hac ratione futuræ successionis regulam traditam habemus; hoc est, qui sunt in Ecclesia jurisdictione præditi, ideo illam habent, quia Divino jure succedunt primis, qui eamdem a Christo habuerunt, atque ita Ecclesiæ Præsidum successio continuatur, ut alii, atque alii per ministerium præcedentium Divino

(1) Quo sensu ministri dicantur super. cap. §.8. exposuimus.

jure jurisdictionem suæ præfecturæ respondentem accipiant. S. Ignatius in epist. *ad Magnesianos*. " Hortor, ut hoc sit " vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episco- " po præsidente Dei loco, & Presbyteris loco senatus Apo- " stolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum " est ministerium Jesu Christi ". Loco autem Ecclesiæ tum Episcopi, tum Presbyteri præsiderent, atque Diaconis Ecclesiæ ministerium commissum foret, si quod habent auctoritatis, ab Ecclesia in eosdem transfunderetur, Ecclesiaque ipsa esset, quæ plenitudinem auctoritatis in suos ministros transfundendam a Christo recepisset. " Agnitio vera est " (inquit S. Irenæus lib.4. *Cont. Hæreses* cap.38. nu.3.) Apo- " stolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in univer- " so mundo, & character corporis Christi secundum suc- " cessiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquo- " que loco est, Ecclesiam tradiderunt ". Eodem lib. cap.26. num.2. " Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyte- " ris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apo- " stolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus successio- " ne charisma veritatis certum secundum placitum Patris " acceperunt ". Si ergo Episcopis, quæ in unoquoque loco adinvenitur, Ecclesia tradita est, eisque propter successionem, quam habent ab Apostolis, relictum est charisma veritatis; fieri non potest, ut quidquid auctoritatis in Ecclesia illi habent, ab ipsa Ecclesia receperint. S. Basilius epist. 8., alias 309., Ecclesiam requiescere affirmat in Episcopis, *tamquam in propriis fulcris*: epist.197., alias 55., num.1. ita ad Ambrosium Episcopum Mediolanensem habet: " Age igi- " tur, o homo Dei, quandoquidem non ab hominibus " accepisti, aut edoctus es Evangelium Christi, sed ipse te " Dominus ex terræ judicibus ad cathedram Apostolorum " transtulit ". At non a Domino, sed ab Ecclesia ad cathedram Apostolorum Ambrosium translatum fuisse dici debuisset, si ab ea suam ad id muneris auctoritatem recepisset. Quod autem suam potestatem ab altero accipit, fulcrum ejus dici non potest, sed fulcri ratio ipsi principio potesta-

tis

tis convenit. S. Joannes Chrysostomus *De Utilit. lect. Sac. Scripturæ* num.4. " Merito igitur spiritualem consulatum „ appellavimus Apostolatum. Sunt enim a Deo designati „ magistratus populi, magistratus, quibus non gentes ur- „ besque variæ tribuuntur, sed quorum omnium fidei si- „ mul totus orbis terrarum committitur ". Sicut ergo Apostoli suam a Deo potestatem receperunt, eorumque fidei totus orbis terrarum innititur; ita etiam qui succedunt loco Apostolorum, suam a Deo potestatem acceptam referunt, atque in fide eorum totus orbis terrarum conquiescit. Tertullianus *De Præscript. adversus Hæret.* cap. 20. " Omne ge- „ nus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, „ ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua „ omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum „ unam omnes probant unitatem ". Profecto si omnes Ecclesiæ ab una illa prima sunt, quam Apostoli constituerunt, & quia ab una illa prima sunt, omnes eamdem unitatem probant; sicut illa una prima non dedit Apostolis eam auctoritatem, quam habebant; ita etiam quæ postea Ecclesia fuit, & est, iis, qui in illa præsunt, auctoritatem non confert. S. Cyprianus epist.27. " Inde per temporum, & suc- „ cessionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio „ decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & om- „ nis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. „ Quum hoc itaque Divina Lege fundatum sit, miror quos- „ dam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ec- „ clesiæ nomine litteras facerent, quando Ecclesia in Epi- „ scopo, & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta ". Tantum ergo abest, S. Cypriano monente, ut Episcopus suam ab Ecclesia jurisdictionem accipiat, quin potius & Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. S. Hilarius *De Trinit.* lib.8. num.1. de ea ratione loquens, quam Apostolus in Episcopi electione servandam esse præscripsit: " Non enim „ (inquit) Apostolicus sermo probitatis honestatisque præ- „ ceptis hominem tantum seculo conformat ad vitam, ne-

„ que rursum per doctrinæ scientiam scribam synagogæ in„ stituit ad legem: sed perfectum Ecclesiæ Principem per„ fectis maximarum virtutum donis instituit ". Et *Tractatu in Psal.*138. num.38. " Sed Principatu eorum (Aposto„ lorum) confortantur Ecclesiæ, scilicet ab ipsis cœptæ, ab „ his principia sumentes: quæ super toto orbe fundatæ fir„ mis principiis constiterint ". Sunt ergo Ecclesiæ Principatus Episcoporum, & quidem tales, ut eos Episcopi per successionem, non vero quasi ab Ecclesia, sibi demandatos acceperint. S. Ambrosius in lib. *De Virginitate* cap.18. n.118. Ecclesiam navi comparat: quæ quidem comparatio etiam apud ceteros Ecclesiæ Patres tum Græcos, tum Latinos est valde familiaris. Navis autem proprium est, ita regi ab iis, qui eidem præsunt, ut ipsa illis neque facultatem, neque auctoritatem se regendi tribuat. S. Augustinus affirmat quidem *Serm.*75., alias 22., num.10., & alibi Petrum *gestare Ecclesiæ personam*; tamen qua ratione a Petro Ecclesiæ personam gestari ipse putet, explicat *Serm.*137., alias 49., num.3., hoc est, quatenus in Petro, sicuti in primo, ac præcipuo sui capite Ecclesia formata fuit: " Dicit enim „ Petro: (inquit) in quo uno format Ecclesiam: Petre amas „ me "? Et lib. *De Agone Christiano* num.32. non Petro in Ecclesia, sed Ecclesiæ in Petro claves regni cœlorum datas fuisse his verbis affirmat: " Huic enim Ecclesiæ claves re„ gni cœlorum datæ sunt, quum Petro datæ sunt ". Ecclesia autem in Petro formata esse non potuisset, si ipsa esset, quæ omnem a Christo potestatem recepisset, similiterque claves Ecclesiæ datæ esse deberent, si ab ea potestas hujusmodi clavium suis ministris communicaretur. S. Leo epist.13. cap.3. in discipulis, non vero in Ecclesia, omnes Præsules Ecclesiarum a Christo edoctos fuisse tradit: " Discipulis suis, „ (inquit) in quibus omnes Ecclesiarum Præsules doceban„ tur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi ", *totamque Ecclesiam suam in Apostolis* Christum erudivisse affirmat *Serm.*18. *De Jejunio* num.1. S. Fulgentius in lib. *De Fide ad Petrum* cap.3. num.37. " Pœnitentia peccatori tunc

„ prodest,

„ prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholica gerat, cui Deus „ in perſona B. Petri ligandi ſolvendique tribuit poteſtatem “. Et lib. 1. *De remiſſione peccatorum* cap. 39. “ In ſola Eccleſia Catholica datur, & accipitur remiſſio peccatorum ... quam ſuper petram fundavit, cui etiam poteſtatem ligandi ſolvendique conceſſit, ſicut B. Petro veritas repromittit dicens: *Tu es Petrus &c.* “ Eſt ergo in Eccleſia ligandi & ſolvendi poteſtas, quia eam Chriſtus Petro illiuſque ſucceſſoribus tradidit, non vero quia ab Eccleſia in Petrum illiuſque ſucceſſores dimanarit. S. Gregorius Magnus lib. 2. *in Evangelia* Homil. 24. num. 4. “ Ipſi (inquit) „ ſancta Eccleſia eſt commiſſa: ipſi ſpecialiter dicitur: *Simon Joannis amas me ? paſce oves meas* “. Et Homil. 26. num. 5. explicans illa verba: *Quorum remiſeritis peccata &c.* ait: “ Illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad „ quantum culmen gloriæ ſunt perducti! Ecce non ſolum „ de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis „ poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque æterni „ judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent ... Horum nunc in Eccleſia „ Epiſcopi locum tenent. Ligandi atque ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur “. Suam ergo auctoritatem ab Eccleſia Petrus non accepit, Apoſtoli non acceperunt, non accipiunt, qui nunc in Eccleſia locum eorum tenent. Ex his vero omnibus nemini non omnino conſtare debet, a Patribus traditum nos accepiſſe, non Eccleſiam, ſed miniſtros illius eſſe ſubjectum ejus juriſdictionis, qua illa regitur.

§. II. Exponitur quo ſenſu intelligi debeant loca illa Patrum, in quibus traditur, juriſdictionem eſſe in Eccleſia.

Poteſtatem clavium Eccleſiæ collatam fuiſſe, nonnulli Patres aliquando affirmarunt, primo quidem ut oſtenderent, hujuſmodi poteſtatem ad commodum, utilitatem, & ædificationem Eccleſiæ totam comparatam eſſe, quemadmodum etiam ex Sacris Litteris conſtat (1): ſecundo ut innuerent, cla-

(1) Super. cap. 5. 8.

clavium potestatem personæ Petri ita affixam non fuisse, ut cum illo simul perierit, & non potius semper in Ecclesia permanserit, quatenus Petri successores eadem potestate præditos in se habet, atque retinet. Id jam animadvertimus, ac potissimum S. Augustini auctoritate exposuimus (1).

Priorem, æque ac alteram explicationem, etiam a Petavio traditam *Theolog. Dogmatum* lib. 3. cap. 16. num. 6. & seqq. Justinus Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 1. §. 6. num. 4. sua solita urbanitate vocat « Effugia, quibus ad declinandum genuinum, ac integrum hac in parte Ecclesiastica Traditionis sensum, utuntur Romanæ Curiæ fautores ". Verum utraque explicatio apte comparata est ad exponenda nonnulla loca Patrum, quæ opposita esse videntur communi Traditioni, qua acceptum habemus, Ecclesiam non esse subjectum jurisdictionis, quemadmodum in superiori §. ostendimus, idque etiam semper magis magisque constabit in sequentibus §§., in quibus nonnulla loca Patrum explicabimus, quæ multo ante tempore, quam Febronius, quidam nobis opposuerunt, evincemusque, nihil minus ex iis colligi posse, quam Ecclesiam esse subjectum jurisdictionis.

Tertiam tamen nos rationem nunc superaddimus, quæ est attendenda in hac re, de qua agimus, dum ex Patribus aliqua in medium adducuntur, quæ in Ecclesia jurisdictionem depositam fuisse aliquo modo præseferunt. Est vero hujusmodi; ut Patres dum claves esse in Ecclesia affirmant, id tantum velint, in Eccesia solummodo peccata remitti, extra eam autem id fieri nullo modo posse. Dum tamen in sola Ecclesia peccata remitti dicunt, non jurisdictione, quæ ab Ecclesia conferatur, sed ea, quæ in Ecclesia sit a Jesu Christo collata ministris illius, id fieri affirmant. Rem istam ex Augustino explicabimus, quoniam auctoritate potissimum ejus Adversarii nostri abutuntur. *De Doctrina Christiana* lib. 1. num. 17. ita habet S. Doctor: « Has igitur claves dedit Ecclesiæ suæ, ut „ quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo: quæ ligaret „ in terra, ligata essent & in cœlo: scilicet ut quisquis in „ Ec-

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 5.

„ Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur; quisquis autem crederet, seque ab his correctus averteret in ejusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide, atque correctione sanaretur". In *Enchiridio* num. 17. "Recte constituuntur ab his, qui Ecclesiis præsunt, „ tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua „ remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur". Unde vero sit illa jurisdictio in Ecclesia, ob quam in ea peccata dimittuntur, ita explicat pluribus in locis. *Serm.* 392., alias 59. in Homilias 50., num. 3. "Nemo sibi dicat: occulte ego: (pœnitentiam) apud Deum ago. „ Ergo sine causa dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo*: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei". Claves ergo Ecclesia accepit in Apostolis ligandi & solvendi facultatem a Christo recipientibus. *De Agone Christiano* nu. 32. „ Huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, quum „ Petro datæ sunt". *Serm.* 149., alias *De diversis* 24. nu. 7. „ Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat „ Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est". *Serm.* 295., alias *De diversis* 108., num. 2. postquam dixit claves Petro traditas, "Quia ipsius universitatis & unitatis „ Ecclesiæ figuram gessit", hæc superaddit, "Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni cœlorum, audite in „ alio loco, quid Dominus dicat Apostolis suis: *Accipite Spiritum Sanctum*, & continuo: si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, & si cujus tenueritis, tenebuntur". Claves ergo in Ecclesia esse ita quidem affirmat S. Augustinus, ut eas in S.Petro, & in Apostolis habeat, quas ipsi tamen non ab Ecclesia, sed a Jesu Christo receperunt.

§. III. Tertulliani, S. Cypriani, & S. Hilarii auctoritate Adversarii nostri frustra gloriantur.

Modo iis omnibus locis Patrum in distinctis §§. respondere aggredimur, quæ Hexaplarii ad priorem partem 90. damnatæ propositionis Quesnellii tom. 6. nobis opponunt, quæ quidem saltem maxima ex parte mutuati sunt, non solum a Richerio, sed etiam a Magdeburgensibus, & Marco Antonio de Do-

Dominis, quemadmodum Mamachius animadvertit *Orig. & Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 5. Hæc ergo sunt loca, quæ opponunt: Tertullianus in *Scorpiaco* cap. 10. inquit: „ Nam etsi adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus „ hìc Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas „ hìc unusquisque interrogatus, atque confessus secum feret “. S. Cyprianus epist. 72. *ad Jubajanum* affirmat, Ecclesiam esse unam, “ Quæ omnem sponsi sui, & Domini po„ testatem “ habet. Et in libro *De Unitate Ecclesiæ*, inquit: “ Hoc „ erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari con„ sortio præditi & honoris, & potestatis, sed exordium ab „ unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur... Quam „ unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus maxime „ Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum „ quoque ipsum unum, atque indivisum probemus “. S. Hi„ larius lib. 6. *De Trinitate* num. 38. tradit. “ Fidem, quæ „ Ecclesiæ fundamentum sit, regni cœlestis claves ha„ bere “.

At Tertullianus de clavibus regni cœlorum hìc latiori sensu loquitur, quatenus unusquisque confessione, atque Martyrio sibi aperiendi januas regni cœlorum potestatem habet. Hinc est, ut dicat: *Quas* (claves) *hìc unusquisque interrogatus, & confessus secum feret*. Et re quidem vera si de Ecclesiæ regendæ, atque gubernandæ ratione, si de alios ligandi, & solvendi potestate esset Tertullianus intelligendus, inde procul dubio consequeretur, ut unusquisque utrumque ex se facere posset: quod sane nullus quoque Adversariorum concessit. Quum ergo Tertullianus tum in lib. *De Præscript. Hæreticorum* cap. 22., tum in lib. *De Monogamia* cap. 8., tum in lib. *De Pudicitia* cap. 21., Petro, in quo Ecclesia ædificata fuit, ligandi, & solvendi potestatem collatam tradat, per Petrum Ecclesiæ relictas claves, eo sensu hìc affirmasse dicendum est, non quasi ab Ecclesia claves, sed a Christo in Ecclesiæ utilitatem Petrus receperit.

Qua vero ratione accipi debeat S. Cyprianus, dum dixit, Ecclesiam possidere omnem Sponsi sui, & Domini potestatem,

ſtatem, in eadem epiſtola ipſe explicavit: « Petro primum „ (inquit) Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & „ unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem „ iſtam dedit, ut inde ſolveretur in cœlis, quod ille ſolviſſet „ in terris. Et poſt reſurrectionem quoque Apoſtolos loqui- „ tur dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Unde „ intelligimus nonniſi in Eccleſia Præpoſitis, & in Evangelica „ Lege, & Dominica ordinatione fundatis licere baptiza- „ re (1), & peccata dimittere«. Poſſideri ergo ab Eccleſia Domini ſui poteſtatem Cyprianus exiſtimavit, quatenus regitur, & gubernatur ab iis, quibus Chriſtus ſuam auctoritatem contulit. « Dominus noſter, (inquit S. Cyprianus epiſt. 33. „ *ad Lapſos*) cujus præcepta metuere, & obſervare debemus, „ Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in „ Evangelio loquitur, & dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es* „ *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & ti-* „ *bi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris ſuper terram,* „ *erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolveris ſuper terram,* „ *erunt ſoluta & in cœlis*: inde per temporum, & ſucceſſionum „ vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ decurrit, ut Ec- „ cleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ „ per eoſdem Præpoſitos gubernetur«.

In libro autem *De Unitate Eccleſiæ* nonniſi unam veram Eccleſiam eſſe poſſe, atque hujuſmodi propterea inter ſe Epiſcopos unitatem ſervare, ut tota Eccleſia unus Epiſcopus eſſe videatur, hoc vero eſt, quod S. Cyprianus contendit. Ceterum ab Eccleſiæ unitate proficiſci illam auctoritatem, quam Præſules ejus habent, non ſolum non tradit, ſed etiam affirmat, de Eccleſiæ unitate conſtare, quia ſuper unum fundata eſt. Facta enim commemoratione eorum, quæ *Matthæi* cap. 16., & *Joannis* cap. 21. Chriſtum Petro dixiſſe legitur, ita habet: « Super unum ædificat Eccleſiam „ ſuam, & quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem „ tribuat ..... tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis

(1) Rebaptizantium errorem S. Cyprianus in hac epiſtola tuetur; verum rei noſtræ id non obeſt.

„ ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate di- „ ſpoſuit “. Fuiſſe autem ceteros Apoſtolos quod fuit Petrus, ita affirmat, ut Eccleſia ſupra Petrum conſtituta fuerit: “ Qui „ Eccleſiæ renititur, (inquit) aut reſiſtit, qui cathedram Pe- „ tri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia „ ſe eſſe confidit “? Verum de hoc alias.

Contendit vero S. Hilarius in lib. 6. *De Trinitate* non ſupra Petrum, ſed ſupra confeſſionem, & fidem ejus Eccleſiam fundatam fuiſſe. Unde mirandum non eſt, ſi fidei, quæ Eccleſiæ fundamentum ſit, tribuat claves regni cœleſtis “. Hæc fides (ſcilicet Petri confitentis Chriſtum eſſe Fi- „ lium Dei, inquit in eodem libro num. 36.) Eccleſiæ fun- „ damentum eſt. Per hanc fidem infirmæ adverſus eam ſunt „ portæ inferorum. Hæc fides, quæ in terris ſolverit, aut li- „ gaverit, & ligata in cœlis ſunt, & ſoluta ..... Hæc re- „ velatio Patris eſt, hoc Eccleſiæ fundamentum eſt, hæc ſe- „ curitas æternitatis eſt “.

§. IV. Auctoritate Sanctorum Patrum Baſilii, Ambroſii, Chryſoſtomi, & Hieronymi contra nos Adverſarii noſtri fruſtra pugnant.

Ita ergo habet S. Baſilius, quem pro ſe afferunt *Conſtitut. Monaſticarum* cap. 22. num. 5. *Omnibus deinceps Paſtoribus, ac Magiſtris eamdem tribuit* (ac Petro) poteſtatem, cujus quidem *rei ſignum eſt, quod omnes ſimiliter, ac ille, ligent, & ſolvant*. Auctor libri *De Dignitate Sacerdotali* cap. 2., quem S. Ambroſium eſſe Adverſarii noſtri falſo putant (1): “ Quas „ oves (ait) & quem gregem non ſolum tunc B. ſuſcepit Pe- „ trus Apoſtolus; ſed & nobiſcum eas accepit, & cum illo „ eas nos accepimus omnes “. S. Hieronymus lib. 1. *Adverſus Jovinianum* num. 26. “ Cuncti claves regni cœlorum ac- „ cipiunt, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur “. S. Joannes Chryſoſtomus Homil. *De non anathematizandis vivis, atque defunctis* num. 3. “ Ecquis tu es tantæ potentiæ, „ & auctoritatis? Tunc enim ſedebit Filius Dei, ſtatuetque „ oves a dextris, & hædos a ſiniſtris. Cur tantam uſurpaſti „ digni-

(1) Vide Maurinam edit.

„ dignitatem, cujus Apostolorum cœtus tantum consors fuit,
„ nec non ii, qui cum omni accuratione illorum se succes-
„ sores exhibent, pleni gratiæ & virtutis"?

Puderet sane, & arbitror futurum, ut unumquemque puderet, hæc loca Patrum proferre ad ostendendum Ecclesiam esse subjectum jurisdictionis. Quid enim minus, quam hoc, ex illis infertur? Nam ex S. Basilio, Auctore *De Dignitate Sacerdotali*, & S. Hieronymo ligandi, & solvendi potestatem cum Petro etiam nos accepisse colligitur; ex S. Joanne Chrysostomo anathematizandi potestatem datam Apostolis eorumque Successoribus. Quid? Anne inde ullo modo consequitur, jurisdictionem in Ecclesia depositam fuisse, & ab ea manare in ministros illius? Profecto dum talia Adversarii pro se in medium adducunt, non habere, quæ vere solideque adducere possint, nullum dubitandi locum relinquunt. Verum singula diluamus.

Id ergo unum vult S. Basilius, Episcopis Præpositisque omnibus ligandi, & solvendi potestatem esse concessam, ita tamen, ut in iis æqualiter extensa non sit, ac in Petro fuit, alioquin auctoritatem Abbatum, de quibus ibidem loquitur, æquasset auctoritati Petri: qua sane re nihil absurdius dici potest. Ceterum non Ecclesiæ, sed Petro, & futuris Pastoribus potestatem pascendi, Christum reliquisse, etiam in hoc libro cap. 22. num. 5. S. Basilius aperte profitetur, inquiens:
„ Hoc ab ipso Christo edocemur, qui post se Petrum Pasto-
„ rem Ecclesiæ suæ constituit: *Petre enim*, inquit, *diligis me*
„ *plus his*? *Pasce oves meas*. Atque etiam omnibus futuris Pa-
„ storibus, & Magistris eamdem potestatem tribuit. Et hujus
„ rei argumentum est, quod perinde, atque ille, ligent, &
„ solvant". *In Commentariis* autem *in Evangelium Matthæi* cap. 15. num. 6., & in *Psal.* 131. num. 4. Petrum etiam ceteris Apostolis præpositum fuisse, & in eo Ecclesiæ fundamenta posita, adeo luculenter tradit, ut nihil magis distincte exprimi possit.

Auctor libri *De Dignitate Sacerdotali* totus in eo est, si-

 cuti

cuti ex libri inſcriptione conſtat, ut Sacerdotii dignitatem auctoritatemque commendet. Habita itaque ratione ejus poteſtatis, quam Sacerdotes recipiunt, dum Sacro Ordine initiantur, etiam eos curam paſcendi oves a Deo ſuſcepiſſe, hic Auctor libri *De Dignitate Sacerdotali* affirmare potuit. Nam poteſtas juriſdictionis illam poteſtatem præſupponit. Quia vero ſecundum hanc rationem Sacerdotes cum Petro comparantur: neque enim ſunt minus Sacerdotes, quam Petrus; ideo & Petrum cum Sacerdotibus, & Sacerdotes cum Petro curam gregis ſuſcepiſſe affirmavit. Caput vero 3. ita exorditur: „ Hæc vero cuncta, fratres, ideo nos præmiſiſſe debetis co- „ gnoſcere, ut oſtenderemus, nihil eſſe in hoc ſeculo excel- „ lentius Sacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri". Utrumque ergo genus Eccleſiaſticæ dignitatis commendare, hoc vero eſt, quod Auctor ſibi propoſuit, nullo autem modo voluit, unam eamdemque Eccleſiaſticorum omnium eſſe curam ovilis Dominici.

In citata Homilia S. Joannes Chryſoſtomus graviter redarguit illos, qui anathema dicebant iis, a quibus aliquid mali acceperant. Primo Chriſti exemplum, atque præceptum nobis indicentis, ut bonum pro malo reddamus, eiſdem objicit: deinde vero affirmat, non cujuſcumque eſſe anathema alteri dicere, ſed Apoſtolorum tantum fuiſſe, eorumque nunc eſſe, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt. Anne fortaſſe ex his colligi poteſt, aut Eccleſiam eſſe ſubjectum ejus juriſdictionis, qua anathema alteri dicitur, aut eamdem Apoſtolorum, & Petri, etiam quatenus ſuper eum Eccleſia ædificatam legimus, fuiſſe poteſtatem?

Nihil quoque Hexaplarii habent, unde de Hieronymi auctoritate gloriari poſſint. Hæc enim in eo loco dicit, quem pro ſe in medium adducunt: "At dicis ſuper Petrum fundatur „ Eccleſia licet id ipſum in alio loco legitur quod ſuper omnes „ Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, „ & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: ta- „ men propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite „ conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio". Hoc vero caput

ad

ad tollendam occasionem schismatis frustra constitutum esset, semel ac illud supra ceteros auctoritate præditum non foret (1).

§. V. Adversarii nostri Augustini auctoritati frustra innituntur.

Multa sane, ex S. Augustino in hanc rem pro se nobis opponunt: illa nunc ergo in hoc §. expendemus. Loca S. Augustini, quæ facere pro se putant, hæc sunt. S. Augustinus *Tract.* 7. *in Joannem* num. 14. ita habet: " Petrus „ autem a petra, petra vero Ecclesia: ergo in Petri nomi„ne figurata est Ecclesia ". *Tract.* 50. num. 12. " Nam si „ in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei dice„ret Dominus: Tibi dabo claves regni cœlorum, quæcum„que solveris in terra, soluta erunt & in cœlo, & quæ„cumque ligaveris in terra, ligata erunt & in cœlo. Si „ hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. „ Si autem & in Ecclesia fit ... Petrus quando claves ac„cepit, Ecclesiam sanctam significavit ". *Tract.* 118. n. 4. „ Sicut in Apostolis quum esset etiam ipse numerus duo„denarius, id est, quadripertitus in ternos, & omnes essent „ interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus Filius „ Dei vivi: & ei dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum, „ tamquam ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem: „ quum & illud unum pro omnibus dixerit, & hoc cum „ omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tamquam perso„nam gerens ipsius unitatis acceperit ". *Tract.* 124. n. 5. „ Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo re„gni cœlorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi „ solvendique peccata. Quod est enim per proprietatem in „ Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in Petra; „ qua significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia„. *Sermone* 76., alias 13. *De Verbis Domini*, num. 1. " Quia „ tu dixisti mihi: Tu es Christus Filius Dei vivi; & ego „ dico tibi: Tu es Petrus. Simon quippe antea vocabatur. „ Hoc

(1) Vide §. 9. cap. 2. hujus lib.

„ Hoc autem ei nomen, ut Petrus appellaretur, a Domino „ impositum est: & hoc in ea figura, ut significaret Eccle„ siam ". *Sermone* 295., alias 108. *De Diversis*, num. 2. „ Inter Apostolos pene ubique solus Petrus totius Ecclesiæ „ meruit gestare personam: propter ipsam personam, quam „ totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit: Tibi dabo „ claves regni cœlorum. Has enim claves non homo unus, „ sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia „ prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesiæ „ figuram gessit, quando ei dictum est, Tibi trado, quod omni„ bus traditum est". *Serm.* 296., alias 106. *De Diversis*, nu. 5." „ Quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non „ Petrus solus, sed etiam alii Apostoli audierunt, tenue„ runt, servaverunt, maximeque ipse consors sanguinis, & „ diei ipse Apostolus Paulus. Audierunt ista, & ad nos au„ dienda transmiserunt. Pascimus vos, pascimur vobiscum". Lib. 1. *De Doctrina Christiana* num. 17. " Has igitur claves „ dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta es„ sent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent & in „ cœlo ". Lib. 3. *De Baptismo* num. 23. expendens illa verba *Joannis* cap. 20. v. 22. *Sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*, inquit: " Ergo si personam gerebant Ecclesiæ; & sic „ eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur: pax „ Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio „ tenet peccata ". Nonnulla alia ejusdem generis in Augustini operibus occurrunt; hæc tamen præcipua sunt, atque potissima, in quibus fidunt, qui contra nos sentiunt.

Ex his ergo omnibus, aliisque ejusdem generis, hæc sunt, quæ æquo jure colligi possunt: 1. Petrum Ecclesiæ figuram gessisse, quando claves regni cœlorum tradidit illi Christus: 2. Ecclesiam in Petro claves regni cœlorum accepisse: 3. In Petro ligandi, & solvendi potestatem datam etiam ceteris Apostolis, quia Petrus gerebat personam unitatis: 4. Claves in Ecclesia esse, atque in pace illius peccata dimitti. Nihil horum tamen est hujusmodi, ut Adversariis nostris

ſtris præſidio eſſe poſſit. Quoniam vero tota difficultas in eo poſita eſt, quod S. Auguſtinus de ea Eccleſiæ figura tradit, quam S. Petrus geſſit, dum claves recepit; eſt nunc explicandum diligenter a nobis, quo ſenſu Petrum Eccleſiæ figuram geſſiſſe S. Auguſtinus voluerit. Gerere ergo Petrus Eccleſiæ figuram poterat, & quatenus erat Legatus illius, & quatenus ejuſdem ſupremum regimen recepit: qua ſane ratione etiam ſupremus Princeps populorum ſibi ſubjectorum figuram gerit: ſi priori modo Petrum Eccleſiæ figuram geſſiſſe dicamus; tunc ſane non ipſe, ſed Eccleſia erit ſubjectum juriſdictionis, atque ab illa ſuam juriſdictionem Petrum mutuatum fuiſſe oportet: nam legatus ſuam juriſdictionem accipit ab eo, cujus legatione fungitur: ſi autem altero; Petrus erit ſubjectum juriſdictionis, quæ ſane ab eo in Eccleſiam dimanavit. Non in priori, ſed in hoc altero ſenſu Petrum Eccleſiæ figuram geſſiſſe S. Auguſtinus affirmavit. In his vero locis modo ſiſtamus, quæ nobis opponuntur. *Tract.* 50. num. 10. ex eo quod peccata in Eccleſia dimittantur, S. Auguſtinus infert, Petrum, quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificaſſe: illud ergo prius ex hoc altero conſequi arbitratur: igitur dimiſſionem peccatorum, quæ in Eccleſia fit, repetit a poteſtate clavium, quam dum Petrus accepit, Eccleſiam figuravit. *Tract.* 118. num. 4. Petrum cum omnibus Apoſtolis ligandi ſolvendique poteſtatem a Chriſto accepiſſe dicit, quia gerebat perſonam unitatis: ligandi ergo & ſolvendi poteſtatem quum omnes Apoſtoli ideo acceperint, quia omnes in ſe Petrus ob ſuæ præcellentiam auctoritatis quodammodo continebat, ipſeque præterea a Chriſto, non ab Eccleſia, receperat eam auctoritatem, quam habuit; inde conſequitur, Petrum ex inſtitutione Chriſti fuiſſe omnium ſupremum caput, & non ab Eccleſia in ipſum, ſed ab ipſo in Eccleſiam juriſdictionem dimanaſſe. *Tract.* 124. num. 5. Eccleſiam accepiſſe claves tradit S. Auguſtinus, attamen in Petro: ſi ergo in Petro claves Eccleſia recepit, & eas ipſa Petro tradere non potuit, & Petrus earumdem origo eſt in illa. *Tract.* 76. num. 1.

etiam

etiam impositione novi nominis, & ea quidem a Christo, Petrum fuisse figuram Ecclesiæ affirmat S. Doctor. Quemadmodum enim clavibus, ita etiam impositione novi nominis Ecclesiæ regimen Petrus recepit, ac propterea sicuti illis *Tract.*50. num.10.; ita etiam ista S. Petrum Ecclesiæ figuram gessisse, in hoc 76. sermone contendit. *Serm.*295. n.2. illud S. Augustinus semper urget, Petrum, non Ecclesiam, aut unitatem, audire meruisse: Tibi dabo claves regni cœlorum, atque id Petrum audire meruisse, quia ille solus totius Ecclesiæ personam gestabat: ex quo sane Petri excellentiam prædicandam confirmat. *Serm.*296. num.5. id unum S. Augustini verba præseferunt, curam Dominici gregis non solum Petro, sed etiam ceteris Apostolis commissam fuisse, immo ad nos quoque eam transiisse: ex hoc autem, an fortasse consequitur, Petrum, & ceteros Apostolos hujusmodi munus ab Ecclesia recepisse, aut æqualiter illud tum Petrum, tum ceteros Apostolos obtinuisse? Quomodo ergo Petrus tantum Ecclesiæ figuram gessit, ejusque unitatem repræsentavit? Ea ergo ipsa loca, quæ nobis opponuntur, si, prout debet, expendantur, verusque sensus illorum eruatur, neminem dubitare sinunt, Petrum gessisse figuram Ecclesiæ, quatenus ejusdem supremum regimen recepit.

Hoc vero est, quod S. Augustinus in pluribus locis aperte confirmat: nam & Petrum *propter Apostolatus sui Primatum Ecclesiæ gessisse figurata quadam generalitate personam: & abundariore gratia fuisse primum Apostolorum*: & *Ecclesiæ figuram portare*, atque *Apostolatus Principatum tenere*: & *in figura gestasse Ecclesiæ personam propter Primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: Tibi dabo claves regni cœlorum* (1): & *in uno Petro Ecclesiam formatam* (2), sunt sane omnes dicendi rationes, quas a S. Augustino traditas accepimus, iisque nullus dubitandi locus relinquitur, quin S. Doctor voluerit, Petrum Ecclesiæ figuram gessisse ob illud regimen, quod super eam a Jesu Christo recepit.

Cur

(1) Vide loca hujus lib. cap.1. §.5. (2) *Serm.* 137., alias 49. *De Verbis Dom.*, num.3.

Cur vero S. Augustinus potestatem clavium tam sæpe, ac frequenter in Petro simul, & in Ecclesia conjungendas putaverit, dixeritque claves Petro collatas fuisse, quatenus Ecclesiam repræsentabat, jam exposuimus (1), nec est, cur nunc rem actam agamus. Est illud quoque jam animadversum a nobis (2), ea de causa Patres quandoque dixisse, in Ecclesia jurisdictionem fuisse depositam, ut significarent, in Ecclesia quidem peccata remitti, non vero extra eam. Hoc vero est, quemadmodum ostendimus, quod vult S. Augustinus in lib. 1. *De Doctrina Christiana* num. 17., sicuti etiam lib. 3. *De Baptismo* num. 23. Nam ante ea, quæ nobis objiciuntur, num. præcedenti ita habet: " Sacramenti „ autem integritas ubique cognoscitur, sed ad peccatorum „ illam irrevocabilem remissionem extra unitatem Ecclesiæ „ non valebit. Nec in hæresi, aut schismate constitutum „ Sanctorum orationes, id est, illius unicæ columbæ gemi- „ tus poterunt adjuvare " (3). Huc usque de sententia S. Augustini, quem tenuisse, quod ipsi contra nos tuentur, Adversarii nostri tantopere jactitant.

§. VI. In auctoritate Sanctorum Fulgentii, & Gregorii Magni, Bedæ, ac Patrum Concilii Arelatensis Adversarii nostri frustra confidunt.

Hæc ergo sunt, quæ ex istis nobis opponunt. S. Fulgentius lib. 2. *De Remissione peccatorum* cap. 20. ita habet: „ Hinc est, quod etiam cum Beato Petro, hoc est Eccle- „ siæ suæ, in terra ligandi solvendique tribuit potestatem ". *De Fide ad Petrum* cap. 3. num. 27. " Pœnitentia peccatori „ tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui Deus „ in persona Petri ligandi solvendique tribuit potestatem ". Lib. 6. cap. 3. num. 24. Auctor *Expositionum* in librum 1. Regum, quem fuisse S. Gregorium Magnum Adversarii nostri falso putarunt (4): " Quod antiquis nusquam dicitur, modo

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 5. (2) Hujus cap. §. 2. (3) Vide cit. loco plura alia, quæ S. Augustinus in eamdem rem habet. (4) Vide Maurinos Patres in Præfat. tom. 3. par. 2., & Mamachium *Orig. & Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 5.

„ universali Ecclesiæ dicitur: Quodcumque ligaveris super „ terram “. Beda in cap. 21. *Joannis* Ecclesiam in Petro claves accepisse affirmat, & in cap. 16. *Evangelii* “ Officium „ ligandi solvendique Episcopis, Presbyteris, & omni Ec- „ clesiæ commissum “ affirmat. *Homilia in vigilia Apostolorum S. Petri, & Pauli* “ Hoc fuisse ceteros Apostolos, quod „ erat Petrus ... ab eorum successoribus pasci gregem “. *Homil. in die Sancto BB. Petri, & Pauli Apostolorum* affirmat, *omni electorum Ecclesiæ auctoritatem* dimittendi, & retinendi peccata tributam fuisse. Patres Concilii Arelatensis in epistola ad Sylvestrum Papam (1) tradunt Donatistas, *Judice Deo, & Matre Ecclesia aut damnatos fuisse, aut repulsos*.

Quo sensu dixit S. Augustinus claves Ecclesiæ traditas a Jesu Christo fuisse, dixit etiam S. Fulgentius ejusdem S. Augustini discipulus. Nam Ecclesiam in persona Petri, non Petrum per Ecclesiam, ligandi, & solvendi potestatem a Jesu Christo accepisse tradit in lib. *De Fide ad Petrum* num. 33. inquiens: “ Sed etiam pœnitentia peccatori tunc „ prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui Deus „ in persona B. Petri ligandi solvendique tribuit potestatem “. Et lib. 1. *De Remissione peccatorum* cap. 19. “ In sola Eccle- „ sia Catholica datur, & accipitur remissio peccatorum, „ quam ipse sponsus dicit esse columbam suam ... quam „ supra petram fundavit, cui etiam potestatem ligandi sol- „ vendique concessit, sicut B. Petro veritas ipsa repromit- „ tit dicens: *Tu es Petrus &c.* “ Id ergo tum in his locis, tum in aliis duobus superioribus, S. Fulgentius contendit, in sola Ecclesia Catholica remissionem peccatorum dari posse: quia vero ad dandam remissionem peccatorum solvendi, & ligandi potestas requiritur; ideo superaddidit, in eadem Ecclesia esse ligandi, & solvendi potestatem, simulque explicavit, qua ratione esset, dum dixit, in persona B. Petri eam accepisse, quatenus potestas, quam Jesus Christus Petro contulit, semper in Ecclesia permanebat, semperque permansura erat in successoribus illius.

Au-

(1) Tom 1. Concil. edit. Harduini colum. 261.

Auctor *Expositionum* in lib. 1. *Regum*, universali Ecclesiæ dictum esse, *Quodcumque ligaveris &c.* eo sensu affirmat, ut in ea sint, qui divinitus ligandi solvendique potestatem habeant, illiusque negotiis præsideant. Nam lib. 3. cap. 4. num. 19. inquit: " Quod autem imponi arca auditoribus super plaustrum jubetur, hoc profecto insinuat, videlicet, " quod in Sancta Ecclesia plures ordines Præsulum invenimus: quia dum prærogativa alii aliis digniores sunt, etiam " auctoritatem præcipiendi sortiuntur in culmine altioris ordinis ". Et lib. 4. cap. 5. num. 3. " Sed quum sancti viri " ad Primatum Sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer " expavescunt, ne onus tanti ordinis sibi judicio hominum " sit impositum, non ordinatione conditoris ". Quemadmodum ergo Præsules cetera alia, quæ sunt sacri ordinis, Divino jure muniti, in Ecclesia præstant, eaque ab Ecclesia fieri, seu Ecclesiæ datum esse, ut fiant, dici potest; ita quoque idem judicium ferendum est de ea potestate, qua peccata ligantur, atque solvuntur. Ligandi enim, & solvendi potestatem Ecclesia accepit in diversis ordinibus Præsulum, qui auctoritatem præcipiendi sortiuntur non ab ipsa, sed *in culmine altioris ordinis*.

Quia vero Adversarii S. Gregorii auctoritate suum errorem confirmari præsumunt; ideo ad ea, quæ usque modo in præcedentibus protulimus, unum tantum ex multis, nunc superaddimus. Epistol. lib. 6. indict. 7. epist. 40., alias 37. in hunc modum ad Episcopum Eulogium scribit: " Suavissima mihi Sanctitas vestra multa in epistolis suis de " S. Petri Apostolorum Principis cathedra loquuta est, di- " cens, quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus " sedeat ... Quis enim nesciat, Sanctam Ecclesiam in Apo- " stolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem " mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? " Cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum.* " Cui rursus dicitur: *Et tu aliquando conversus confirma fra-* " *tres tuos*. Iterumque: *Simon Joannis amas me? Pasce oves* " *meas*. Itaque quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen

 " Prin-

„ Principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate „ convaluit, quæ in tribus locis unius est “. Quapropter S. Gregorius non solum non sensit, ab Ecclesia in sui supremum primum caput jurisdictionem manasse, sed firmiter tenuit in soliditate ejusdem capitis Ecclesiam firmatam fuisse; caput vero ejus suam omnem firmitatem a Christo accepisse, obtinuisseque Principatum, quo in auctoritate convalesceret. Quibus sane omnibus errori nobis adversantium nihil magis contrarium esse potest.

Ad Bedam veniamus. Ex eo quod a Beda dicatur, Ecclesiam in Petro claves accepisse, nihil minus inde colligi posse, quam quod Adversarii vellent, jam exposuimus (1). Quomodo ergo claves in Ecclesia esse Beda intellexerit, nunc superest, ut ostendamus. Hoc autem perspectum fit ex iis, quæ habet in citata *Homilia in Die Sancto BB. Petri & Pauli Apostolorum*: explicans enim illa verba: *Et quodcumque ligaveris super terram*, ita habet: “ Quæ solvendi & „ ligandi potestas quamvis soli Petro videatur a Domino „ data, absque ulla tamen dubietate noscendum est, quia „ & ceteris Apostolis datur, ipso teste, qui post passionis „ resurrectionisque suæ triumphum, eis insufflavit, & dixit „ eis: *Accipite Spiritum Sanctum*. Nec non etiam nunc Epi„ scopis, ac Presbyteris idem officium committitur “. Omni ergo Ecclesiæ hoc quidem officium committitur: verum ipsa ne est, quæ jurisdictionem recipit, aut confert? committitur sane Episcopis, & Presbyteris, qui eumdem, ac Apostoli, suæ potestatis auctorem habent. Ne tamen, quia dixerat non solum Petrum, sed etiam ceteros Apostolos clavium potestatem accepisse, istos cum illo coæquasse videretur, hæc alia Beda superaddidit. “ Sed ideo B. Petrus... „ specialiter claves regni cœlorum, & principatum judicia„ riæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes in„ telligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis „ illius, quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vin„ culis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœ„ lestis ingredi “. Are-

(1) Præced. §.

Arelatensis I. Synodi Patres, *Judice Deo*, *& matre Ecclesia*, *aut damnatos fuisse*, *aut repulsos* Donatistas scripserunt quidem ad Sylvestrum Romanum Pontificem: verum ex ea ratione, qua dicunt, Judice Ecclesiæ, Donatistas fuisse damnatos, aut repulsos, aperte constat, Arelatensium Patrum, & nostram, unam eamdemque sententiam esse. A se namque, qui essent Judices, Schismaticos repressos fuisse dicunt, sacrisque Christianorum prohibitos, " Credimus (inquiunt) quia in eos severior fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majori lætitia exultasset ". Quia tamen simul congregati eas Ecclesias exhibuerant, quarum Pastores erant, tulerantque judicium, prout Ecclesiæ fides postulabat, inde est, ut Ecclesiæ judicio Donatistas damnatos fuisse, dicere æquo jure potuerint, quamvis ipsi de causa Donatistarum judicium tulissent: unde ajebant. " Communi copula charitatis, & unitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, gloriosissime Pape, commerita reverentia salutamus. Ubi graves, ac perniciosos legi nostræ, & traditioni, effrænatæque mentis homines pertulimus, quos & Dei nostri præsens auctoritas, & traditio, ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo, Judice Deo, & matre Ecclesia, quæ suos novit, & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi ": Matre, inquam, Ecclesia, repulsi fuere, auctoritate tamen illorum, qui ipsi Ecclesiæ præerant.

§. VII. Synodorum Meldensis, Lateranensis IV., Constantiensis, Basileensis, & Tridentinæ, auctoritate Adversarii abutuntur.

Hæc ergo ex Præfatione Synodi Meldensis in medium proferunt (1): " Quia nulli, qui sanum capit, est dubium, ita Dominum omnia moderasse, ut, clavibus Ecclesiæ datis, aditus ad vitam aut claudi debeat, aut reserari ".

Ex

(1) Tom. 9. Concil. Editionis Venetæ colum. 957.

Ex cap. 1. Concilii Lateranenſis IV. hæc alia (1) : " Hoc uti-
„ que Sacramentum (Euchariſtiæ) nemo poteſt conficere ,
„ niſi Sacerdos , qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves
„ Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum Succeſſo-
„ ribus Jeſus Chriſtus ". Conſtantienſis Synodi auctoritate ſtatutum dicunt. 1. Concilia univerſalia ſuam a Chriſto infallibilem auctoritatem immediate recepiſſe : 2. in hujuſmodi Conciliis non ſolam ſocietatem Paſtorum , ſed univerſalem Eccleſiam repræſentari. In Baſileenſi determinatum aſſerunt: Eccleſiam infallibilem eſſe : in ſinu ejus eſſe nos regeneratos: eſſe eamdem januam cœli, Sponſam Jeſu Chriſti , & matrem omnium Fidelium, quæ claves ſolvendi, & ligandi a Domino accepit. Concilium Tridentinum, inquiunt, ſeſſ. 14. can. 15. anathema dicit iis, qui non confitentur, Eccleſiæ datam fuiſſe ligandi, & ſolvendi poteſtatem: ſeſſ. 21. cap. 2. agnoſcit in Eccleſia jus ſtatuendi, quod convenientius ſervari poſſe putat in adminiſtratione Sacramentorum: ſeſs. 25. can. 21. diſpenſandi indulgentias: tandem ſeſs. 7. can. 11. ſtatuit, invalida eſse Sacramenta, quæ conferuntur ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia.

Nihil tamen horum tale eſt, quod conducere ad eam cauſam poſſit, quam ſuſtinendam Adverſarii noſtri ſibi propoſuerunt; Eccleſiam nempe eſſe ſubjectam juriſdictionis, non ipſos Eccleſiæ miniſtros: oppoſitum enim , & quidem in eodem loco nobis objecto , manifeſte docent Patres Synodi Meldenſis: nam ante ea verba, quæ nobis opponuntur, ita habent: " Propheta Sacerdotalem geſtans perſonam, Domi-
„ no loquente, præmonſtrat dicens (2): *Ego conſtitui te hodie*
„ *ſuper gentes, & regna , ut evellas , & deſtruas , & diſſipes ,*
„ *& diſperdas , & ædifices ; & plantes* . Quatuor enim prius
„ ponens ad deſtruendum prava , & duo poſtmodum ad ſta-
„ tuendum recta , oſtendit quid falce Sacerdotali durius va-
„ leat, & ſæpius debeat recidi..... Sacerdotum eſt enim,
„ Divina populo dare mandata, & referre reſponſa, quia in
„ Ra-

(1) Tom. 13. Concil. ejuſdem edit. colum. 930. (2) *Jerem.* cap. 1. v. 10.

„ Rationali pectoris Aaron erant doctrina, & veritas. Et Sacerdotalis chorus os Domini appellatur, sicut scriptum est (1): *Si separaveris pretiosum a vili, os meum eris*. Sacerdotum est etiam imminentem gladium, quæ est animadversio Divini furoris, atque judicii, populis nuntiare ..... pravosque in omni Ecclesia, si ita res poposcerit, ut seculi Judices, & Divini judicii præcones, segregare de rectis". Post hæc vero ea habent Patres Arelatenses, quæ Adversarii nostri pro se in mediunt adducunt: unde quo sensu illa accipi debeant, & quidem secundum sententiam eorumdem Patrum, nobis etiam tacentibus, unicuique perspectum esse potest.

In IV. Concilio Lateranensi multa sane occurrunt, quæ nostris Adversariis opponere possemus; verum non est, cur id faciamus, quum ex eo loco, quod pro se afferunt, de suo errore convincantur. Tradunt quidem Lateranenses Patres, neminem Eucharistiæ Sacramentum conficere, præter eum posse, qui secundum Ecclesiæ claves sacro Ordine initiatus fuerit: at vero statim explicant, cuinam tandem hujusmodi claves Jesus Christus commiserit: non dicunt Ecclesiæ, sed Apostolis, eorumque Successoribus a Jesu Christo commissas fuisse affirmant: quo sane uno, de suæ falsitate opinionis Adversarii convinci possunt.

De iis, quæ in Conciliis Constantiensi,& Basileensi sancita esse dicuntur, disputationem nunc non instituimus, quia semel ac id facere aggrederemur, extra rem nostram diutius nos vagari oporteret: instituemus autem postea suo tempore. Modo ergo id tantum paucis, quod ad Adversarios refellendos sufficere posse arbitramur. Illud igitur quærimus, quo sensu voluerint Patres Constantienses, atque Basileenses, Concilia universalia infallibilem auctoritatem immediate a Deo recepisse, atque Ecclesiæ collatam ligandi, & solvendi potestatem: profecto non in sensu abstracto, quemadmodum Scholastici loquuntur, seu metaphysico, intellexerunt; quum juxta hanc acceptionem Ecclesia neque aliquid in se recipere, neque

(1) *Jerem.* cap. 15. v. 19.

neque conferre possit: in sensu igitur physico intellexisse oportet, hoc est, quatenus Concilia constant Ecclesiæ Præsulibus, & Ecclesia Fidelibus eadem communione fidei sub uno supremo Pastore inter se colligatis. Quoniam vero nunc non disputamus, qualis hac de re Patrum Constantiensium definitio fuerit, ita inferimus: igitur omnis ea potestas, quam Concilia a Deo recepisse, Patres Constantienses dicunt, Patres simul in unum in Concilio congregatos recepisse, dicant oportet: sunt ergo isti subjectum jurisdictionis: istis ergo, & non Ecclesiæ, jurisdictionem collatam fuisse dicendum est. Idem vero judicium etiam de potestate clavium oportet, ut feratur: nam hæc quoque est tradita Ecclesiæ, quatenus in ea sunt, qui ligare, & solvere possunt.

Neque est, cur dicatur, & Patres quatenus in unum simul congregantur, atque Ecclesiam repræsentant, esse a Deo potestate præditos, & jurisdictionem clavium convenire quibusdam, quatenus sunt Ecclesiæ ministri: nam habent quidem Patres a Deo potestatem, quatenus in unum sub Capite supremo simul congregantur; semper tamen ipsi eam a Deo recipiunt: simili ratione jurisdictio clavium quibusdam convenit, quatenus sunt Ecclesiæ ministri; tamen Divino jure Ecclesiæ ministri fiunt. Illud ergo semper dicendum superest, potestatis, & jurisdictionis subjectum Ecclesiam esse non posse.

Dum vero illud ex Concilio Constantiensi Adversarii urgent, in Conciliis Generalibus *non solum Pastorum societatem, sed etiam universalem Ecclesiam repræsentari*; quamvis juxta Labbæanam editionem ita legatur: " Et primo quod ipsa " Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, Generale " Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem re- " præsentans "; dum illud, inquam, Adversarii urgent, id consequitur, ut velint, quod ne ipsi quidem norunt. Nam in Conciliis Generalibus universam Ecclesiam repræsentari, quatenus in eis in unum sub supremo Capite conveniunt, qui præsunt Ecclesiis omnibus, omnemque potestatem habent,

bent, unanimis est sententia Patrum (1). Ecclesiam repræsentant Patres, repræsentata persona, est Ecclesia: illud Patres habent, quia regendi Ecclesias est eis commissa potestas, istud Ecclesiæ convenit, quia quaquaversum diffunditur, illorumque auctoritate gubernatur. Juxta rationem autem Adversariorum in Conciliis Generalibus societas Pastorum repræsentatur, atque etiam Ecclesia universalis repræsentatur. Verum a quo, vel a quibus tum illa, tum ista repræsentantur? An fortasse a loco, in quo Patres simul in unum conveniunt? Profecto dici non potest, aliquid repræsentari, nisi id habeatur, a quo repræsentetur. Societas Pastorum neque se ipsam repræsentat, quia repræsentatio unius rei fit per aliud ab illa diversum; neque Ecclesiam, quia ipsa quoque societas Pastorum in Conciliis Œcumenicis repræsentatur: ullo igitur sine repræsentante principio supponitur tum societatem Pastorum, tum etiam Ecclesiam universalem in Conciliis Œcumenicis repræsentari: igitur ne ipsi quidem Adversarii norunt, quod velint, dum in Conciliis Œcumenicis societatem Pastorum, & Ecclesiam universalem repræsentari, falso urgent ex Concilio Constantiensi.

Longe autem pluribus prærogativis Ecclesia præfulget, quam eæ sint, quas Adversarii nostri ex Basileensi Concilio recensent: verumtamen nihil istud ad rem illorum facit. Quidquid enim perfectionis, sanctitatis ob potestatem, atque auctoritatem Ecclesiæ convenit, est sane illi tribuendum, quia eos quoque, & quidem potissimum, in se complectitur, qui hujusmodi potestate, & auctoritate sunt Divino jure præditi.

Concilii Tridentini Patres, non solum alibi sæpe, sed etiam in ipsis iisdem locis, ad quæ Adversarii nostri provocant, id tradunt, quod nos modo contra eos tuemur. Affirmant enim can. 10. sess. 14. solis Sacerdotibus a Jesu Christo dictum fuisse: *Quæcumque alligaveritis super terram &c.* sess. 21. cap. 2.: dum confitentur, esse in Ecclesia potestatem statuendi in administratione Sacramentorum, quod convenientius putaverit, illud Apostoli *I. Corinth.* cap. 4. v. 2. *Sic nos existimet homo, ut*

(1) Vide Bellarminum *De Concil. auctorit.* lib. 2. cap. 2.

ut ministros Christi, *ut dispensatores mysteriorum Dei*; in medium adducunt: sess. 25. cap. 21. mandant Episcopis, ut in abusus indulgentiarum inquirant, eosque Summo Pontifici deferant; ut ejus *auctoritate*, *& prudentia*, *quod universali Ecclesiæ expediat*, *statuatur*: tandem sess. 7. can. 11. volunt Tridentini Patres, ut Ministri Sacramentorum intentionem faciendi habeant, quod facit Ecclesia, quatenus in hoc sacro Ministerio id sibi agendum proponunt, quod Ecclesiæ fides juxta sua dogmata requirit. Licet vero Ecclesia non sit subjectum jurisdictionis; tamen qui jurisdictione præditi sunt, uti ea fane debent, prout fert ipsius Ecclesiæ fides.

§. VIII. Paschasius Abbas Corbejensis, Hincmarus Remensis, Rhabanus Maurus, Hadrianus II., Hugo Rotomagensis, Innocentius II., Petrus Cellensis, Petrus Lombardus, S. Thomas Aquinas, Thomas Waldensis, non sunt adjumento Adversariis nostris, sicuti ipsi sibi falso blandiuntur.

Paucis de his omnibus, quum ex illis, quæ usque modo disseruimus, manifestum sit, quo sensu ab aliquibus, quandoque dictum fuerit, claves datas fuisse Ecclesiæ. Hæc quidem habet Paschasius Ratbertus *Comment.* in *Matth.* lib. 8. tom. 7. Biblioth. Patrum edit. Lugdunen. „ Unusquisque circumstantiam lectionis hujus diligenter intendat, maxime „ tamen Episcopi, quibus videtur cum Petro, & cum omnibus Apostolis hæc potestas specialiter a Domino attributa, „ licet & omni Ecclesiæ sit concessa ". Post hæc tamen verba statim Paschasius ita habet, explicans qua ratione potestas clavium omni Ecclesiæ concessa sit: „ Quoniam qui hanc „ vult sibi vendicare gratiam, debet firmitatem Petri in petra tenere, fidemque moribus, & voce prædicare ". Hoc ergo est, quod vult Paschasius omni Ecclesiæ, id est, singulis Fidelibus quoad potestatem clavium concessum esse, ut scilicet unusquisque januas regni cœlorum sibi aperire possit, si Christi fidem, & voce profiteatur, & suis moribus teneat: alioquin dicendum esset, sensisse Paschasium, unumquemque Fidelem potestate clavium uti, & quidem in sui utilitatem, posse.

Hinc-

Hincmarus Remensis in epist. 22. ad Hincmarum Laudunensem cap. 20. eadem loquendi ratione utitur, ac Beda, quemadmodum etiam Adversarii fatentur. Quapropter non est, cur nunc alia superaddamus iis, quæ supra disseruimus. Rhabani sententia perspicua est, & non contraria nobis.

Hadrianus II. epist. 14. *ad Waldradam* (1) illud quidem dicit, datas fuisse Ecclesiæ claves ligandi, atque solvendi; verum epist. 8: *ad Carolum Calvum Regem*, & epist. 13. *ad Lotharium Regem*, se eum esse affirmat, qui in Petri locum, & dignitatem Divina auctoritate successit.

Hugo Rotomagensis lib. 2. Dialogorum (2) explicandus est eadem ratione, ac alii, de quibus mentionem usque modo fecimus.

Innocentium II. in epist. *ad S. Bernardum Abbatem*, quæ est 194. inter epist. S. Bernardi, & Petrum a Jesu Christo constitutum Principem Apostolorum, & Successores Apostolorum non dubitasse veram fidem suo sanguine tueri num. 1. dicit. Num. autem 3. tradit, se, utpote in Petri cathedra constitutum, Petri Abælardi perversa dogmata damnare. Anne ista contra nos faciunt? Verum qui sibi esse magis perspectum voluerit, quam sit contraria Adversariis nostris sententia Innocentii, legat epistolas illius (3).

In iis explicandis, quæ habet Petrus Cellensis lib. 1. epist. 8. ad Archiepiscopum Senonensem, non est, cur immoremur: illius enim, ac supradictorum, una est eademque ratio. Petrus Lombardus lib. 4. *Sentent.* distin. 18. in Ecclesia esse dicit ligandi, & solvendi potestatem, quatenus tamen Deus hanc potestatem Sacerdotibus tribuit.

Hæc quidem habet S. Thomas 3. par. qu. 62. art. 4. ad 2. „Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus „est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur „intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti“. Verum anne S. Thomas dixit, Sacerdotes esse Ecclesiæ ministros, quia suam in eos Ecclesia potestatem transferat?

(1) Tom. 10. Concil. edit. Venet. (2) Apud Martenium tom. 5. *Thesauri Anecdotorum* pag. 908. (3) Tom. 12. Concil. edit. Venet.

rat? „ Non est autem dicendum (inquit lib. 4. *Cont. Gent.* „ cap. 74.) quod potestas hujusmodi sic data sit a Christo „ Discipulis, quod per eos ad alios derivanda non esset. „ data est enim eis ad Ecclesiæ ædificationem ..... tandiu „ igitur oportet hanc potestatem perpetuari, quandiu necesse „ se est ædificari Ecclesiam. Hoc autem necesse est post mor„ tem Discipulorum Christi usque ad seculi finem: Quia igi„ tur hæc spiritualis potestas a Christo in Ecclesiæ ministros „ derivatur ..... oportuit; quod hæc spiritualis potestas sub „ quibusdam sensibilibus signis traderetur “. Multa alia ejusdem rationis in S. Thoma occurrunt, quæ necesse non est, ut exscribamus.

Thomas Waldensis in *Doctrinali Fidei De Sacramento Pœnitentiæ* cap. 145. num. 7. illud quidem affirmat, quod Petrus „ Sustinebat personam communis Ecclesiæ Christi in suscipiendo claves pro tota Ecclesia, pro dimittendis peccatis “; verum anne eo sensu dicit, ut Ecclesiam ligandi, & solvendi potestatem accepisse putaverit? Contra Wicleffum negantem esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata hoc in capite Waldensis agit. Inde vero eumdem refellit, quia tum Petro, tum Apostolis ligandi, & solvendi potestatem Jesum Christum contulisse, ex Sacris Litteris nemini non perspectum esse debet: unde num. 2. affirmat, Ecclesiam clavibus Petri a Wicleffo fraudari: & num. 7. his verbis explicat, qua ratione claves in Ecclesia sint: “ Jam quære prudenter, quid ad Episcopum talem, vel talem de potestate Petro commissa? Ego „ dico in persona Ecclesiæ: non quia sanctus est vita, aut „ ea distortus; sed quia pro universa Ecclesia in suis aptis „ ministris hanc Petrus suscepit, ideo in hæreditatem præcessoris iste succedit. Non igitur Petrus accepit illas cla„ ves propter suum meritum personale: non enim tunc essent „ ex gratia ..... Nec tunc personam ejus Dominus attendit, „ sed in una massa totam Ecclesiam “. Unde in hanc eamdem sententiam illa loca Patrum Wicleffo Waldensis opponit, in quibus Ecclesiam in Petro claves recepisse traditum habemus.

Non-

Nonnulla alia ex recentioribus quibusdam Scriptoribus Adversarii nostri opponunt: ea tamen a nobis nunc prætereunda esse putamus, quia, sicuti *Orig. & Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 5. recte monuit Mamachius, a quo sane multa in hac tota disputatione mutati sumus, " Non quid „ novi quidam, sed quid maxima pars Christianorum semper „ senserit, curæ est ".

§. IX. Alphonsi Tostati sententia refellitur.

Justinus Febronius in suo Opere *De statu Ecclesiæ &c.* cap. 1. §. 6. potestatem clavium universitati Ecclesiæ datam fuisse, Alphonsi Tostati auctoritate se ostendere præsumit, ac propterea duo ejus longiora loca descripsit. Quoniam vero nos jam satisfecimus iis, quæ ex SS. Patribus, atque Conciliis alii ante ipsum opposuerunt, nunc pauca de Alphonsi Tostati sententia differemus. In ea quidem illum opinione fuisse, ut claves Ecclesiæ concessas putaverit, dubitari non posse videtur. Verum falsa ille ratione ductus ita putavit. Nam quæst. 48. in cap. 15. lib. *Numerorum* eamdem rationem habet Ecclesiæ, & summi Pontificis, ac alicujus communitatis, quæ jurisdictionem conferat ei, quem sibi præficit; indeque affirmat, claves quidem toti Ecclesiæ traditas a Jesu Christo, quia tamen Ecclesia universe accepta eis uti non poterat, quum non sit aliqua persona singularis, Petrum nomine Ecclesiæ easdem accepisse. Eo vel maxime, inquit, quia si claves *specialiter* Petro datæ fuissent, inde consequeretur, ut non solum Apostoli ligandi, & solvendi potestate destituti essent, sed etiam ut, defuncto Petro, *non mansissent claves*. Quapropter affirmat, Ecclesiam in electione successoris S. Petri eamdem jurisdictionem illi conferre, ac Petrus habuit. Ad id vero probandum rursus idem exemplum communitatis urget, atque ab ea jurisdictionem illi conferri obtendit, quem in demortui locum sibi præficit. *Quæstione* 49., ad quam etiam appellat Febronius, tradit Ecclesiam habere claves *secundum originem*, & *secundum virtutem*; Prælatos autem *secundum usum* earum. Vult autem jurisdictionem *integre* esse tum in Ecclesia, tum

in

in Prælatis; in Eclesia tamen semper *secundum virtutem*, quia per electionem confert Prælatis jurisdictionem. Hujus rei exemplum haberi dicit in domino rei, & in usufructuario, atque usuario. Nam Dominus rei fructum illius, aut usum alteri confert, non tamen eo modo, quo ipse habet.

Libenter hæc omnia Febronius deglutivit, quia ad rem suam faciebant: verumtamen nihil eis absurdius dici potest. Alia est ergo, & quidem longe diversa, habenda ratio alicujus communitatis, quæ illi, quem sibi præficit, jurisdictionem confert, ac Ecclesiæ, & Summi Pontificis. Semel ac qui præest, suam a communitate jurisdictionem habeat, talis ei jurisdictio convenit, qualem communitas demandaverit. Unde ut de jurisdictione ejus compertum esse possit, illud prius noscatur oportet, utrum jurisdictio, & qualis, collata illi fuerit. De supremo autem Ecclesiæ capite, unde, aut quomodo constat, jurisdictionem, & quidem hanc, & non aliam, a communitate accepisse? An fortasse est penes eos, qui ad hoc munus eligunt, jurisdictionem, quæ cum illo ex Divina institutione conjungitur, aut conferre, aut restringere, aut extendere? Duo ergo non distinguit Tostatus, quæ necessario distingui debent. Communitas igitur in sua electione aliquando jurisdictionem ei confert, quem ad aliquod munus eligit; aliquando autem munus quidem illi confert, non vero ipsam jurisdictionem muneris: si jurisdictio talis sit, quæ sub humana potestate cadat; tunc sane una cum munere etiam jurisdictio a communitate confertur: si autem sit Divina; munus tantum a communitate confertur: quia tamen cum munere ex Divina institutione etiam jurisdictio connexa est; inde fit, ut electi ad hujusmodi munus, etiam jurisdictionem ex Divina institutione habeant. Hoc vero est, quod in Summi Pontificis electione contingit: " Observandum est enim, (sicuti inquit Bellarminus *De Rom. Pontifice* lib.2. cap.17.)
„ in Pontifice esse tria: *Pontificatum ipsum*, qui est quasi
„ forma quædam: *Personam*, quæ est subjectum Pontifica-
„ tus: & *conjunctionem* unius cum altero. Ex quibus rebus
„ pri-

„ prima; hoc est, ipse Pontificatus, a solo Christo est: per-
„ sona autem est quidem a suis causis naturalibus absolu-
„ te, tamen ut est persona electa, & designata ad Pontifi-
„ catum, est ab electoribus: illorum enim est designare per-
„ sonam. Ipsa vero conjunctio est a Christo, mediante actu
„ humano electorum: dum enim eligunt, & designant cer-
„ tam personam, concurrunt ad conjunctionem Pontifica-
„ tus cum illa persona. Itaque electores vere dicuntur crea-
„ re Pontificem, & esse causa, ut talis sit Pontifex, & ut
„ habeat eam potestatem, non tamen dant ipsi eam pote-
„ statem, neque sunt causa ejus potestatis ".

Deinde potestas clavium, sicuti vult Tostatus, est in tota Ecclesia: igitur tota Ecclesia esse debet illa communitas, a qua Summo Pontifici jurisdictio conferatur: anne fortasse tota Ecclesia Summum Pontificem eligit? " Quum „ Summus Pontifex (inquit ipse) eligitur a Cardinalibus „ a tota Ecclesia eligitur, quum illi nomine totius Eccle„ siæ eligant, quia non potest tota Ecclesia convenire ad „ quamlibet electionem ". At undenam id sibi commissum ab Ecclesia habent? Unde nam id sibi concessum etiam laici aliquando habuerunt (1)? Profecto qui facit aliquid nomine alterius, id sibi ab eo, cujus nomine facit, commissum sit oportet. Hoc autem, de quo nunc loquimur, Cardinalibus nunc commissum a tota Ecclesia esse, & etiam laicis aliquando fuisse, ad arbitrium quidem confingi potest, nulla autem ratione ostendi: Pontifices ergo ab ea communitate eliguntur, a qua etiam juxta Tostatum, semel ac non velit totam jurisdictionem in Collegio Cardinalium Jesum Christum deposuisse, jurisdictio in eos transfundi non potest: quamvis ergo ea, quam ipse vult, in Ecclesia jurisdictio inesset, ab ea tamen illam accipere Summus Pontifex in sui electione non posset.

Qua autem ratione consequatur, ut infert Febronius, semel ac Petro *specialiter* claves datæ fuissent, ut & Apostoli clavibus destituti esse debuerint; & eæ, defuncto Petro,

(1) Vide Thomassinum *De Vet. & Nov. Eccl. Disciplina* lib. 2. cap. 25.

tro, in Ecclesia non manserint, sane non video, nec quemquam videre posse arbitror: anne repugnat, Petrum una singulari ratione, Apostolos altera ratione communi omnibus, habere claves? Anne repugnat claves *specialiter* habuisse Petrum, & habere illos omnes, qui Petro succedunt, ac locum ejus tenent? immo nonne id ipsa ratio muneris requirit, Ecclesiæ regimen postulat; cura Jesu Christi erga suam Ecclesiam efflagitat, atque Traditio confirmat? Datæ ergo si fuissent Petro claves *specialiter*, quatenus erat quidam homo singularis; tunc sane eæ ad alios non transmitterentur: at datæ fuerunt *specialiter*, quatenus supremum Ecclesiæ regimen sibi commissum habuit, ac propterea qui in hoc illi munere succedunt, etiam in potestate clavium succedant oportet.

Idem vero est dicere Ecclesiam habere claves *secundum originem*, *& secundum virtutem*, Prælatos autem *secundum usum earum*, ac Ecclesiæ convenire claves *primario*, *proprie*, ac *essentialiter*, Pontifici, & Episcopis *instrumentaliter*, & *ministerialiter*, quemadmodum Richerius voluit, quem jam confutavimus. Quapropter, ne actum agamus, id nunc a Tostato quærimus, ut nobis edisserat, quomodo Ecclesia habeat claves *secundum originem*, & *secundum virtutem*, si antequam Lex Evangelica promulgaretur, atque Ecclesia formata esset, jam ipsi Petro omnes agnos, & omnes oves pascendi supremam curam Jesus Christus detulit, atque Apostolos misit, sicuti ipse missus fuerat a Patre, cum potestate ligandi, atque solvendi; si nemini alteri neque ante, neque postea, id facultatis contulit. Explicet, quomodo Prælati habent claves tantum *secundum usum earum*, si ipsi Apostoli, quorum isti sunt successores, claves a Jesu Christo receperint, atque ita quidem, ut illarum potestas ipsis, & non aliis, tradita fuerit, quemadmodum verba *Joannis* cap.20. v.23. manifesto præseferunt. Longe profecto a vero Tostatus aberrat, eumdemque errorem cum Richerio tuetur. Ex eo autem exemplo, quod affert, illud procul dubio consequitur, Ecclesiæ Prælatos nulla esse interiori potestate præditos.

ditos. Nam tam uſufructuarius, quam uſuarius, nullam dominii interioris rationem ſuper eam rem obtinent, cujus uſum ille habet, fructus vero iſte percipit. Neque ab illius exemplo tantum, ſed etiam ab ipſa ejus doctrina conſequitur, nulla eſſe Prælatos interiori poteſtate præditos: ſemel ac enim uſus tantum aut rei alicujus, aut cujuſdam facultatis, vel poteſtatis, alicui tribuatur, ſtatim intelligitur, eum tam non habere in ſe dominium rei, quam ipſam facultatem, aut poteſtatem. Semel ac autem ponatur, eos, qui Eccleſiæ præſunt, non eſſe interiori poteſtate præditos, nullus ordo Hierarchicus in Eccleſia reliquus erit. Nam interiori poteſtate conſtat ipſe ordo Hierarchicus, interiorique poteſtate fit, ut in hoc ordine ſint diverſi gradus. At vero (1) „ Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica „ non eſſe hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ „ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, anathema „ ſit ". Huc uſque contra Alphonſum Toſtatum, virum aliunde de republica litteraria optime meritum, & in explicandis Sacris Scripturis verſatiſſimum, ne auctoritate illius Febronius gloriari poſſet.

(1) Concilium Trid. ſeſſ. 23. *De Sacram. Ordin.* can. 6.

LIBER XIX.

DE SUPREMO VISIBILI ECCLESIÆ CAPITE, QUOD S. PETRO SUCCESSIT.

Undequaque perspectum esse ostendimus in toto libro 17., visibile in Ecclesia caput esse debere, a quo ipsa regatur, atque gubernetur. Petrus sane ille fuit, cui Jesus Christus hujusmodi supremum regimen contulit, quemadmodum in XVIII. superiori libro jam evicimus. Petrus autem semper duraturus non erat, ac propterea, quum Ecclesia ex sui conditione visibile caput semper exposcat, oportebat, ut esset, qui Petro succederet in regimine Ecclesiæ, ejusque haberetur, atque revera esset supremum visibile caput. Hoc ergo de supremo visibili capite nunc agere instituimus, atque Romanum Pontificem esse illum, qui Petro in Ecclesiæ regimine successit, ostendendum aggredimur. Ita ergo hac tota de re pertractabimus: in 1. capite evincemus, S. Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse: in 2. Romanos Pontifices in Episcopatu succedere S. Petro, esseque hæredes auctoritatis, & jurisdictionis illius, quam S. Petrus super universam Ecclesiam a Jesu Christo recepit: in 3. legislativam potestatem Romano Pontifici convenire super universam Ecclesiam.

CAPUT I.

DE EPISCOPATU S. PETRI.

§. I. Ipse S. Petrus de se testatur, Romam venisse.

Ille ergo Petrus, quem Christus supremum visibile Ecclesiæ caput constituit, cui promisit futurum, ut super eum singulariter Ecclesia extrueretur, atque claves regni cœlorum cum ligandi & solvendi potestate reciperet, cui in fide confirmandi fratres auctoritatem dedit, cui curam pascendi tum agnos, tum oves commisit, cui ob hæc omnia supre-

ma

ma legislativa potestas super universam Ecclesiam conveniebat (1); Petrus, inquam, ille, cui tam singularia privilegia tributa fuisse, Verbi Divini tum scripti, tum traditi adeo certa, atque evidenti auctoritate constat, ut nihil supra desiderari possit, Romam sane venit, Romanos in Christiana religione instituit, Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, eique usque ad suum obitum præfuit. Ante 14. seculum nemo fuit, qui hac tota de re dubitaverit; sed Petrum vel non venisse Romam, vel hujus urbis Episcopum non fuisse, seculo 14. & sequentibus nonnulli quidem rem incertam esse dixerunt, alii vero omnino falsam. In his autem refellendis suam operam præter ceteros præclare navarunt Fogginius in Opere *De Itinere D. Petri*, *&* *Episcopatu*, & Mamachius *Origin.*, *&* *Antiquit. Christian.* lib.4. cap.4. Quum vero tanta cum perspicuitate, tantaque eruditione, atque ea vi argumentorum, tum ille, tum iste alter potissimum, hac de re egerint, ut non solum mihi, sed & latiori eruditione præditis, & acutioris ingenii hominibus, de eadem vel uberius, vel magis solide pertractandi nullum locum reliquisse videantur; ideo nos nonnulla accepta ab eis in hujus libri primum caput transferemus, quum ipsius doctrinæ ordo postulet, ut hac quoque de veritate disseramus. Romam ergo S. Petrum venisse, ipse de se testatur. In fine enim suæ epistolæ prioris ita habet: « Salutat vos Ecclesia in Baby- » lone collecta, & Marcus filius meus «. Putasse autem Veteres Romam sub nomine Babylonis designatam a S. Petro fuisse, *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 15. Eusebius tradidit. Et re quidem vera ex duabus Babyloniis, una in Chaldæa, in Ægypto altera, neutra sane erat, quam S. Petrus commemoraret. Qua enim ætate scripsit S. Petrus, Babylonem Ægyptiam & exiguum castellum fuisse ex 17. Strabonis libro novimus, & ne vix quidem notum incolis longe dissitis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bythiniæ, & Asiæ, ad quas Sanctus Petrus suam priorem epistolam dedit. Babylon autem Chaldæorum multo quidem illustrior erat; attamen antea

(1) Lib. præced. toto 1. cap. & 2.

eversa, & ab incolis deserta fuerat, quam S. Petrus priorem epistolam scriberet, sicuti ex Josepho *Antiquit. Judaicarum* lib. 18. cap. 9. perspectum habemus. Quapropter dum S. Apostolus suam priorem epistolam scriberet, Ecclesia collecta in illa esse non poterat. Neque est etiam, cur dicatur, provinciæ Babyloniorum a S. Petro mentionem factam fuisse. Babylon enim non provinciæ, sed urbis nomen fuit, & S. Petrus Ecclesiæ meminit coactæ in Babylone, non in provinciam Babyloniorum dispersæ. Quemadmodum ergo S. Joannes Romam, quæ, uti S. Leo tradit in *Serm.* 1. *De Apostolis Petro, & Paulo*, " Quum omnibus dominaretur " gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, " Babylonem passim vocavit, sicuti monet Tertullianus in libro *Contra Judæos* cap. 9., & S. Hieronymus lib. 2. *Contra Jovinianum* num. 38., atque ex cap. 17. *Apocalypseos* aperte colligitur; ita etiam S. Petrus eodem eam nomine compellandam censuit. S. ergo Petrus se Romam venisse ipse de se testatur.

§. II. S. Petrum una cum Paulo Romæ instituisse in Christiana religione homines, sapientissimorum gravissimorumque hominum dubitare non sinit auctoritas.

" His viris, qui Divinam vitam duxerunt, aggregata " est ingens electorum multitudo ", inquit S. Clemens in epist. 1. *ad Corinthios*, num. 5. (1), dum respicit ad eos, quos Neronis, aut Domitiani furor morti tradiderat. S. Ignatius in epist. *ad Romanos* postquam rogavit illos, ne sui martyrium impedirent, num. 9. superaddit, id se orare, non vero præcipere, quomodo Petrus, & Paulus facere potuissent: inquit enim: " Non ut Petrus, & Paulus præcipio vobis ": Dionysius Corinthiorum Antistes apud Eusebium lib. 2. *Ecclesiast. Hist.* cap. 25.: " Ambo illi (ait) in urbem nostram " Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine, " nos instituerunt, & in Italiam similiter profecti, quum " vos (Romanos) perinde instituissent, eodem tempore martyrio functi sunt ". S. Irenæus lib. 3. *Adversus Hæreses* cap. 1. num. 1.

(1) Juxta edit. Constantii tom. 1. *Collect. epistol. Roman. Pont.*

num.1. " Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam „ edidit Evangelii, quum Petrus, & Paulus Romæ evan- „ gelizarent, & fundarent Ecclesiam ". S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. *6. Ecclesiast. Hist.* cap. 14., postquam loquutus fuit de Paulo, ad Petrum veniens, inquit: " Quum verbum Dei in urbe Roma publice prædi- „ casset, & Spiritu Sancto afflatus, Evangelium promulgas- „ set &c. " Tertullianus in lib. *De Præscript. adversus Hæreticos* cap.36. " Si autem Italiæ adjaces; habes Romam, „ unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam fœ- „ lix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine „ suo profuderunt! Ubi Petrus passioni Dominicæ adæqua- „ tur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur ". Et in lib. *De Baptismo* cap.4. " Nec quidquam refert inter eos, quos „ Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit ". Origenes apud Eusebium lib. *6. Ecclesiast. Hist.* cap.14. " Qui „ (Petrus) ad extremum Romæ existens cruci suffixus est ". S. Cyprianus epist.52. dicit Cornelium factum Episcopum „ Quum Fabiani locus, id est, locus Petri, & gradus ca- „ thedræ sacerdotalis vacaret ". S. Petrum Romæ commoratum fuisse testatur Arnobius lib. 2. *Adversus Gentes*, Lactantius *Institutionum* lib.4. cap.41., S. Hieronymus *Ruffini Invectivarum* lib.2. num.32., S. Augustinus epist.53., alias 105., num.2., Orosius lib.7. *Hist.* cap.6., & Theodoretus epist.113. *ad Leonem*, ut multos alios omittam, qui apud Mamachium *Orig.*, *&* *Antiquit. Christian.* lib.4. cap. 4. §. 2. legi possunt. Illud tamen unum facere non possumus, quin commemoremus, Patres Concilii Sardicensis sæculo 4. ita decrevisse can.3. (1) " Petri Apostoli memoriam honoremus, „ & scribatur ab his, qui causam judicarunt, Julio Episco- „ po Romæ, vel & ab aliis, (Episcopis) qui in provincia „ proxima morantur ". Quum autem plusquam tercentum Episcopi diversarum gentium, atque nationum hujus Concilii canones probaverint; dicendum sane est, Petrum Romæ sedisse,

(1) Tom.1. Concil. edit. Harduini colum.641.

sedisse, seculo 4. omnes existimasse, quia id ab Apostolica traditione ad se usque derivatum acceperant.

Illud vero omnino inane est, quod nonnulli confinxerunt, hoc est, quæ de accessu S. Petri ad urbem Veteres memoriæ posterorum tradiderunt, a Papia, cui sane non multum fidei tribuendum est, eos acceptum retulisse. Clemens enim & Petri auditor, & antiquior Papia fuit. Ignatius autem, qui cum Petro, & Joanne egit, quæ de suo magistro commendavit litteris, a Papia accepisse in nullius unquam mentem venerit. Irenæus discipulus Polycarpi dum accidit, ut de Petri adventu in urbem dissereret, Papiæ nullam mentionem fecit: quod sane alibi non omisit (1), dum aliis de rebus traderet, quod ab illo acceperat. Alii autem Patres, sicuti Eusebius lib.3. *Ecclesiast. Hist.* cap.39., S. Hieronymus *De Viris illustribus* par.2. cap.18. virum *simplicem* fuisse Papiam tradiderunt. Unde ob auctoritatem Clementis, Ignatii, Irenæi, aliorumque Patrum primorum seculorum, immo ob traditionem, quæ erat communis in Ecclesia, Patres sequentium seculorum, Romanos a Petro institutos in Christiana religione fuisse, tenuerunt.

§. III. S. Petrus omnium primus Christi fidem Gentibus Romæ annuntiavit.

Quum Paulus Romæ adhuc in carcere detineretur, scribens ad Philippenses, in fine suæ epistolæ ita habet: „ Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos om„ nes Sancti, maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt ". Hos autem in Christiana fide institutos a Petro antea fuisse, nullus dubitandi locus esse videtur. Illud etiam *Actorum* cap.10. memoriæ traditum habemus, Petro manifestatum fuisse divinitus, Evangelium etiam Gentibus promulgandum esse, & cap.11. ab eo omnium primo iisdem promulgatum revera fuisse. Petrum ergo non multo post a revelatione in mystico linteo sibi facta, qua & Gentes in consortium Evangelii adsciscendas esse cognovit, ex Hierosolymitano carcere profugum Romam venisse, atque ibidem primum omnium Gen-

(1) Lib.5. *Cont. Hæreses* cap.33. num.4.

Gentibus Evangelium promulgasse, dicatur oportet. Inde vero est, nos habere plurimorum consensione traditum, S. Marcum, Romanis rogantibus, Evangelium Romæ conscripsisse, prout in hac urbe a S. Petro promulgatum fuerat. Hoc sane Eusebius lib. 2. *Ecclesiast. Hist.* cap. 14. affirmat, S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* in *Marco*, S. Epiphanius *Hæresi* 51. num. 7., & Theophylactus in *Argumento Evangelii S. Marci*, qui etiam ex his, quæ habet S. Paulus in epist. *ad Roman.* cap. 1. v. 2. " Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos ", ita colligit, eumdem locum explicans: " Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, necessario intulit ad confirmandos vos: non enim, inquit, aliam doctrinam afferre, sed eam, quæ jam oblata est, confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo ". Hoc autem uno cognoscitur, quamvis alia non suppeterent, quam nullius momenti sit, quod Novatores ex silentio S. Pauli de Petro Romæ commorante nobis opponunt: quasi vero Petrus Romæ manere semper debuerit, vel tunc quoque, quando S. Paulus suam ad Romanos epistolam dedit. Est vero ejusdem generis, quod ex silentio S. Lucæ in Actibus Apostolorum de mora S. Petri in urbe objiciunt. Neque enim S. Lucas historiam S. Petri in Actibus Apostolorum contexere sibi proposuerat, quum in eis a 13. capite usque ad finem solius Pauli sui præceptoris mentionem faciat. Deinde tunc argumenti, quod negativum dici consuevit, aliqua ratio haberi debet, quando positivum contrarium non habetur: si autem istud revera habeatur, & quidem ex evidenti, manifesta, & per plura secula eorum continuata auctoritate deductum habeatur, quibus nullo modo fides denegari possit, quemadmodum in re nostra contingit; tunc sane argumentum negativum nihili faciendum est. Sola enim veritas a se perspecta quosdam viros omni existimatione dignos ad aliquid affirmandum inducere potuit; multæ autem rationes quibusdam aliis, æque ac illi, existimatione dignis occurrere

currere potuerunt, ob quas sine præjudicio veritatis nonnulla reticerent.

Ad argumentum negativum illud quoque revocari potest, quod ex incertitudine temporis, quo Petrus Romam pervenit, Gentesque in Christiana Religione instituere incœpit, nobis opponitur. Nam utrum Claudio, an Nerone imperante, id contigerit, incertum quidem esse fatemur, nullo autem modo incertum est, revera contigisse, sicuti jam ostensum fuit a nobis. Quid? Anne apud Chronologos multa corum, quæ ad Jesu Christi vitam, & mortem spectant, & sine jactura fidei a nemine negari possunt, certa sunt quoad tempus, quo illa contigerunt? Nimis ergo leve est argumentum, quod in re ista ab incertitudine temporis desumitur.

§. IV. S. Petrus Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit, eique usque ad suum obitum præfuit.

Hujus rei argumentum evidentissimum inde primo desumitur, quia omnes Veteres, qui Romanorum Pontificum seriem descripserunt, originem successionis a S. Petro duxisse novimus. Ex Græcis S. Irenæus id præstitit lib. 3. *Adversus Hæreses* cap.3., S.Epiphanius Hær. 27. num.6., ex Latinis vero Tertullianus lib. *De Præscript. adver. Hæreticos* cap. 36., Optatus Milevitanus lib. 2. *Contra Parmenianum*, & S. Augustinus epist. 52., alias 165., num. 2. Romæ autem Petrum martyrio coronatum fuisse, præter eos, quos supra §. 2. commemoravimus, tradit Dionysius Corinthius, qui centesimo anno ab obitu Apostolorum vixit, apud Eusebium lib. 2. *Hist. Ecclesiast.* cap. 25., & Cajus, qui quinquagesimo a Dionysio anno floruit, apud eumdem Eusebium, Egesippus vicinus & ipse temporibus Apostolorum lib. 3. *De excidio Hierosolymæ* cap. 2., Eusebius in *Chronico* an. 71. a Christo nato, Origenes lib. 3. *in Genesim*, uti refert Eusebius lib. 3. *Hist. Ecclesiast.* cap. 1., S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 22. in epistolam *ad Romanos* num. 2., ex Latinis Tertullianus in lib. *De Præscript. adversus Hæreticos* cap. 36., S. Ambrosius in *Sermone contra Auxentium* num. 13., S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum*

ptorum Ecclesiasticorum in Petro, S. Augustinus *De Consensu Evangelistarum* lib. 1. num. 16., & tandem, ut alios multos omittamus, S. Leo in *Sermone De Natali Apostolorum Petri, & Pauli*.

Et re quidem vera Petrum & Episcopum Romanæ Ecclesiæ fuisse, & eumdem Episcopatum retinuisse usque ad mortem, summa, atque suprema dignitas Ecclesiæ Romanæ evidenter demonstrat. Nam Ecclesia Romana, consentientibus ceteris omnibus, cunctarum prima, atque præcipua semper habita fuit. Quæ sane prærogativa ei non aliunde provenire potuit, nisi quia Petrus, qui Princeps Apostolorum fuit, ac totius Dominici gregis curam sibi commissam habuit, ejus extitit proprius Pastor, & Episcopus. Hinc S. Cyprianus epist. 55., atque etiam alibi, Romanam Ecclesiam *Petri Cathedram* vocat, Sozomenus *Ecclesiast.Hist.* lib.4. cap. 14. *Petri Sedem*, Optatus Milevitanus *Contra Parmenianum* lib. 2. *Petri Cathedram Episcopalem*, S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Petro Cathedram Petri*, S. Augustinus lib. 2. *Contra Litteras Petiliani* num. 118. similiter *Cathedram Petri*, & tandem S. Gregorius Magnus lib. 2. epist. indict. 10. epist. 53., alias 8. lib. 12., idem esse affirmavit ire ad Petrum Apostolum, ac ad Romanum Pontificem. Ex hisce vero omnibus illud evidenter constat, ridendos eos potius esse, quam confutandos, qui S. Petrum Romanæ Ecclesiæ præfuisse inde negant, quia ab aliquibus Scriptoribus de hoc Episcopatu Petri nulla mentio fit. Quam nullius enim momenti sit argumentum illud negativum, quod positivum sibi oppositum habet, jam ostendimus. Deinde, uti monet S. Hieronymus in *Commentario epist. ad Galatas* cap. 2. « Non „ est statim contrarium, si quod alius dignum judicavit rela„ tu, alius inter cetera dereliquit; & plus fidei haben„ dum est duobus affirmantibus, quam sexcentis tacentibus «.

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE ROMANORUM PONTIFICUM IN EPISCOPATU, ET OMNI JURISDICTIONE, ATQUE AUCTORITATE SANCTI PETRI.

§. I. Romanos Pontifices Petro succedere in Episcopatu, ex ipsa traditione constat.

Tunc unus alteri succedere dicitur, quando eumdem locum tenet, ac ille tenebat: at vero S. Petrus fuit Episcopus Romanus (1), & Summi Eontifices sunt Romani Episcopi: eosdem ergo Petro succedere, a nemine negari potest. Hinc vero est, sicuti modo observavimus, ut & Ecclesia Romana *Petri Cathedra* a Sanctis Ecclesiæ Patribus vocata fuerit, & Romani Pontifices dicti sint *Successores Petri*. " Factus „ est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus ju„ dicio (inquit S. Cyprianus epist. 52.)..... quum Fabiani „ locus, id est, quum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacer„ dotalis vacaret ". S. Petrus Chrysologus in epistola ad Eutychetem, quæ est 25. inter epistolas S. Leonis (2), inquit: „ In omnibus autem hortamur te, Frater honorabilis, ut „ his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, „ obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria „ sede & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veri„ tatem ". S. Hieronymus epist. 55. ad Damasum num. 2., alias epist. 57. " Beatitudini tuæ, (inquit) id est, cathedræ „ Petri communione consocior. Supra illam petram ædifica„ tam Ecclesiam scio ". S. Bernardus lib. 2. *De Consideratione ad Eugenium* cap. 8. num. 14. " Age, indagemus adhuc dili„ gentius, qui sis, quam geras videlicet personam pro tem„ pore in Ecclesia Dei. Quis es? Scerdos Magnus, Sum„ mus Pontifex..... potestate Petrus ". Hinc mirandum non est, si Ecclesiastici Auctores a S. Petro Romanorum Pon-

(1) Cap. præced. (2) Juxta editionem Balleriniorum fratrum.

Pontificum originem duxerunt, quemadmodum jam monuimus (1).

§. II. Ecclefia ex fui conditione exigit, ut in ea fit, qui S. Petro fuccedat.

Ecclefia eft ex fui conditione vifibilis, atque caput vifibile exigit, a quo regatur (2): hoc vifibile caput illius ex inftitutione Chrifti fuit S. Petrus (3): femper ergo in Ecclefia fit oportet, qui Petro fuccedat, idque ex fui conditione Ecclefia exigit.

§. III. Ecclefiæ habita ratione, oportebat, ut Romanus Epifcopus Petri fucceffor effet.

Si Primatum Petro delatum in fe fpectemus, fingularis ratio non occurrit, ob quam ille uni alicui fedi alligaretur; verum quod ipfe Primatus in fe fpectatus non exigebat, Ecclefia omnino poftulabat. Sicuti enim recte monet Boffuetius in *Defenfione declarationis Cleri Gallicani* lib. 10., alias 15., cap. 5. " Petri Succeffores quum ordinandi fuerint, de cœlo lapfuri non funt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclefiam citari, commoverique oportebit. Neceffe ergo eft, aliqua ut fit Catholicæ Ecclefiæ pars, ex qua exiftant, aliifque alii fubrogentur. Quare ita conftituti funt, ut non modo univerfæ Ecclefiæ præfint, fed, quemadmodum ceteri Epifcopi, peculiarem habeant, quam regant, Ecclefiam, nempe Romanam, quam Petrus fundavit, & rexerit ". Ad hæc illud quoque accedit, futurum effe cum detrimento Chriftianæ Religionis, ut nulla certa fedes fupremi Ecclefiæ Capitis haberetur, fi fucceffio ejus cuidam fingulari Epifcopatui alligata non foret. Nam tunc fæpiffime a multis ignoraretur, quo confugere deberent, dum ut confulerent fupremum Ecclefiæ Caput, & quæ certa fide tenenda effent, ab eo intelligerent, ipfa neceffitas poftularet.

§. IV. Si non effet, qui S. Petro fuccederet, forma regiminis, quam Jefus Chriftus in Ecclefia conftituit, ftatim a morte Petri fublata fuiffet.

(1) Cap. fuperiori §. 4. (2) Lib. 17. cap. 1. & feqq. (3) Lib. 18. cap. 1.

Status reipublicæ non mutatur, dum nemo ſuccedit alteri, qui in illa privatam perſonam gerit. Hoc idem tunc etiam contingit, quando in aliquo non ſupremo munere ipſius Reipublicæ unus alterius decedentis locum non occupat; quum fieri poſſit, ut vel plura munera antea diviſa inter plures, uni alicui committantur, vel ad Reipublicæ utilitatem hoc, vel illud munus amplius non ſit neceſſarium, ut in illa habeatur. At vero ſi de eo ſupremo munere ſermo ſit, a quo totius Reipublicæ regimen pendet, formam regiminis omnino mutari oportet, ſemel ac in eo unus alteri non ſuccedat, ſitque hæres illius auctoritatis, atque juriſdictionis, quæ antea in altero inerat. Petrus ſane ille fuit, ſupra quem Chriſtus ſuam Eccleſiam ædificavit, cui confirmandi in fide alios, atque tum agnos, tum oves paſcendi poteſtatem dedit (1): ſemel ac ergo non eſſet, qui Petro ſuccederet, forma regiminis, quam Jeſus Chriſtus in Eccleſia conſtituit, ſtatim a morte Petri ſublata fuiſſet. " Non „ poteſt autem dici, (inquit S. Thomas lib. 4. *Con. Gent.* „ cap. 76. num. 4.) quod etſi Petro (Chriſtus) hanc digni- „ tatem dederit, per eum tamen ad alios non derivatur. „ Manifeſtum eſt enim, quod Chriſtus Eccleſiam ſic inſtituit, „ ut eſſet uſque ad finem ſeculi duratura, ſecundum illud „ *Iſaiæ* 9.7. *Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut* „ *confirmet illud, & corroboret in judicio, & juſtitia amodo, ut uſque* „ *in ſempiternum*. Manifeſtum eſt igitur, quod illos, qui tunc „ erant, in miniſterio conſtituit, ut eorum poteſtas derivaretur „ ad poſteros pro utilitate Eccleſiæ uſque ad finem ſeculi; præ- „ ſertim quum ipſe dicat *Matthæi* ult. *Ecce ego vobiſcum ſuum* „ *uſque ad conſummationem ſeculi*. Per hoc autem excluditur „ quorumdam præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nitun- „ tur ab obedientia, & ſubjectione Petri, Succeſſorem ejus „ Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ Paſtorem non „ recognoſcentes ".

§. V. Quomodo Petri proprium fuit, ita etiam Romanorum Pontificum eſt, Eccleſiæ fundamentum eſſe.

Ro-

(1) Cit. loco.

Romanum Pontificem, non solum in Romano Episcopatu, sed etiam in iis omnibus Petro successisse, quæ sunt supremi Ecclesiæ capitis, ea ostendunt, de quibus usque modo disseruimus; oportet tamen, ut rem istam magis distincte evincamus, quod sane a nobis præstitum iri confidimus, si quæ Petro a Jesu Christo dicta fuere *Matth.* cap: 16. v. 18. & seq., *Lucæ* cap. 22. v. 32., *Joannis* cap. 21. v. 15. & seqq., non minus ad Petrum pertinere demonstrabimus, quam ad Romanos Pontifices Successores illius. Eo ergo loco *Matth. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Petrum totius Ecclesiæ supremum Caput a Christo constitutum fuisse, jam ostendimus (1): eumdem ergo locum non minus ad Petrum spectasse, quam ad Successores illius in Pontificatu, hoc vero est, quod nunc evincemus. Hujus ergo rei assertorem amplissimum habemus S. Hieronymum in epistola 55. *ad Damasum*, alias 57., num. 2. inquientem: „ Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio, cum „ Successore Piscatoris, & Discipulo crucis loquar. Ego „ nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuæ, „ id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super il„ lam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra „ hanc domum agnum comederit, prophanus est..... Non „ novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Qui„ cumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi „ non est, Antichristi est". Huc spectant illa S. Augustini *in Psalmo contra partem Donati*.

„ Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri:
„ Et in ordine illo Patrum, quis, cui successit, vi-
„ dete.
„ Ipsa est petra, quod non vincunt superbæ infero-
„ rum portæ".

Philippus Presbyter, & in Synodo Ephesina Legatus sententiæ in Nestorium Cælestini nomine prolatæ hæc præmisit (2): " Nulli dubium, immo seculis omnibus notum est, „ quod

(1) Lib. 18. cap. 1. (2) Synodi Ephesinæ par. 2. act. 3. edit. Harduini tom. 1. Concil. colum. 1478.

„ quod Sanctissimus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves regni accepit, solvendi, ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor, & locum tenens, Sanctissimus Beatissimusque Papa noster Cœlestinus Episcopus &c. “ Paschasius in Concilio Chalcedonensi Legatus S. Leonis, antequam sententiam ferret in Dioscorum ita habuit (1): “ Unde & Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem Sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam ab omni Sacerdotali alienavit ministerio “. Lecta autem in Concilio epist. S. Leonis ad Flavianum, Patres clamaverunt: *Petrus per Leonem loquutus est*. S. Leo *Sermone* 2. in die suæ Assumptionis ad Pontificatum: “ Manet ergo (inquit) dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, susceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est ordinatus, ut dum Petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum Janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in cœlis judiciorum suorum definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationnm ejus mysteria nosceremus. Qui nunc plenius, & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atque curarum in ipso, & cum ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque decernitur, si quid misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum, atque meritorum, cujus in sede sua vivit potestas, & excellit auctoritas.....
„ Ille

(1) Synodi Chalced. act. 3 edit. Harduini tom. 2. colum. 346.

„ Ille honoretur, in quo omnium Paſtorum ſollicitudo cum „ commodatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus „ etiam dignitas in indigno hærede non deficit “. Hæc vero omnia nihil aliud manifeſte præſeferunt, quam Petrum adhuc vivere in ſuis Succeſſoribus: adhuc per eos, & in eis ſollicitudine, meritis, poteſtate, auctoritate, tamquam firmiſſima petra Eccleſiæ molem ſuſtinere, quum non minus permaneat, quod in Chriſto Petrus credidit, quam quod in Petro Chriſtus inſtituit: adhuc in ſede illius & vivere poteſtatem, & excellere auctoritatem, atque etiam perſeverare dignitatem. Hæc autem dici nullo modo deberent, ſi qua ratione S. Petrus fuit, etiam Romani Pontifices Eccleſiæ fundamentum non eſſent.

Hoc vero eſt, quod etiam ſequentibus ſeculis evidentiſſima auctoritate confirmatum habemus. Eorum ergo, quæ S.Petrus Chryſologus in epiſtola ad Eutychetem habet, modo mentionem ne faciamus (1). Seculo 6. Poſſeſſor Africanus Epiſcopus, Conſtantinopoli degens, dum ad Hormiſdam ſcriberet, eumque de libris Fauſti Rejenſis conſuleret, ita habet (2): „ A quo magis nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quam ab „ ejus ſedis præſide, cujus primus a Chriſto rector audivit: „ *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*“? Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua profeſſione fidei, quam ad Hormiſdam miſit, rem eamdem hiſce verbis clarius teſtatur (3). “ Non poteſt Domini Jeſu prætermitti „ ſententia dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc, quæ Petro dicta ſunt, vera „ probantur effectu; quia in Sede Apoſtolica inviolabilis „ ſemper religio cuſtoditur ..... In Apoſtolica Sede eſt integra Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas“. Eodem ſeculo deſinente S. Gregorius Magnus *Epiſtolarum* lib. 4. indict. 11. epiſt. 38., alias 33. ad Theodelindam Reginam inquit: “ Dignum eſt, ut de Eccleſia Beati Petri Apoſtolo- „ rum Principis nullum ulterius ſcrupulum dubietatis habea-

„ tis:

(1) Vide locum ejus §.1. hujus cap. (2) Apud Baronium Annal. Eccleſiaſt. an.520. num.12. (3) Apud eumdem an.519. num.50.

„ tis : ſed in vera fide perſiſtite , & vitam veſtram in petra „ Eccleſiæ , hoc eſt , in confeſſione B. Petri Apoſtolorum „ Principis ſolidate “.

Seculo 7. Stephanus Epiſcopus Dorenſis in libello ſupplici, quem Martino I. obtulit in Concilio Lateranenſi, atque in eo lectus fuit, ſicuti habetur in 2. *Secretario* (1), poſtquam dixit, Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Apollinaris, & Severi dogmata renovare auſos fuiſſe, atque induxiſſe magnam perturbationem in Eccleſia, ſuperaddit, ſe exoptaſſe pennas columbæ ſecundum David, ut, ſicut ipſe inquit: “ Annuntiemus hæc omnia omnium „ præpoſitæ ſedi, dico autem ſummæ veſtræ, & principa„ li, ad medicinale conſultum emerſi vulneris: quippe quo„ niam hoc poteſtative olim, & ab antiquitus facere per „ Apoſtolicam, ſive canonicam conſuevit auctoritatem: „ dum aperta lucubratione non ſolum claves regni cœ„ lorum creditæ ſunt ei, atque ipſa tantummodo ad ape„ riendum eas fidelibus quidem digne, minime autem „ Evangelio gratiæ credentibus juſte claudere magnus ſe„ cundum veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Pe„ trus : ſed etiam & paſcere primas juſſus eſt oves Ca„ tholicæ Eccleſiæ, quum Dominus dicit : *Petre amas me? „ paſce oves meas*. Et iterum ipſe præcipue, ac ſapienter fir„ mam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum, „ & immutabilem fidem, convertere aliquando, & confir„ mare exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fra„ tres; utpote diſpenſative ſuper omnes ab ipſo, qui pro„ pter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & „ Sacerdotalem auctoritatem “. Illud deinde commemorat a Sophronio Patriarcha Conſtantinopolitano in Calvariæ monte adactum fuiſſe ad jurandum, ſe ad Sedem Apoſtolicam iter inſtituturum, *ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt*, ſicut idem Patriarcha inquiebat. In eodem *Secretario* lecta fuit etiam epiſtola Sergii Epiſcopi Cyprienſis ad Theo-

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 711. & ſeqq.

Theodorum Papam, quæ in hunc modum incipit (1): " Firmamentum a Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit, o Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicuti Divinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: tibi claves cœlorum commisit, atque ligare, & solvere potestative, quæ in terra, & cœlis sunt, promulgavit. Tu prophanarum hæresum depositor existis, ut Princeps, & Doctor orthodoxus immaculatæ fidei ". In VI. Synodo act.8. Domitius Episcopus Prusiados litteras Agathonis, inquit (2): " Tamquam ex Spiritu Sancto dictatas per os Sancti, ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector ". Omnes vero Synodi Patres in epistola Synodica ad Agathonem ita habent (3): " Itaque tibi, ut primæ sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram; libenter acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas ut a summo Apostolorum vertice Divine præscriptas agnoscimus ". Et Constantinus Pogonatus loquens de iisdem litteris in sua ad Leonem II. epistola inquit: " Ac veluti ipsum Principem Apostolici chori, primæque cathedræ Antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem ..... veluti Petrum ipsum ulnis animi accepimus ".

Seculo 9. Theodorus Studites *Epistolarum* lib. 2. epist. 12. ad Paschalem I. sua, & aliorum Præpositorum nomine ita scribit (4): " Audi, Apostolicum Caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, janitor regni cœlorum, petra fidei, super quam ædificata est Catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri sedem exornans, & gubernans ". Eodem libro epist. 63. " Testor nunc coram Deo, & hominibus: se ipsos

(1) Cit. loco colum. 730. (2) Eodem tomo colum. 1159.
(3) Eodem tomo colum. 1438. (4) Apud Sirmodum tom. 5.

„ avulserunt a Corpore Christi, & supremo verticali throno, „ in quo Christus claves posuit fidei: adversus quam non „ prævaluere hactenus, nec prævalebunt usque ad consum„ mationem seculi portæ inferi, ora scilicet hæreticorum: „ sicut pollicitus est, qui non mentitur". Nicolaus I. epistola 33. ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem (1) "Ad „ Apostolicam B. Petri Sedem, (inquit) cujus membra esse „ probamini, cum missis quantocius dirigere studeas, si „ tuam charitatem in integritate firmissimæ petræ desideras „ collocare, ubi Christus domum suam fundavit". Æneas Episcopus Parisiensis in præfatione ejus libri, in quo hortatu ejusdem Nicolai errores Græcorum refellit, mirandum non esse affirmat, nunquam contigisse, ut in Apostolica Sede fuerit aliqua hæresis, quum illam suo sanguine Princeps Apostolorum consecraverit, cui a Domino dictum fuerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; &: *Tibi dabo claves regni cælorum*. Ex quibus ita habet (2): „ Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem „ firmare non poterat? Quem quum Petrum dicit, firmamen„ tum Ecclesiæ indicavit".

Seculo 11. S. Petrus Damiani tom. 3. Opusculo 5. in initio: "Armis autem privilegium Romanæ Ecclesiæ non in„ congrue comparaverim, quia dum hæc una per cathedram „ B. Petri totius Christianæ Religionis Caput effecta, cun„ ctis in orbe terrarum principetur Ecclesiis, veluti dux an„ te aciem Fidelium cuneis fulta, ac specialis prærogativæ „ auctoritate munita, & Evangelico mucrone veritati resisten„ tium cervices obtruncat, & ad invictissime dimicandum „ totam Christi militiam in unius charitatis, ac fidei unani„ mitate conspirat".

Seculo tandem 12. S. Thomas Episcopus Cantuariensis, & Martyr, ad omnes Angliæ Episcopos scribens: "Quis (ait „ lib. 1. epist. 97.) Romanam Ecclesiam Caput Ecclesiarum, „ & fontem Catholicæ Doctrinæ ambigat esse?..... Nonne „ in

(1) Tom. 5. Concil. edit. Harduini colum. 264. (2) Eodem tomo colum. 316.

„ in fide, & doctrina Petri totius Ecclesiæ structura consur-„ git? Quicumque sit qui rigat, aut plantat, Deus nulli „ dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & „ doctrinæ ipsius acquiescit“. Nunc rem totam paucis complectamur. Ex Traditione compertum habemus, ea ratione dimanasse Principatum a Petro in ejus Successores, ut in eis, habita ratione clavium, Petrus semper vivat, & judicium exerceat; ut Summus Pontifex una cum Petro res fidei decernat, & Petrus cum Pontifice loquatur; ut Petrus adhuc vivat in suis Successoribus, & per eos Ecclesiæ molem sustineat; ut a Summo Pontifice & nutantis fidei stabilitas expectanda sit, & in Sede Apostolica inviolabilis religio semper custodita fuerit, & in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione B. Petri, semper persistendum sit; ut Romanæ Sedi per Petrum claves ea ratione traditæ fuerint, qua aliis nunquam traditæ fuerunt, & in ea orthodoxorum dogmatum fundamenta existant; ut super fundamentum Summi Pontificis columnæ Ecclesiæ confirmatæ habeantur, & tam per os Petri Summus Pontifex loquatur, quam Petrus eloquens in Summo Pontifice conspiciatur; ut sit idem Summus Pontifex ovium Christi pastor, regni cœlorum janitor, petra fidei, ejusque cathedra totius Christianæ Religionis Caput evaserit, atque ad illam, uti ad Caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ, Fideles accedere oporteat: evidentissimæ igitur Traditioni illi pertinaciter sese opponunt, qui Romanos Pontifices fundamentum esse negant, quomodo S. Petrus fuit: nam, uti nemo non videt, quæ de Romano Pontifice unanimi consensione tradita habemus, eo modo Supremi Ecclesiæ fundamenti rationem illi vindicant, quo S. Petro vindicatur.

§. VI. Verba illa: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, non solum ad universam Ecclesiam, & ad Petrum, sed etiam ad Romanos Pontifices Successores illius referri debent.

Hoc vero est, quod ea omnia suadent, quæ in §. superiori ex communi Traditione recensuimus, sicuti unicuique constare potest. Si portæ inferi contra Summum Pontificem

prævalerent, Petrus, saltem semper, in Summis Pontificibus non viveret, non loqueretur, suum judicium non exerceret, & per eos Ecclesiæ molem non sustineret; Summi Pontifices, non semper una cum Petro res fidei decernerent; ab eis fidei stabilitas expectanda non foret; in Apostolica Sede inviolabilis religio custodita non fuisset; super fundamentum Pontificis columnæ Ecclesiæ confirmatæ non haberentur; non esset Summus Pontifex petra fidei, ejusque cathedra reputari non deberet sicuti caput totius Christianæ Religionis. Verum nunc singillatim perquiramus, quid hac de re, de qua nunc agimus, ex ipsa Traditione habeamus. S. Gelasius in *Commonitorio ad Faustum* ita habet (1): " Ineptias itaque suas „ sibi servent, nisi resipiscant: potius cogitantes Christi vo„ cem non esse superfluam, quæ confessioni B. Petri Aposto„ li inferni portas nunquam prævalituras asseruit. Quapro„ pter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, „ quam & vox Christi, (qua scilicet promisit nunquam futu„ rum, ut contra Petri confessionem portæ inferni prævale„ rent) & Majorum traditio, & canonum fulcit auctoritas, „ ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet ". Inferni ergo portas contra confessionem B. Petri prævalere non posse, S. Gelasius tradit: nomine autem confessionis B. Petri sententiam Apostolicam intelligit, hoc est judicia Romani Pontificis, quæ ad res fidei spectant; alioquin affirmare non potuisset, ne Apostolica sententia resolveretur, ideo se non timere, quia Christus futurum promisit, ut contra Petri confessionem portæ inferi non prævalerent. Non solum autem ex Christi promissione deducit, sententiam Apostolicam resolvi non posse, sed etiam ex Traditione, atque ab auctoritate canonum. Epistola 4. ad Anastasium in eamdem sententiam ita habet (2): „ Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet pe„ nitus humano consilio elevare se quemquam posse illius „ privilegio, vel confessioni, quem Christi vox prætulit uni„ versis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & „ habet

(1) Tom. 2. Concil. Harduini colum. 886. (2) Eodem tomo colum. 493.

„ habet devota Primatem. Impeti possunt humanis præsum-
„ ptionibus, quæ Divino sunt judicio constituta, vinci au-
„ tem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic
„ contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum
„ quod ab ipso sacræ Religionis auctore præfixum est, non
„ potest ulla virtute convelli. *Firmamentum enim Dei stat* ". His autem omnibus Anastasio ostendit S. Gelasius, eam Apostolicæ Sedis firmitatem esse in doctrina fidei, ut illa juxta privilegium Petro collatum nullius virtute convelli, ac propterea inferni portis nunquam superari possit. Hoc vero idem S. Gelasius in epistola 8. ita magis magisque explicat (1):
„ Quumque omnes (Apostoli) æqualiter spirituali luce fulge-
„ rent; unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus,
„ eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Ro-
„ mam direxit, ut in præcipua urbe, vel prima, primum,
„ vel præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ
„ virtute sublimis emicuit; ita sanguinis gloriosa effusione
„ decoratus, æterno hospitio conquiescit; præstans sedi,
„ quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Do-
„ mini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium
„ tutissimus portus ". Leo IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum epist. 1. cap. 7. ita rem eamdem urget (2): " Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera,
„ quæcumque vera sunt: *Portæ inferi non prævalebunt adver-*
„ *sus eam*: Cujus promissionis effectum se precibus impetras-
„ se a Patre, idem Filius protestatur dicendo Petro....:
„ *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.* erit ergo
„ quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus
„ velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a
„ sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia,
„ tam per eumdem Petrum, quam per Successores suos, re-
„ probata, & convicta, atque expugnata sunt omnium hæ-
„ reticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ
„ hactenus non defecit, nec usque in finem deficiet, sunt
„ con-

(1) Eodem tomo colum. 920. (2) Tom. 6. Concil. ejusdem edit. par. 1. colum. 930.

„ confirmata " ? Alexander III. epist. 58. ad Regem Indorum (1) explicans illa verba: *Tu es Petrus*, inquit: " Hanc „ petram Christus esse voluit in Ecclesiæ fundamentum, „ quam præconat nullis ventorum turbinibus, nullisque tem„ pestatibus quatiendam ". Tandem, ut alios omittamus, S. Theodorus Studites *Epistolarum* lib. 2. epist. 63. ad Naucratium filium (2) ita in rem nostram habet: " Testor nunc co„ ram Deo, & hominibus: se ipsos avulserunt a Corpore „ Christi, & supremo verticali throno, in quo Christus cla„ ves posuit fidei: adversus quam non prævaluere hactenus, „ nec prævalebunt usque ad consummationem portæ inferi, „ ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est, qui non men„ titur. Gaudeat igitur Beatissimus, & Apostolicus, & no„ mine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimple„ vit ". Hæc vero omnia ostendunt, verba illa: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, non solum ad universam Ecclesiam, & ad Petrum, sed etiam ad Romanos Pontifices referri oportere, quemadmodum nos volebamus.

§. VII. Illa verba *Lucæ* cap. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; &: *Confirma fratres tuos*, etiam ad Romanos Pontifices Petri successores referri debent.

Est hac quoque de re ex ipsa Traditione compertum. „ Manet ergo (sicuti inquit S. Leo) dispositio veritatis, & „ B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, su„ sceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit, cujus in sede „ sua vivit potestas, & excellit auctoritas (3) ". Hinc S. Doctor ad ostendendum permanere dispositionem veritatis, evincendumque, quod Petro ad supremum Ecclesiæ regimen singulariter collatum fuit, semper inesse in successoribus illius, ad eosdem refert etiam verba illa *Lucæ*, de quibus nunc agimus. Dum enim ea exponit in *Sermone* 3. in anniversaria die suæ assumptionis ad Pontificatum, ita habet: " Commune erat omnibus Apostolis periculum de ten„ tatione formidinis, & Divinæ protectionis auxilio pari„ ter

(1) Tom. 6. Concil. ejusdem edit. par. 2. colum. 1415. (2) Apud Sirmondum tom. 5. (3) Vide locum. §. 5.

„ ter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, om-
„ nes cupiebat elidere: & tamen ſpecialis a Domino Pe-
„ tri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propria ſupplicatur,
„ tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Prin-
„ cipis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo
„ munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut fir-
„ mitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum
„ Apoſtolis conferatur". Semel ac vero in Petro omnium fortitudo muniatur, & Divinæ gratiæ ita ordinetur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur; aliundeque Eccleſiæ fides deficere non poſſit, inde ſane conſequitur juxta mentem Sancti Leonis, ut ob ea, quæ Petro *Lucæ* cap.22. Chriſtus dixit, Petri fides in ſede illius nunquam defectura ſit; ac propterea Chriſti verba etiam ad Romanos Pontifices Petri ſucceſſores referri debeant. Hoc vero eſt, quod ſequentibus ſeculis auctoritate plurimorum confirmatum habemus.

Seculo 5. S. Gelaſius I. in epiſtola 5. ad Honorium incumbere ſibi oſtendit curam totius ovilis, quod Petro creditum fuit illis verbis: *Et tu aliquando &c.* inquit enim (1):
„ Licet inter varias temporum difficultates continuis occu-
„ pationibus implicati vix reſpirare valeamus; pro ſedis ta-
„ men Apoſtolicæ moderamine totius ovilis Dominici cu-
„ ram ſine ceſſatione tractantes, quæ Beato Petro Salvato-
„ ris ipſius noſtri voce delegata eſt: *Et tu converſus confir-*
„ *ma fratres tuos*. Et item: *Petre amas me? paſce oves meas*:
„ Diſſimulare nec poſſumus, nec debemus, quæ noſtram
„ ſollicitudinem forma perſtringat".

Seculo 6. Pelagius II. epiſt.3. ad Eliam, & Epiſcopos Iſtriæ ex iiſdem Chriſti verbis deducit, Petri fidem, quæ viget in ſucceſſoribus illius, mutari non poſſe (2): " Noſtis
„ enim (inquit) in Evangelio Dominum proclamantem:
„ *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos &c.* Conſidera-
„ te, chariſſimi, quia veritas mentiri non potuit, nec fi-
„ des

(1) Tom.5. Concil. edit. Venet. colum. 298. (2) Tom.3. Concil. edit. Harduini colum. 414.

„ des Petri in æternum quaſſari poterit, vel mutari. Nam „ quum omnes diſcipulos diabolus ad excribrandum popoſcerit, pro ſolo Petro ſe Dominus rogaſſe teſtatur, & „ ab eo voluit ceteros confirmari: cui etiam pro majori dilectione, quam præ ceteris Domino exhibebat, paſcendarum ovium ſollicitudo commiſſa eſt: cui & claves regni cœlorum tradidit; & ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturum eſſe promiſit, nec portas inferni adverſus eam „ prævalere teſtatus eſt". Elias autem, aliique ſchiſmatici Petri fidem propriam, & perſonalem in ſuſpicionem non vocabant, ſed ab Eccleſiæ Romanæ, ipſiuſque Pelagii communione abhorrebant ob probatam ab ipſo damnationem trium Capitulorum, qua fidem Synodi Chalcedonenſis convelli arbitrabantur. Hanc ergo falſam opinionem Pelagius inde refutat, quia propter ea, quæ Chriſtus *Lucæ* 22. ad Petrum dixit, Eccleſia Romana, Romanique Pontifices de errore fidei accuſari nunquam poſſunt. S. Gregorius Magnus *Epiſtolarum* lib.7. indictione 15. epiſt.40., alias 37. ad Eulogium Epiſcopum: " Quis enim neſciat (inquit) Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus „ a Petra vocaretur? Cui Veritatis voce dicitur: *Tibi dabo* „ *claves regni cœlorum*. Cui rurſus dicitur: *Et tu aliquando* „ *converſus confirma fratres tuos*. Iterumque: *Simon Joannis* „ *amas me? paſce oves meas*. Itaque quum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate convaluit". Si ergo, auctore Gregorio Magno, Apoſtolica ſedes in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmata eſt, quia inter alia ei Chriſtus dixit: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; quis non videat, pro certo habuiſſe S. Gregorium præfata verba Chriſti, ſicut etiam alia, ex quibus Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam eſſe eodem modo colligitur, non minus ad Petrum, quam ad ſucceſſores ejus referri oportere?

Seculo 7. Stephanus Epiſcopus Dorenſis in ſupplici libel-

libello, quem S. Martino I. obtulit *Secretario* 2. Concilii Lateranensis, respiciens ad locum Evangelicum, de quo nunc loquimur, ita habet (1): « Et iterum ipse (Petrus) præci„ pue, ac specialiter firmam præ omnibus habens in Do„ minum Deum nostrum & immutabilem fidem, converte„ re aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, „ & spirituales meruit fratres; utpote dispensative super „ omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, po„ testatem accipiens, & sacerdotalem auctoritatem «. Post hæc autem statim superaddit. « Quod utique sciens beatæ „ memoriæ Sophronius, quondam Patriarcha sanctæ Christi „ Dei nostri civitatis, sub cujus Diœcesi fungebar sacer„ dotali officio ... studuit meam humilitatem sine mora pro „ hujusmodi tantummodo Capitulo (hoc est pro causa fi„ dei a Monothelitis in Oriente male habita) cum sua sug„ gestione ad hanc Apostolicam magnamque dirigere se„ dem «. Quum igitur Sophronius pro causa fidei ad Sedem Apostolicam Episcopum Dorensem destinaverit, quia perspectum habebat, Petro demandatum a Christo fuisse, ut fratres in fide confirmaret; evidenti argumento id esse debet, indicasse Sophronium Petri privilegia in illius successoribus ob ea permanere, quæ Christus Petro mandavit. Vitalianus Papa ad Paulum Episcopum Cretensem scribens, ita ad illum habet (2): « Quæ præcipimus tibi secundum „ Deum, & propter Dominum, tuæque Synodo, stude il„ lico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed se„ cundum virtutem sacratissimorum canonum conversari «. Inde vero hanc auctoritatem in eum illiusque Synodum sibi vindicat, quia, uti superaddit: « Scriptum namque est: „ Dominus inquit: *Petre, rogavi pro te, ut non deficeret fi„ des tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* «. S. Agatho Papa in epistola ad Constantinum, & Tiberium Imperatores, quæ in Actione 4. Synodus VI. lecta fuit, eamque uti a Spiritu Sancto per os Petri dictatam Patres susce-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 414. (3) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 460.

ſuſceperunt, ait (1): " Hæc eſt enim veræ fidei regula,
" quam & in proſperis, & in adverſis veraciter tenuit, ac
" defendit hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi impe-
" rii, Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei omnipoten-
" tis gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam er-
" raſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuc-
" cubuit: ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab
" auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata
" fide tenus permanet, ſecundum ipſius Domini Salvatoris
" Divinam pollicitationem, quæ ſuorum diſcipulorum Prin-
" cipi in ſacris Evangeliis facta eſt: *Petre, Petre*, inquiens,
" *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego*
" *autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*".

Sub finem 8. ſeculi Hadrianus I. in epiſt. ad Carolum Magnum pro cultu Sanctarum imaginum ait (2): " Evange-
" lium ſcientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, &
" omnium Apoſtolorum Principi Petro claves regni cœlo-
" rum, & totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe
" dicitur: *Petre amas me? paſce oves meas*. Ipſi dicitur:
" *Ecce ſatanas expetivit cribrare vos ſicut triticum: & ego pro*
" *te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua &c.* Ipſi dicitur:
" *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Ecce cura ei to-
" tius Eccleſiæ, & Principatus committitur. Et ipſe vices
" ſuas vicariis ſuis Pontificibus relinquere dignoſcitur Ec-
" cleſiæ curam gerendi".

Initio ſeculi 9. Theodorus Studita *Epiſtolarum* lib. 2. epiſt. 12. ad Paſchalem Papam (3) " Huc igitur (ait) ab oc-
" cidente, o Chriſti imitator, *Exurge, & ne repellas in fi-*
" *nem*. Tibi dixit Chriſtus Deus noſter: *Et tu aliquando*
" *converſus confirmabis fratres tuos*. Ecce tempus: ecce locus:
" opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus". Eodem medio ſeculo Nicolaus I. epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem (4): " Privilegia iſtius ſedis, (inquit) vel Eccleſiæ
" per-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1082. (2) Tom. 4. Concil. ejuſdem edit. colum. 773. (3) Apud Sirmondum tom. 5.
(4) Tom. 5. Concil. edit. Harduini colum. 166.

„ perpetua sunt: divinitus radicata, atque plantata sunt, „ impingi possunt, transferri non possunt". Hujus autem rei causam infra superaddit his verbis: "Nam & inter cetera is, per quem nobis præcipue ista sunt privilegia collata: *Tu aliquando conversus*, audivit a Domino, *confirma fratres tuos*". Epistola 9. ad eumdem (1): "Sicut imperii tui divinitus inspirata sapientia novit, cunctarum „ Christi ovium cura constringimur, quum vices illius per „ abundantiam cœlestis gratiæ egerimus, cui specialiter a „ Deo dicitur: *Pasce oves meas*. Et rursus: *Et tu aliquando* „ *conversus confirma fratres tuos*".

In fine seculi 9. Joannes VIII. epistola 73. ad Lambertum Comitem (2) ita eum monet: "Ideo Sedes Apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit „ legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*".

Seculo 11. Leo IX. epist. 1. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum ita habet (3): "Cujus promissionis „ effectum (hoc est, quod portæ inferi non prævalebunt „ adversus Ecclesiam), se precibus impetrasse a Patre idem „ Filius protestatur dicendo ad Petrum: *Simon, ecce satanas* „ *expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi* „ *pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus* „ *confirma fratres tuos*. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ „ qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede Principis Apostolorum „ Romana videlicet Ecclesia, tam per eum Petrum, quam „ per successores suos reprobata, & convicta, & expugnata sunt omnia hæreticorum commenta". Eodem seculo S. Gregorius VII. *Epistolarum* lib. 2. epist. 31. ad Henricum Regem Romanorum, postquam innuit Ecclesiam Constantinopolitanam a Romana dissidere in dogmate de Spiritu Sancto, Armenos fere omnes a recta fide aberrasse, & uni-

 ver-

(1) Eodem loco colum. 175. (2) Tom. 11. Concil. edit. Venet. colum. 60. (3) Tom. 6. Concil. edit. Harduini par. 1 colum. 930.

versos pene Orientales præstolari, *quid fides Apostoli Petri inter diversas opiniones eorum decernat* ait (1): " Instat enim no„ stro tempore, ut impleatur, quod pius Redemptor spiri„ tali gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare, & „ præcipere dicens: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non defi*„ *ciat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres* „ *tuos* ". Paschalis II. in epistola ad Guidonem Archiepiscopum Viennensem (2); " Ipsi quoque (ait) & propriæ „ firmitas, & alienæ fidei confirmatio eodem Deo auctore „ præstatur, quum ad eum dicitur: *Rogavi pro te, ut non* „ *deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres* „ *tuos*. Oportet ergo nos, qui licet indigni Petri videmur „ residere in loco, prava corrigere, recta firmare, & in „ omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda „ disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, „ & oculi nostri videant æquitatem ".

Seculo 12. Callixtus II. in Concilio Remensi (3) ita habuit: " Scitis quandiu Ecclesia contra diversas hæreses „ laboravit, & sicut per B. Petrum dictum est a Domino: „ *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando con*„ *versus confirma fratres tuos*: Simon Magus judicio Spiri„ tus Sancti ab Ecclesia Dei eliminatus periit: sic usque „ ad nostra tempora idem per vicarios suos sequaces Simo„ nis expugnare, & ab Ecclesia extirpare non desinit ".

Tandem seculo 13. Gregorius IX. respondens Germano Patriarchæ Constantinopolitano inquit (4): " Prævidens „ autem Dominus, quod Ecclesia a tyramnis conculcare„ tur, & ab hæreticis laniaretur, & a schismaticis scinde„ retur, dixit: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: „ *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Ex quo col„ ligitur evidenter, quod ad sedem Petri quæstio fidei re„ ferenda sit ". Tam ergo manifestum est, quam quod maxime, si Traditionem consulamus, illa verba *Lucæ* cap. 22. *Ro-*

(1) Eodem tomo colum. 1285. (2) Tom. 6. Concil. ejusdem edit. par. 2. colum. 1330. (3) Eodem tomo colum. 1994. (4) Tom. 7. Concil. ejusdem edit. colum. 154.

Rogavi pro te, *Petre*, *ut non deficiat fides tua*; & : *Confirma fratres tuos*, etiam ad Romanos Pontifices Petri successores referri oportere.

§. VIII. Etiam illa verba *Joannis* cap. 21. *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas* non minus ad Petrum, quam ad Romanos Pontifices successores illius referri debent.

De hoc doctrinæ capite amplissime constat ex iis, quæ in tribus superioribus §§. usque modo disseruimus. Nam si quomodo Petri proprium fuit; ita etiam Romanorum Pontificum est, Ecclesiæ fundamentum esse: & sicut contra Petrum portæ inferi prævalere non potuerunt, ita nec possunt contra Romanos Pontifices: ac uti ad Petrum spectavit in fide confirmare fratres; similiter id spectat ad Romanos Pontifices; inde consequitur, etiam illa verba *Joannis* cap. 21. *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas*, æque ad Romanos Pontifices pertinere, ac ad Petrum spectarunt. Nam Petrus a Jesu Christo id recepit, quod sibi *Matt.* cap. 16. promiserat, & *Lucæ* cap. 22. confirmaverat, quando suprema cura omnium agnorum, & ovium *Joannis* cap. 22. illi commissa fuit (1). Quapropter si non minus Petro, quam Romanis Pontificibus conveniunt, quæ *Matt.* cap. 16., & *Lucæ* cap. 22. leguntur, ea quoque convenire debent, quæ habentur *Joannis* cap. 21. de cura agnorum, & ovium. Hinc vero est, ut ex Traditione compertum habeamus, ad Romanum Pontificem successorem S. Petri non minus ea duo priora loca, hoc est *Matt.* cap. 16., & *Lucæ* cap. 22., referri oportere, quemadmodum usque modo ostendimus, quam alterum *Joannis* 21., in quo de cura pascendorum agnorum, & ovium agitur. S. Gelasius in epist. 5. ad Honorium Romano Pontifici tam illa verba tribuit: *Et tu conversus confirma fratres tuos*, quam hæc alia: *Petre amas me? Pasce oves meas*. Idem fecit S. Gregorius Magnus, qui una simul conjunxit etiam illa verba Matthæi: *Tibi dabo claves regni cælorum*. Conjunxit etiam in rem eamdem Hadrianus I. in epistola ad Carolum Magnum (2). Quibus sane alii quoque

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 7. (2) Vide loca eorum supra præced. §. 7.

que suffragantur. Nam Stephanus Episcopus Dorensis in libello supplici, quem S. Martino I. *Secretario* 2. Synodi Lateranensis obtulit, ita habet (1): " Aliquando autem pen-
" nas secundum B. David (exquisivimus) ut volemus, &
" annuntiemus hæc omnia omnium præpositæ sedi, dico
" autem summæ vestræ, & principali ad medicinale con-
" sultum emersi vulneris ". Sedem vero Apostolicam inde etiam vocat summam, & principalem, quia Petro dictum fuit: *Petre amas me? Pasce oves meas*. Hadrianus II. epist. 9. ad Lotharium Regem (2): " Quia (inquit) B. Petro Apo-
" stolorum Principi Dominus noster oves suas ... totam
" videlicet Ecclesiam tertio commendavit dicens: *Pasce*
" *oves meas*: *pasce agnos meos*; nos vice utique Apostolatus
" illius, Domino in omnes cooperante, fungentes, in vir-
" ga æquitatis, & justitiæ, in longanimitate benignæ hu-
" militatis, & patientiæ gregem Domini pabulo spiritualis
" vitæ pascendum, & cura solerti custodiendum Divina su-
" scepimus voluntate ". Leo VII. epist. 2. ad Gallos, & Germanos (3): " Scitis enim (ait) quod ab ipso Domino Bea-
" to Petro Principi Apostolorum, ejusque vicariis omnium
" Ecclesiarum cura commissa est, veritatis voce dicente:
" *Tu es Petrus, & super hac petram ædificabo Ecclesiam meam*:
" cui etiam proprias oves commendavit dicens: *Si diligis*
" *me*; *pasce oves meas*. Et idcirco pro universis Ecclesiis sol-
" licitudinem gerimus ". Benedictus VI. in epist. ad Salisburgensem Episcopum inquit (4): " Quorum (scilicet Apo-
" stolorum) atque totius Ecclesiæ Sanctum constituit Pe-
" trum Principem, cui gregem commisit ecclesiasticum ter-
" tio ei dicens: *Pasce oves meas*, cui etiam ligandi, & sol-
" vendi tradidit potestatem dicens: *Quodcumque ligaveris &c.*
" Et non solum talis concessa est Petro potentia, sed etiam
" suis successoribus ejus vicem in Ecclesia tenentibus ea-
" dem ligandi, atque solvendi tradita est a Deo potestas ".

Ne-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 714. (2) Tom. 5 Conc. ejusdem edit. colum. 702. (3) Tom. 6. Concil. ejusdem edit. col. 578.
(4) Eodem tomo colum. 689.

Nemini itaque dubium esse potest, quin etiam illa verba *Joannis* 21. *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*, ad Romanos Pontifices Petri successores referri debeant.

§. IX. Nihil de ea æqualitate, quam Romani Pontifices quoad Ecclesiæ regimen cum S. Petro habent, inde detrahitur, quia nonnulli eos esse Vicarios S. Petri quandoque dixerunt, & ipsi quoque Romani Pontifices hoc nomen sibi nonnunquam tribuere.

Eo ergo sensu Romani Pontifices & sunt, & quandoque etiam tum a se ipsis, tum ab aliis Vicarii S. Petri vocantur, quatenus, uti inquit S. Leo (1), in persona Romani Pontificis vivit potestas illius, & excellit auctoritas, atque dignitas in indigno hærede non deficit. Usitatum vero fuit apud veteres, ut æque vicarii, ac successoris nomine designarentur, qui in tota dignitate, atque potestate muneris alteri succederent. S. Cyprianus epist.77. ad Stephanum Papam, facta commemoratione Cornelii & Lucii, eorumdem *vicarium*, & *successorem* Stephanum vocat. Ita S. Gregorius *Epistol.* lib.11. indict.4. epist.4., alias 65., Mediolanensem Episcopum vocat *Vicarium S. Ambrosii*. Quapropter mirandum non est, si iidem ipsi Romani Pontifices, qui Vicarios S. Petri se esse dixerunt, tum verba illa *Matthæi*: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram &c.* tum *Lucæ*: *Confirma fratres tuos*, tum *Joannis*: *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas*, ad se quoque referri oportere, pro certo habuerunt (2). Id autem æquo jure existimare non potuissent, semel ac Vicarii S. Petri eo sensu essent, atque dicerentur, ut in Ecclesiæ regimine æqualem cum ipso Petro dignitatem, atque auctoritatem non haberent. Nihil ergo de ea æqualitate, quam Romani Pontifices in Ecclesiæ regimine cum S. Petro habent, inde detrahitur, quia eos esse Vicarios nonnulli quandoque dixerunt, & ipsi nonnunquam hoc se nomine vocarunt.

CA-

(1) Vide locum §.5. hujus capitis. (2) Vide supra §.7. loca Callixti II., Nicolai I., & §.8. Hadriani II., Benedicti VI.

CAPUT III.

DE SUPREMA LEGISLATIVA POTESTATE, QUÆ ROMANO PONTIFICI VISIBILI CAPITI ECCLESIÆ COLLATA EST.

§. I. QUÆ leguntur *Matthæi* cap. 16. v. 19. & seq., ostendunt, supremam legislativam potestatem Romano Pontifici tribui oportere.

Constat ex iisdem verbis de suprema legislativa potestate, quam Jesus Christus super universam Ecclesiam Petro contulit (1): S. Petrus fuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cique usque ad obitum præfuit (2), cui Romanos Pontifices in Episcopatu succedere, & ex ipsa Traditione compertum habemus, & si ad Ecclesiæ conditionem attendamus, nullus dubitandi locus relinquitur (3): quomodo ergo ex Matthæi verbis constat de ea suprema legislativa potestate, quam S. Petrus super universam Ecclesiam recepit; ita etiam ex iisdem constare debet de suprema legislativa potestate Summorum Pontificum, qui Petro succedunt.

Deinde quæ in Matthæi verbis intelligi debet collata potestas, auctoritas, atque dignitas, non minus convenit Romanis Pontificibus, quam Petro (4): iisdem ergo si S. Petro suprema legislativa potestas super universam Ecclesiam tributa est, etiam Romanis Pontificibus hanc potestatem tributam fuisse, dici debet.

§. II. Quæ habentur *Lucæ* cap. 22. v. 32., supremam legislativam potestatem Romano Pontifici convenire, neminem dubitare sinunt.

Istis enim non secus, ac aliis, quæ *Matthæi* cap. 16. v. 19. & seq. leguntur, de ea suprema legislativa potestate compertum est, quæ S. Petro collata fuit (5): quum igitur S. Petrus Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuerit, eique usque ad obi-

(1) Lib. 18. cap. 2. §. 3. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 4. (3) Ejusdem lib. cap 2. §. 1. & seqq. (4) Eodem cap. §. 5. & 6. (5) Lib. 18. cap 2. §. 4.

obitum præesse non desierit (1); Petro autem Romanos Pontifices in Episcopatu succedere, ab ipsa Traditione doceamur, ac semper magis magisque hac de re certi simus, si Ecclesiæ statum spectemus (2); inde profecto consequitur, quod nos modo volumus, hoc est, quæ habentur *Lucæ* cap.22. v.32. talia esse, ut supremam legislativam potestatem Romano Pontifici convenire, neminem dubitare sinant.

His illud accedit, ut quæ suprema potestas muneris illis verbis Lucæ S.Petro collata a Jesu Christo fuit, non minus Romanis Pontificibus, quam Petro conveniat (3): si igitur propter ea verba suprema legislativa potestas S. Petro conveniebat, etiam Romanis Pontificibus convenire debet.

§. III. Quæ *Joannis* cap.21. v.15. & seqq. descripta legimus, aperte evincunt, supremam legislativam potestatem in Romano Pontifice inesse.

Iisdem quoque, sicut aliis, quæ tum *Matthæi* cap.16. v.19., & seq., tum *Lucæ* cap.22. v.32. habentur, de ea suprema legislativa potestate constat, quam S. Petrus a Jesu Christo recepit (4): Romanæ autem Ecclesiæ Episcopatum habuit S. Petrus, illumque usque ad mortem retinuit (5), atque Petro Romanos Pontifices in Episcopatu succedere, tum ipsa traditio ostendit, tum Ecclesiæ status, & conditio requirit (6): sicut igitur illis, quæ tum *Matthæi* cap.16. v.19. & seq., tum *Lucæ* cap.22. v.32. habentur; ita etiam aliis, quæ *Joannis* cap.21. v.15. & seq. descripta legimus, omnino constat de suprema legislativa potestate Romani Pontificis.

§. IV. Quemadmodum Apostoli legislativa potestate præditi fuere; ita etiam eamdem habent, qui in locum eorum successerunt.

„ Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, " ut verbis S. Hieronymi utar (7), atque " in Apostolorum „ locum successerunt, " quemadmodum Tridentini Patres

(1) Hujus lib. cap.1. §.4 (2) Ejusdem lib. cap.2. §.1. & seqq.
(3) Eodem cap. §.7. (4) Lib.18. cap. 2. §. 5. (5) Hujus lib. cap.1. §.4. (6) Ejusdem lib. cap.2. §.1. & seqq. (7) Epist.54

ſeſs.23. cap.4. definiere. " Dicuntur tamen (ſicuti monet
„ Bellarminus *De Romano-Pontifice* lib 4. cap.25.) Epiſcopi
„ ſuccedere Apoſtolis, non proprie eo modo, quo unus
„ Epiſcopus alteri, & unus rex alteri, ſed duplici alia ra-
„ tione: 1. ratione ordinis ſacri Epiſcopalis: 2. per quam-
„ dam ſimilitudinem, & proportionem: quia nimirum ſicut
„ Chriſto in terris vivente, primi ſub Chriſto erant Apo-
„ ſtoli duodecim, deinde ſeptuaginta duo diſcipuli; ita
„ nunc primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi". Ho-
rum itaque jurisdictio, atque poteſtas licet æque, ac Apo-
ſtolorum, non extendatur; tamen ſunt eadem dignitate,
& auctoritate præditi, qua Apoſtoli erant, ſi tum Epiſco-
patum, tum gregem illum ſpectemus, qui illis commiſſus
eſt. Si ergo Apoſtoli legislativa poteſtate præditi fuerunt,
quatenus Fideles quoad omnia regere, atque moderari de-
bebant, quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, eaque
poteſtate uſos etiam cum vi cogendi fuiſſe, nemo dubita-
re poteſt (1); eſt idem profecto auctoritatis etiam Epiſco-
pis tribuendum; ac propterea quemadmodum Apoſtoli le-
gislativa poteſtate præditi fuerunt; ita ſunt etiam qui in
locum eorum ſucceſſere.

§. V. Epiſcoporum legislativa poteſtas, legislativæ po-
teſtati Romani Pontificis ſubjecta eſt.

Quod eſt ſummum, atque ſupremum omnia ſibi ſub-
jecta habere in eo genere debet, in quo tale eſt; alioquin
neque ſummum, neque ſupremum dici poteſt: ſuprema
vero eſt ea legislativa poteſtas, quam Summus Pontifex ſu-
per univerſam Eccleſiam habet (2): ſi ergo de Eccleſiaſtica
legislativa poteſtate loquamur, nulla omnino eſſe debet,
quæ illi non ſubjiciatur.

Deinde Apoſtolorum legislativa poteſtas ſubjecta fuit
illi, quam Petrus ob ſuam præfecturam ſuper univerſam
Eccleſiam recepit (3): quum ergo Epiſcopi, qui ſunt ſuc-
ceſſores Apoſtolorum, qua erant Apoſtoli, ſint legislativa
aucto-

(1) Lib.18. cap.2. §.6. & ſeq. (2) Ejuſdem cap. §.1. & ſeq.
(3) Ejuſdem cap. §.8.

auctoritate præditi (1), atque etiam Summus Pontifex eamdem legislativam potestatem habeat, ac habuit S. Petrus (2): quemadmodum Apostolorum legislativa potestas subjecta fuit legislativæ potestati Sancti Petri; ita etiam legislativa potestas Episcoporum legislativæ potestati Romani Pontificis subdi debet. Nihil ergo ad rem nostram spectat illa quæstio, in qua disputatur, utrum Episcopi suam omnem jurisdictionem a Summo Pontifice proxime, atque immediate mutuentur. Nam ut Orsii verbis utamur *De Rom. Pontificis auctoritate* lib.2. cap.11. " Nolumus ex minus certa opinione, & quæ multorum odio, & invidiæ patet, longe certiorem elicere, & confirmare. Quum ad nostram doctrinam tuendam in eo satis præsidii sit, quod quæcumque auctoritas in Ecclesiæ corpore constituatur, ab ipsius capitis majestate, & auctoritate pendeat, undecumque ea corporis auctoritas immediate proficiscatur ".

§. VI. Romani Pontificis legislativa potestas non solum est superior Episcoporum legislativa potestate, sed etiam vim cogendi in se continet.

Hujusmodi vis in ea suprema legislativa potestate inerat, quam S. Petrus super universam Ecclesiam habuit. Quum enim Primatus a Christo institutus fuerit ad servandam unitatem Ecclesiæ, illud profecto requirebatur, ut qui universæ Ecclesiæ, sicuti supremum caput illius præerat, tollere, atque amputare ea omnia posset, quæ unitati adversarentur (3). Romanus autem Pontifex est hæres illius dignitatis, jurisdictionis, atque auctoritatis, quam S. Petrus super universam Ecclesiam habuit, quum successor illius sit (4); & quomodo Petri proprium fuit, Ecclesiæ fundamentum esse, in fide confirmare fratres, & pascere omnes tum agnos, tum oves, est etiam Romanorum Pontificum (5): Romani ergo Pontificis legislativa potestas illud quoque habet, ut vim cogendi in se contineat.

§. VII. Consultationes, quæ a primis usque Ecclesiæ tem-

(1) Præced. §. (2) Hujus cap. §. 1. & seqq. (3) Loco cit. §. 9.
(4) Hujus lib. cap. 2. §. 1. & seqq. (5) Eodem loco §. 5.

temporibus ad Romanum Pontificem ab universo orbe deferri consueverunt, sunt evidentissimum argumentum illius supremæ legislativæ potestatis, quam Romanus Pontifex super universam Ecclesiam habet.

S. Hieronymus epist.123. ad Ageruchiam, alias 11., num.10. explicans quo munere apud Damasum fungeretur, dum Romæ maneret, ita habet: " Ante annos plurimos „ quum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis synodicis consultationibus responderem ". Multa quidem hujusmodi responsa Pontificum Romanorum, qui Damasum præcesserunt, periisse, nullus est dubitandi locus: ex iis tamen, quæ supersunt, quod nos modo volumus, omnino compertum habemus. Hostis antiqui fraude contigerat, ut in Ecclesia Corinthiorum nonnulli presbyteri e suo ministerio dejecti essent, qui & puritate morum, & doctrinæ integritate præstabant. Huic autem malo aliquod remedium afferri posse, Corinthii putarunt, si Apostolica sedes consuleretur: quod & fecerunt. Quare S. Clemens respondit Corinthiis (1): " Eos presbyteros esse injuste dejectos, quorum electio unanimi consensione Ecclesiæ rata erat, & „ mores ab omni vitio, & reprehensione puri ". Cornelius consultus ab Episcopis Afris in causa lapsorum probavit, quod ipsi simul uniti hac de re decreverant: " Ac si minus sufficiens (inquit S. Cyprianus epist.52. ad Antonianum) Episcoporum in Africa numerus videbitur, etiam „ Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam „ nostrum, qui & ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & „ salubri moderatione consensit ". Epist.77. ad Stephanum Papam Marcianum Arelatensem Novatiano consensisse, certiorem illum facit, quod quidem ei a Faustino Lugdunensi scriptum jam fuisse præsupponit: Stephanum deinde in hunc modum rogat, ut sua auctoritate interposita, gravi malo, quod in Galliis in dies serpere poterat, opportune consulat:

(1) Apud Constantium in *Collectione epist. Roman. Pont.* ep.1. nu.34.

lat : " Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras „ ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra „ Marcianum pervicacem, & ſuperbum, & Divinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum collegio noſtro inſultare patiantur . . . Dirigantur in provinciam, & ad plebem „ Arelate conſiſtentem a te litteræ, quibus, abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti, „ qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur ". Epiſtola 77. eumdem Stephanum monet plura a ſe una cum aliis Epiſcopis conſtituta fuiſſe: „ Sed (inquit) de eo vel maxime tibi ſcribendum, & cum „ tua ſapientia, ac gravitate conferendum fuit, quod magis pertineat & ad ſacerdotalem auctoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter, ac dignitatem de Divinæ diſpoſitionis ordine venientem, eos, qui ſint foris „ extra Eccleſiam tincti . . . quando ad nos, atque ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere ". Quid ad hæc Stephanus? Sua auctoritate uſus, quod hac in re ſervandum eſſet, ita præcipiendo conſtituit: " Si quis „ ergo a quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in „ pœnitentiam " (1). Ideo autem Cyprianum hac tota de re, quamvis in Africano Concilio definita, ad Stephanum ſcribendum, & cum ejus ſapientia, atque gravitate conferendum cenſuiſſe, dici debet, quia, ut ipſe tradit in epiſtola 72. ad Jubajanum, communicare cum Romano Pontifice idem eſt, ac *cum Catholica Eccleſia communicare*. Dionyſius Pontifex de Dionyſii Alexandrini Præſulis cauſa in Synodo Romana judicavit, quemadmodum ex S. Athanaſio novimus in lib. *De Synodis* num.43. Julius in epiſtola ad Euſebianos num.22. (2) illud quoque exprobrat eis, quod contra Pauli ſtatuta, & traditionem Patrum Alexandrinus Præſul, ſe inſcio, damnatus fuerit: id vero facit, dum reſpondet litteris ab Euſebianis in ſui defenſionem ad illum miſſis:

(1) Apud Cyprianum epiſt.74. ad Pompejum. (2) Apud Conſtantium in Collect. epiſt. Roman. Pont.

ſis: " Cur autem (inquit) de Alexandrina potiſſimum Ec-
" cleſia nihil nobis ſcriptum eſt? An ignoratis hanc eſſe
" conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc quod
" juſtum eſt, decernatur? Sane ſi qua hujuſmodi ſuſpicio
" in illius urbis Epiſcopum cadebat, ad hanc Eccleſiam
" ſcribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indica-
" ta, poſtea quam quod libuit, egere, nos, quibus ea cri-
" mina explorata non ſunt, ſibi demum ſuffragatores eſſe
" volunt. Nequaquam talia ſunt Pauli ſtatuta, non hæc Pa-
" tres tradiderunt: ſed aliena eſt iſta forma, novum hoc
" inſtitutum ". Quod vero jure merito Julius contendebat
ſequuti Patres Sardicenſes in epiſtola ad eumdem num. 1.
ita habet (1): " Hoc enim optimum, & valde congruentiſ-
" ſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri Apo-
" ſtoli ſedem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini re-
" ferant ſacerdotes ". Liberius in epiſtola ad univerſos Orien-
tis Orthodoxos Epiſcopos num.4. (2) ita habet, poſtquam
ad ea reſpondit, de quibus illum conſuluerant: " Quam-
" obrem congruum nobis viſum eſt, litteras ad charitatem
" veſtram ſcribere, & juſta petentibus ſubvenire: præſer-
" tim quum ex profeſſione legatorum veſtrorum noverimus,
" Orientales ad ſanam mentem reverſos cum orthodoxis Oc-
" cidentalibus conſentire". Tandem ut omittamus alios Pon-
tifices, qui Innocentium I. præceſſerunt, quorum epiſtolæ hac
de re, de qua agimus, apud Conſtantium legi poſſunt,
ſane quod nos modo volumus, omnino manifeſtum faciunt
epiſtolæ tres Concilii Carthaginenſis, Concilii Milevitani,
& quinque Epiſcoporum Africanorum ad Innocentium I.,
hujuſque tres item epiſtolæ ad Concilium Carthaginenſe,
Milevitanum, & quinque Africanos Epiſcopos, in quibus ad
ea reſpondet, de quibus ab illis quæſitus fuerat (3). Infi-
nita propemodum hujus rei exempla in hiſtoria eccleſiaſti-
ca occurrunt: hæc ergo pauca ex vetuſtiori antiquitate nos
de-

(1) Apud eumdem Conſtantium ep. 3. (2) Apud eumdem ep.15.
(3) Conſtantius conſulatur epiſt.26. & ſeqq. Innoc. I., & S. Auguſt. epiſt.175. & ſeqq. juxta Maurinam edit.

deprompſiſſe ſufficiat. " Jam vero (ſicuti Conſtantius recte „ advertit in præfatione ad *Collect. epiſt. Rom. Pont.* n.32.) „ quænam alia, quam longe lateque patet orbis, Eccleſia „ eſt, cujus perinde, ac Romanæ, tanta fuerit auctoritas, „ ut ab ea ſic peteretur difficilium rerum explicatio? Mu„ tuis quidem quandoque ſe conſiliis juvabant Eccleſiæ vel „ remotiſſimæ. Sic Lugdunenſes Viennenſeſque ab Eccle„ ſiis Aſiæ, ac Phrygiæ conſultæ quid de Cataphrygibus „ ſentirent, peculiaribus litteris reſponderunt. Conſulti „ ſæpe ſunt & Metropolitani ab Epiſcopis quibus præerant, „ & ab ipſis Metropolitanis Apoſtolicæ ſedis vicarii: Con„ ſulti etiam & aliquando Epiſcopi, qui præ ceteris do„ ctrinæ fama eminebant. Verum illi, etſi acceperant do„ cendi munus; tamen ſuarum intra diœceſum fines coer„ cebant ſeſe, neque alienis de cauſis, niſi rogati, quod „ perraro accidit, cognoſcebant. Contra vero Apoſtolicæ „ ſedis præcipua laus fuit, ut eam non unus quidam, aut „ alter Epiſcopus, ſed Chriſtianus orbis, quantus eſt, ma„ ximis negotiis dirimendis arbitrum adhibuerit, idque non „ tam ob ſedentis ſingulare meritum, quam ob ſedis au„ ctoritatem. Recurrebatur nimirum ad eum Præſulem, qui „ Petri vices gerebat, & eam Eccleſiam, quæ Traditionis „ Apoſtolicæ fonti proxima, immo & fons ipſe limpidiſſi„ mus habebatur. Hinc adeo ſi contingebat, eum, qui no„ minatim conſulebatur, prius e vivis tolli, quod ad illum „ uſque pervenire non quiviſſet conſultatio, reſcribebat pro „ ſuo jure, qui ejus in locum ſuffectus erat, illudque ſuum „ ducebat eſſe, quod ſuam ad ſedem pertineret ". Eſt illud etiam cum Thomaſſino *Diſſert.12. in Appendice ad Synodum Chalcedonenſem* num.2. advertendum, " Quod ipſæ, quæ a „ Syricio, & reliquis deinceps Pontificibus indubitatæ ſu„ perſunt nobis litteræ decretales ſingulis pene verbis non „ copiam quamdam ſingularem doctrinæ, ſed exertiſſimam „ poteſtatem, & juris dicendi principatum oſtentent, quo Pe„ trum Petrique ſucceſſores Chriſtus auxit ".

Ad iſta illud ſuperaddi poteſt, jus canonicum maxima

cx

ex parte Romanorum Pontificum decretis conflatum esse. Ex hisce vero omnibus unicuique perspectum esse arbitramur, consultationes, quæ a primis usque Ecclesiæ temporibus ad Romanum Pontificem ab universo orbe deferri consueverunt, evidentissimum argumentum esse illius supremæ legislativæ potestatis, quam Romanus Pontifex super universam Ecclesiam habet. Non solum ergo nimis confidenter, sed etiam contra certissima historiæ Ecclesiasticæ monumenta Febronius *De statu Ecclesiæ &c.* cap. 1. §. 7. num. 7. affirmat, Episcopos, qui successerunt Apostolis, " Usque „ ad Concilia generalia, imo per novem priora secula ... „ rexisse particulares Ecclesias, inconsulto Romano Ponti- „ fice ". Ad Concilia vero Africana, & ad quinque priora Orientalia, quam præter omnem veritatem appellet, quæ supra paucis animadvertimus, prorsus ostendunt.

§. VIII. De suprema legislativa potestate Romani Pontificis inde constat, quia judicio ejus omnes controversiæ de fide, & aliis, quæ spectant ad universitatem Ecclesiæ ubivis terrarum exurgentes, submitti debent.

Esse supremam ejus legislativam potestatem in illo ordine, de quo nunc loquimur, cujus judicio submitti debeant controversiæ graviores, quæ in Ecclesia oriantur, apud omnes certum esse debet. Illud ergo nunc est conficiendum a nobis, hujusmodi controversias judicio Romani Pontificis subdi debere. Hoc vero est, quod Eusebianis Julius opponit, eosque contra Pauli statuta, & Traditionem Patrum egisse arguit, quia, se inconsulto, Alexandrinum Præsulem ab Episcopali sede dejecissent (1). Innocentius I. ad Episcopos Concilii Carthaginensis epist. 29. num. 1. (2) " In requirendis „ Dei rebus (inquit) quas omni cum sollicitudine decet a „ Sacerdotibus, maxime a vero justoque, & catholico tra- „ ctari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, & „ Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigo- „ rem non minus nunc in consulendo, quam antea, quam „ pro-

(1) Vide locum in super. §. (2) Apud Constantium *in Collect. epist. Roman. Pont.*

„ pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum re„ ferendum approbastis esse judicium, scientes quid Apo„ stolicæ Sedi, quum omnes hoc loco positi ipsum sequi de„ sideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse Episcopatus, „ & tota auctoritas nominis hujus emersit “. Epist. 30. ad Concilium Milevitanum num. 2. “ Diligenter ergo, & con„ grue Apostolici consulitis honoris arcana (honoris, in„ quam, illius, quem propter illa, quæ sunt extrinsecus, „ sollicitudo manet omnium Ecclesiarum) super anxiis re„ bus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ „ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis „ esse servatam. Verum hæc missa facio. Qui id etiam actio„ ne firmastis, nisi scientes, quod per omnes provincias de „ Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. „ Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes „ fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, „ sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut „ nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum pos„ sit Ecclesiis omnibus in commune prodesse “. Sicuti ergo Liberius, ita etiam Innocentius ab antiqua traditione profluxisse tradit, ut causæ graviores ad Sedem Apostolicam deferrentur, ac propterea Milevitanos Patres sequutos esse dicit antiquæ regulæ formam, quam toto semper ab orbe secum servatam fuisse noverant. S. Leo in epistola ad Episcopos Africanos Mauritaniæ provinciæ (1): “ Si vero (ait) aliæ „ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiasticum, & ad „ concordiam pertineant Sacerdotum, illic sub timore Do„ mini volumus ventilentur, & de compendiis, atque com„ positis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea, quæ „ juxta Ecclesiasticum morem juste, & rationabiliter fuerint „ definita, mea quoque sententia roborentur “. Joannes VIII. epist. 120. (2) sub pœna excommunicationis Romanum Archiepiscopum una cum suis Episcopis, venire jubet ad

(1) Apud Cacciar ium 1. cap. 5. (2) Tom. 6. Concil. edit. Harduini par. 1. colum. 96.

Concilium, quod ideo celebrandum dicit, ut in eo *pro omnibus objectis rite examinatis proprio ore valeat respondere*. Epist. 36. ad Archiepiscopum Arelatensem (1): " Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum in Episcopos " causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis " duodecim Episcopis ventiletur, atque decidetur: sin autem decidi nequiverit; discussa veritate, ad nostrum judicium referatur ".

Hanc vero prærogativam Apostolicæ Sedis non solum Summi Pontifices ex ipsa traditione urgere nunquam destiterunt, sed etiam ab aliis Patribus a primis usque Ecclesiæ seculis acceptam habemus. Huc sane spectat S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 2. inquiens: " Ad hanc Ecclesiam " (scilicet Romanam) propter potiorem principalitatem ne" cesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt " undique Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, " conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio ". S. Hieronymus lib. 1. *Cont. Rufinum* num. 4. " Fidem suam (inquit) " quam vocat? eamne, qua Romana pollet Ecclesia? an " illam, quæ in Origenis voluminibus continetur "? Lib. 3. num. 14. eum ajentem suam fidem ab Episcopis Italiæ accepisse, ita refellit: " Et tamen miror, quomodo probave" rit Italia, quod Roma contempsit: Episcopi susceperint, " quod sedes Apostolica condemnavit ". S. Augustinus lib. 3. *Cont. Cresconium* num. 38. inde maxime credibile esse dicit, quod hæresis Orientalis hæresim Africanam sibi adjungere tentaverit, quia " Ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet ". *Serm.* 131. *De Verbis Evangelii Joannis*, alias 2. *De Verbis Apostoli*, num. 10. ita contra Pelagianos: " Jam enim de hac causa " duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam " rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando " finiatur error ". S. Prosper lib. *Cont. Collatorem* cap. 21. " Quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris ca-

" pita

(1) Cit. loco colum. 32.

„ pita Apoſtolico mucrone percuſſit: quando Pelagium ad „ proferendam in ſe ſuoſque ſententiam Palæſtinorum Epiſcoporum ſynodus coarctavit: quando Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozymus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum &c.“ Judicio ergo Romani Pontificis omnes controverſias, præcipue de fide, ubivis terrarum exurgentes ſubmitti debere, nullus dubitandi locus ſupereſt, ac propterea ex hoc quoque capite conſtat de ea ſuprema legislativa poteſtate, quam ſummus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet.

§. IX. Suprema legislativa poteſtas Romani Pontificis in proſcriptione hæreſum ſemper eluxit.

Si de iis agatur, quæ ad fidem ſpectant, quoniam quoad iſta nihil novi condi poteſt, legislativa poteſtas in eo poni debet, ut & definiatur, quid certa fide tenendum hac, vel illa in re ſit, & contrarius error damnetur. Hinc vero eſt, ut hæreſis publico judicio ea tantum auctoritate proſcribatur, quæ leges ferendi poteſtatem habet. Quapropter illa poteſtas, quæ quoad rem iſtam quaquaverſum extenditur, & cui omnes ubique gentes ſubjectæ ſunt, uti ſuprema, atque univerſalis haberi debet. Talis vero eſt, ſemperque fuit illa poteſtas, qua Romani Pontifices in proſcribendis hæreſibus uſi fuere. Nimis operoſum eſſet, hac de re modo diſtincte agere velle, ſingillatimque exponere, qua ſe ratione in proſcribendis hæreſibus, aliiſque etiam decernendis ab antiquo tempore Sedes Apoſtolica geſſerit. Ut ergo brevitati conſulamus, nunc ea tantum exſcribemus, quæ Thomaſſinus *Diſſertatione 4. in Synodum Gangrenſem* ex iis, quæ diſputavit, jure meritoque num.37. collegit: “ Quod ergo hodie quidam mirantur, (inquit) inaniter mirantur, in definiendis fidei quæſtionibus ſolam „ nunc fere conſuli, ſolam audiri Romanam Eccleſiam. „ Nihil novi, nihil inuſitati eſt in re iſta. Etſi enim ali„ quid variatum ſit in cortice, in receſſu tamen ſimillima „ erat vetus diſciplina. In cauſa paſchatis ſolus emicat Vi-

„ ctor: in causa baptismi hæreticorum solus Stephanus: „ in causa mœchorum solus Zephirinus: in causa Dionysii „ Alexandrini solus Dionysius Romanus: in causa Donati- „ starum solus præ ceteris Miltiades: in causa Athanasii „ solus Julius: in causa Arianæ hæreseos soli Romani Præ- „ sules Occidentem in fide retinent, Orientem ad fidem „ revocant: in causa Macedonii solus ante ceteros Dama- „ sus coruscat. Jovinianum unus Siricius confodit; ejus ju- „ dicium cum aliis sequitur Ambrosius. Origenem primus „ Anastasius toto orbe hæreticum persequitur; Theophilius „ aliique Petri cathedræ se hærere gestiunt. Pelagium præ „ conciliis Africanis Pontifices Romani Innocentius, Zozy- „ mus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus confecere, teste „ Augustino, & Prospero. Nestorium primus impetivit Cy- „ rillus, sed ille ipse Cœlestino prosternendum reservavit. „ Cœlestino Nestorium, Leoni Eutychetem damnanti Ephe- „ sina, & Chalcedonensis Synodi nihil aliud, quam subscri- „ bere se testificatæ sunt. Eodem ergo res redit, sive Ro- „ manam Ecclesiam aliæ præeuntem sequantur, sive ejus „ sequuturæ, & assensuræ fiducia præeant, nisi quod illud „ securius. Atque ut uno verbo absolvam, sive Ecclesia „ universalis, sive Synodus Œcumenica quum hæc illius re- „ præsentatio sit, afficiuntur, & reguntur eodem prorsus „ modo: utrique fidem suam propinat, utriusque vel con- „ sensionem tacitam, vel confessionem expressam confirmat „ sedes Apostolica; utrobique ut caput membris anteire „ censenda". Nihil sane hisce omnibus & efficacius ad id, quod volumus, evincendum, & ex Ecclesiastica historia magis certum.

§. X. Ecclesiæ Præsules uniti in cœtibus omnium, qui dari possint, celeberrimis, supremæ legislativæ potestati Romani Pontificis, sese omnino submiserunt.

Oecumenica Concilia sunt profecto cœtus illi celeberrimi omnium, qui dari possint. Ecclesiæ ergo Præsules in Conciliis Œcumenicis unitos supremæ legislativæ potestati Romani Pontificis se omnino submisisse, nunc est ostenden-

dum

dum a nobis. In Concilia tantum primorum Ecclesiæ seculorum inquiremus, ne nimis multis, quam par est, hac de re agamus. Patres Synodi I. Ephesinæ Actione I. se damnare Nestorium protestantur. (1) " Coactos per sacros canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi ". Et in *Relatione* ad Imperatores (2) inquiunt: " Hujus itaque rei causa ipsum quidem (Nestorium) a sacerdotio, perversæque doctrinæ cathedra semovimus, canoniceque exauctoravimus; & laudavimus Cœlestinum sanctissimum Deoque dilectissimum magnæ Romæ Episcopum, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorii dogmata condemnarat, nosque in ferenda contra ipsum sententia anteverterat, prospiciens securitati Ecclesiarum, & piæ salutarique fidei a sanctis Apostolis, Evangelistis, sanctisque Patribus nobis traditæ". Actione 2. epistola Cœlestini ad Synodum Ephesinam lecta fuit, in cujus fine hæc habentur (3): " Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres, & consacerdotes nostros, unanimes nobis, & probatissimos viros, Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum presbyterum nostrum, qui iis, quæ aguntur, intersint, & quæ a nobis antea statuta sunt, exsequantur ". Ad quæ sane " Omnes reverentissimi Episcopi simul acclamaverunt: Hoc justum judicium. " Tunc Projectus legatus Apostolicæ sedis (4): Litterarum (inquit) sancti, & venerandi Papæ Cœlestini formam vestra sanctitas consideret: qui sanctitatem vestram hortatus est, non quasi ignorantem docens, sed tamquam gnaram commonefaciens, ut ea, quæ dudum ante definire, & nunc in memoriam revocare dignatus est ... ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubeatis ". Quod ergo erat a Cœlestino jam præfinitum Ephesini Patres exequutioni mandare debebant.

At quod magis hac in re advertatur oportet, illud sane est, Legatos Apostolicæ sedis a Synodi Patribus petiisse, ut

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 1422. (2) Eodem Tomo colum. 1443. (3) Colum. 1471. (4) Eadem colum.

ut sibi patefierent, quæ in sancta Synodo ante adventum eorum acta forent: (1) " Quo (uti dixerunt) juxta Beati " Papæ nostri, præsentisque hujus sancti cœtus sententiam, " nos quoque confirmemus ". *Justa* eos *ratione* permotos de Nestorii depositione intelligere quæsivisse, Theodotus Ancyræ Episcopus respondit, atque petiit, ut in acta hoc quoque referretur, quod illis satisfactum esset. Actione 3. Ephesinis Patribus simul considentibus juxta ea, quæ coram se, & aliis legatis Apostolicæ sedis lecta fuerant, Philippus presbyter, & legatus Apostolicæ sedis (2) " Omnia " canonice, & ex ecclesiastica disciplina judicata esse " pronuntiavit, atque petiit, ut quæ in Synodo lecta erant, rursus coram se, & aliis legatis legerentur, " Ut (sicuti in" quit) sequentes formulam sanctissimi Papæ Cœlestini, qui " hanc curam nobis commisit, & vestræ etiam sanctitatis, " judicia vestra confirmare possimus". Huic quoque petitioni Patres annuerunt, ac deinde, sicut antea fecerant, protestati sunt, se coactos per sacros canones, & epistolam sanctissimi Patris Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi ad lugubrem hanc contra Nestorium sententiam venisse (3). Tunc vero legati Apostolicæ Sedis suam sententiam in Nestorium hac ratione tulerunt (4): " Firmum ergo est (inquit Phi" lippus presbyter) juxta omnium Ecclesiarum decretum ... " quod in ipsum pronuntiatum est ... Quamobrem intelli" gat Nestorius, se a communione sacerdotii Ecclesiæ Ca" tholicæ alienum esse ". Arcadius Episcopus sequutus, uti inquit, formam Cœlestini sanctissimi Papæ Apostolicæ Sedis, & sanctæ synodi decreta ita pronuntiavit (5): " Cognoscat " Nestorius se Episcopali dignitate exutum, atque a tota " Ecclesia, & communione omnium sacerdotum alienum " esse ". Demum Projectus Episcopus tertius Sedis Apostolicæ legatus hujusmodi judicium in Nestorium tulit (6): " Ego quoque auctoritate legationis Apostolicæ Sedis, una " cum fratribus sententiæ exsequutor existens, definio me" mora-

(1) Eodem tomo colum. 1474. (2) Colum. 1475. (3) Col. 1478.
(4) Eadem colum. (5) Colum. 1479. (6) Eadem colum.

„ moratum Nestorium ... a gradu Episcopalis honoris, & „ ab omnium præterea sacerdotum orthodoxorum commu„ nione remotum esse “. Post hæc vero Cyrillus, quoniam legati Apostolicæ Sedis sententiæ sanctæ synodi contra Nestorium adstipulati fuerant, consequens esse inquit (1): „ Ut eorum, quæ hesterno, hodiernoque die acta sunt, „ commentarii superioribus actis adtexantur, ipsorumque „ pietati offerantur; quo propria obsignatione, ut moris „ est, planam faciant, ac manifestam cum omnibus nobis „ canonicam assensionem “. Tunc vero legati Apostolicæ Sedis sequuti quod in more erat, suam subscriptionem omnibus actis apposuerunt (2). Hæc ex Synodo Ephesina in rem nostram delibasse sufficiat, ad Chalcedonensem nunc veniamus.

S. Leo epistola data ad Patres Synodi Chalcedonensis Nicææ primum congregatos, de eo illos monet, quod fide teneri debet, in sua ad Flavianum epistola jam definitum esse, ac propterea omnem disputationi locum jam sublatum (3): “ Nunc (inquit) in Vicariis meis adsum, & jam „ dudum in fidei catholicæ prædicatione non desum: ut „ qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione „ credamus, non possitis dubitare, quid capiamus. Unde, „ fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi con„ tra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas „ conquiescat: nec liceat defendi, quod non licet credi: „ quum secundum Evangelicas auctoritates, secundum pro„ pheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissime, & „ lucidissime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavia„ num Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de „ sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia, „ & sincera confessio “. Hæc S. Leo ad Concilii Patres. Qua ergo ii ratione in hac re sese gesserint, nunc videamus. Actione 2. rogati Patres a Judicibus, & Senatu, ut suam

(1) Colum.1479. (2) Colum.1482. (3) Juxta editionem Cacciarii epist.73. cap.1.

suam fidem eà de re, de qua agebatur, proferrent (1): „ Cecropius reverentissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit: emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, & super „ iis forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanæ „ urbis, & sequimur eum, & epistolæ omnes subscribimus. „ Reverentissimi Episcopi clamaverunt: ista omnes dicimus; „ sufficiunt quæ exposita sunt: alteram expositionem non „ licet fieri “. Symbolo autem Nicæno postea lecto coram eis clamaverunt (2): “ Omnes ita credimus: Papa Leo sic „ credit: Cyrillus ita credidit: Papa Leo ita interpretatus „ est “. Post lectionem vero epistolæ S. Leonis ad Flavianum in hunc modum (3): “ Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum „ fides. Omnes ita credimus: orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita „ loquutus est “. Et in Relatione ad Pulcheriam Augustam asseruerunt, quod Christus (4) “ Ostendit in Leone mirabili „ veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita & isto utitur „ assertore “. Actione 4. quum Episcopi Ægyptii epistolæ Leonis subscribere detrectarent, illud Patres semper clamare perstiterunt (5): *Subscribant epistolæ Leonis, & Eutycheti anathema dicant*. Demum, ut alia omittamus, quæ tum in sua Adloquutione ad Marcianum, tum in Relatione ad Leonem Papam Concilii Patres habuerunt, attendi debent: ita ergo in illa (6): “ Unde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ „ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia „ veritatis accingens, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans, omnem ad „ Deum sensum intelligentiamque perducat “. Hac vero ratione in Relatione ad Leonem Papam (7): Tu “ Vocis „ Beati Petri omnibus constitutus interpres, ejus fidei beatificationem super omnes adducens. Unde & nos quidem „ ut

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 286. (2) Colum. 287. (3) Colum. 306. (4) Colum. 381. (5) Colum. 415. & 418. (6) Colum. 643. (7) Colum. 655.

„ ut inchoatore bonorum, te ad utilitatem utentes, Ecclesiæ filiis hæreditatem sortemque veritatis ostendimus ... Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenent ordinem, benevolentiam præferens “. In fine vero Relationis hæc superaddunt: “ Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium; & sicuti nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat “.

Synodi VI. Actione 4. lecta fuit epistola Agathonis Papæ ad Imperatores, in qua inter alia hæc habentur (1): „ Qui (Petrus) & spiritales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cujus annuente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi doctrinam amplexi “. Patres Synodi Romanæ 125. Episcoporum in epistola ad Imperatores dicunt ad eos se misisse legatos, qui suam Apostolicæ fidei confessionem manifestarent, de qua ut certa & immutabili compendiosa definitione proferrent (2). Conformiter ad hæc Patres Synodi VI. in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem ita habuerunt (3): “ Proinde inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi patris nostri, & summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi 125. Patrum concordantes, unum de S. Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum etiam incarnatum, prædicamus in duabus naturis perfectis indivise, inconfuse laudandum ... Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & sedis successorem habuimus fautorem, & Divini sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Con-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1079. (2) Col. 1123.
(3) Colum. 1419.

„ Confessionem tibi a Deo scriptam Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit charta: & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur". In eamdem rem ita Constantinus in epistola ad Leonem successorem Agathonis (1): „ Ac veluti ipsum Principem Apostolici chori, primæque cathedræ antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, verbaque hæc per eas litteras Christo facientem: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Nam ipsum totum Christum nobis sacræ ejus litteræ disserendo exprimebant; quas omnes libentibus animis sincereque suscepimus". Leo autem Summus Pontifex in Relatione missa ad Constantinum Imperatorem his verbis confirmat, quod VI. Synodus decrevit (2): " Et quia definitionem rectæ fidei, ut dictum est, plenissime (sancta Synodus) prædicavit, quam & Apostolica sedes Beati Petri Apostoli, cujus, licet impares, ministerio fungimur, veneranter suscepit; idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, adeptis firmitatem".

Pauca nunc ultimo loco ex Synodo VII. superaddamus. Quemadmodum in hujus Synodi Actione 2. legitur, Hadrianus Papa in epistola ad Augustos Constantinum, & Irenem, antequam decernat, quid de sacris Imaginibus sentiendum tenendumque sit, affirmat, nomen eorum in orbe toto cum summa celebritate divulgandum (3), " Magis autem si orthodoxæ fidei sequentes traditionem Ecclesiæ B. Petri Apostolorum Principis amplexi fueritis censuram: & sicut antiquitus vestri prædecessores sancti Imperatores egerunt; ita & vos eam honorifice venerantes, ejus Vicarium ex intimo dilexeritis corde; potiusque vestrum

„ a Deo

(1) Tom.3. colum.1462. (2) Colum.1474. (3) Tom.4. Codcil. edit. Harduini colum.79.

„ a Deo concessum imperium eorum sequutum fuerit orthodoxam, secundum Sanctam Romanam Ecclesiam nostram, fidem ". Idem summus Pontifex in epistola ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, quid facere debeat, eidem præscribit, si Ecclesiæ adhærere cupit, & Apostolicæ Sedi (1), " Quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei, „ sacram, & orthodoxam formam incorrupte, ac incontaminate, ex profundo cordis, & sinceritate mentis custodire ". Quum vero Legati Apostolicæ Sedis Patres Synodi VII. rogassent, utrum has Hadriani litteras susciperent; Patrum una vox fuit (2): " Sequimur, & suscipimus, & „ admittimus "; atque singuli conformiter ad hujusmodi confessionem subscripserunt. Actione 4. definitioni fidei factæ a Patribus omnium primi Petrus Archipresbyter, & Petrus Presbyter, qui in Synodo locum Hadriani tenebant, in hunc modum subscripsere (3): " Approbans, & consentiens subscripsi ". Ceteri autem omnes Synodi Præsules, ne Tarasio quidem Patriarcha Constantinopolitano excepto, in subscriptione consensionem quidem suam expresserunt, non vero approbationem. Tandem est advertendum Synodi VIII. Patres, finita Synodo, in hunc modum ad Hadrianum scripsisse (4): " Sanctissimi enim sanctitatis vestræ legati, cœlesti sapientia pleni, in Divinarum litterarum plateis liberam vocem dederunt .... Quæcumque enim „ Beatus vir Dei, Papa Nicolaus decrevit, & tua summa „ coryphæa paternitas per Synodum confirmavit, illa in hac „ Synodo promulgarunt, & exsequuti sunt ".

Modo itaque paucis, quod volumus. Patres in Conciliis Œcumenicis congregati epistolis Romanorum Pontificum se coactos dicunt ad ferendam eam sententiam, quam tulerunt: ad illos vero ita congregatos dum Romanus Pontifex suos legatos mittit, qui intersint omnibus, quæ aguntur, & exsequantur, quæ ipse Pontifex jam statuit, unanimi voce clamant: hoc judicium justum esse:

 requi-

(1) Cit. Tomo colum. 102. (2) Colum. 103. (3) Colum. 226.
(4) Colum. 1110.

requisiti autem a legatis Apostolicæ Sedis, ut sibi manifestent, quæ, antequam ipsi advenirent, in Concilio decreverant, ut illa a se confirmarentur; justa eos ad hoc permoveri ratione Patres respondent, & quæ decreverunt, subscriptione legatorum confirmari contendunt: item: pro forma eorum, quæ a se definienda sunt, Romani Præsulis epistolam habent, eumque tantum se sequi, atque solum epistolæ ejus subscribere profitentur, quia in ea Patrum Apostolorumque fides continetur, & Petrus per summum Pontificem loquitur, indeque a Romano Pontifice petunt, ut quæ ipsi judicia tulerunt, suo ille decreto honorare dignetur, eaque summus Pontifex B. Petri auctoritate confirmat: rursus: non solum sequuntur, suscipiunt, atque admittunt, quod a Romanis Pontificibus sibi præscribitur, sed etiam approbari a legatis Apostolicæ Sedis, quæ ipsi decreverunt, ultro consentiunt, eaque illos exsequutos dicunt, quæ a summo Pontifice jam constituta erant. Hæc autem omnia si non sunt argumentum evidentissimum ejus supremæ legislativæ potestatis, quam Patres congregati in Conciliis Œcumenicis in summo Pontifice agnoverunt, non video sane, quænam tandem esse possint.

LI.

LIBER XX.

DE ECCLESIÆ REGIMINE.

Regimen ſane eſt illud, quod ad poteſtatem legiſlativam neceſſario requiritur: nullus enim, uti nemo non videt, legiſlativæ poteſtati locus eſſe poteſt, ſemel ac non ſit regimini. Ex hoc autem ſit, ut qualis eſt legiſlativa poteſtas, talis etiam ratio regiminis habeatur. Suprema ergo cum legiſlativa poteſtate illud regimen conjungatur oportet, quod ſupremum ſit, nullumque aliud ſupra ſe habeat, cui ſubeſſe debeat; nullum, inquam, aliud humanum, & in eo genere, in quo ipſum eſt ſummum, atque ſupremum. De poteſtate legiſlativa ſuprema, quam Summus Pontifex ſupra univerſam Eccleſiam habet, in ſuperiori libro egimus: de ea ergo ratione regiminis, quæ cum hujuſmodi legiſlativa poteſtate neceſſario conjungitur, hoc in libro diſſeremus. Quoniam vero regimen in Democraticum, Ariſtocraticum, atque Monarchicum dividi vulgo ſolet, & ſicuti Bodinus *De Republica* lib. 2. cap. 1. recte monet, rerumpublicarum ſpecies tribus pauciores eſſe non poſſunt, aliæque omnes ſint quiddam compoſitum ex hiſce tribus; ideo circa regimen Democraticum, Ariſtocraticum, & Monarchicum tota noſtra diſputatio verſabitur. In 1. capite Eccleſiæ regimen non eſſe Democraticum, in 2. neque etiam Ariſtocraticum eſſe, aut dici poſſe oſtendemus, in 3. de Monarchia in ſe ſpectata diſputabimus, & quæ illi neceſſario convenire debeant, quæ autem nullo modo poſſint, palam faciemus, in 4. Eccleſiæ regimen perfecte Monarchicum eſſe demonſtrabimus.

CA-

CAPUT I.

DE DEMOCRATIA, QUATENUS CUM ECCLESIÆ REGIMINE EA PUGNAT.

§. I. Democratiæ notio traditur.

Bodinus *De Republica* lib. 2. cap. 1. dicit haberi « Democratiam, quum omnes, aut major pars omnium civium simul collecta summum reipublicæ imperium habet ». Quapropter in Democratico regimine, omnes cives, quotquot tandem ii sint, atque cujusvis conditionis, pari jure solent esse participes potestatis, & summorum honorum, ac ita sese regunt, & moderantur, ut vis quidem imperii, & majestas penes populum maneat; a paucis tamen a populo, & ex populo electis gerantur res omnes, quæ spectant ad ipsam rationem regiminis. In populari itaque republica, quam Δημοκρατίαν Græci vocant, magistratus a plebe constituuntur, jubenturque leges, ad populum appellatur a sententia consulum, atque rectorum, & si ipsi populo videatur, qui magistratum in republica gerunt, non solum hujusmodi dignitate privari, sed etiam puniri possunt. Tria ergo sunt, quæ forma democratici regiminis potissimum complectitur: 1. ut a populo præsides constituantur: 2. populi sit, ferre, atque jubere leges: 3. ut populus judicare possit de iis, qui in republica aliquam præfecturam habent. Hæc vero sunt, quæ in Christiana republica populo nullo modo convenire posse ostendemus.

§. II. Potestas constituendorum præsulum non est penes populum in Christiana republica.

Hujus rei tum negativum, tum positivum, ut vocant, argumentum habemus. Si enim Antistitum constituendorum populo facta fuisset a Christo potestas; id nobis ex verbo Dei vel scripto, vel tradito compertum esse deberet: nulla enim alia ratio supereft, qua cognoscamus, quæ Christus constituit. at non solum ex neutro capite hanc potestatem compertam habemus, sed etiam ex utroque certissime novimus, eam popu-

populo convenire nullo modo posse. Petrum namque supremum totius Ecclesiæ visibile caput a Jesu Christo fuisse constitutum, ac propterea supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam recepisse, auctoritate Divini verbi tum scripti, tum traditi est jam confectum a nobis (1), atque illud etiam eadem auctoritate Divini verbi ostendimus, cœtum Fidelium nullo modo haberi posse uti subjectum ejus jurisdictionis, qua Ecclesia regitur, atque gubernatur (2). Illius vero auctoritatis, quam Petrus a Jesu Christo recepit, Romanum Pontificem hæredem esse, atque habere eam omnem potestatem, & jurisdictionem, quam Petrus ad regendam Ecclesiam universam habuit, quæ libro superiori cap. 2. & 3. disseruimus, neminem dubitare sinunt. Apostolos deinde, penes quos etiam regimen Ecclesiæ fuit, non cœtus Fidelium, sed Christus elegit: Christus sane dedit illis omnem potestatem, quam super Ecclesiam habuerunt: Christus fuit ille, qui eisdem præcepit, ut euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ, atque promisit, ut in cœlis soluta, aut ligata forent, quæ ipsi solvissent, aut ligassent in terris (3). Apostolorum vero locum nunc in Ecclesia Episcopi tenent, ipsique etiam legislativam potestatem supra commissum sibi gregem habent (4). Lino autem *Episcopatum administranda Ecclesia* S. Petrum tradidisse, S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 3. tradit. Tertullianus autem & Ecclesiæ Smyrnæorum a Joanne Polycarpum præfectum fuisse in lib. *De Præscript. Hæreticorum* cap. 32. affirmat, & ceteras quoque Ecclesias exhibere posse, *quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant*. Ex his vero omnibus nemini non constare debet, ex Christi institutione certissime colligi, non esse in Christiana republica penes populum potestatem constituendorum Præsulum.

§. III.

(1) Lib. 18. cap. 1. & 2. (2) Eodem lib. cap. 3. & 4. (3) *Luc.* cap. 6. v 13., *Matth.* cap. 28. v. 18. & seq., & cap 18. v. 18. Vide etiam quæ de hoc doctrinæ capite disseruimus lib. 18. cap. 2. §. 6. & seq.
(4) Lib 19. cap. 3. §. 4.

§. III. Neque etiam ferre, aut jubere leges, quibus Ecclesia regatur, ad populum spectat.

Quæ Christus *Matth.* cap. 16. v. 19. & seq. Petro promisit, *Lucæ* cap. 22. v. 31. & seq. confirmavit, & *Joannis* cap. 21. v. 15. & seq. contulit, cum suprema legislativa potestate necessariam connexionem habent, atque Petrum suprema legislativa potestate super universam Ecclesiam præditum fuisse, evidenter ostendunt (1). Etiam Apostolis potestatem legislativam non defuisse, eosdemque una cum vi coactiva sæpius usos illa fuisse, ex Sacris Litteris perspectum habemus (2). Quemadmodum vero Summus Pontifex una cum ceteris omnibus, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant, est etiam hæres supremæ illius legislativæ potestatis, quam Petrus a Jesu Christo recepit; ita etiam Episcopi successores Apostolorum quoad Episcopatum una cum aliis, quæ pertinent ad regimen singularis ovilis unicuique commissi, sunt hæredes illius legislativæ potestatis, cujus Apostolos a Christo participes factos fuisse novimus (3). Hæc autem cum eo jure omnino pugnant, quod in populo esse ferendi atque jubendi leges, Democratici falso contendunt. Quid? Nonne ejus, quod nunc contra eos volumus, evidentissimum argumentum expressum habemus in omnibus epistolis Sacrorum Scriptorum, atque etiam in Actibus Apostolicis? In illis enim omnibus Fidelibus præcipitur, quid in tota suæ vitæ ratione servare, & a quo abstinere debeant, in istis autem non semel occurrit, quomodo Apostoli Christianam plebem coegerint ad observationem illarum legum, quas ipsi sanciverant (4). Deinde, jubente plebe, ab Ecclesiæ Præsidibus quod ad religionem, ritus, atque disciplinam spectaret, aliquando fuisse constitutum, vel quod ipsi per se jam sanciverant, jussu plebis omnino abrogatum, nulla sane Ecclesiasticæ historiæ monumenta produnt; contra vero omnia ostendunt, & nullum jus in populo esse de controversiis Ecclesiasticis sententiam dicendi, & tum

(1) Lib. 18. cap. 2. §. 3. & seq. (2) Eodem cap. §. 6. & seq.
(3) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq. (4) Legatur cap. 15. *Actuum Apostolor.*

& tum Romanos Pontifices, tum Patres in Conciliis congregatos usque modo statuisse, atque etiam sub gravissimis pœnis Fidelibus servanda præcepisse, quæ ad Religionem aliquo modo referrentur. Nihil ergo magis repugnat, quam jus ferendi, & jubendi leges in populo inesse.

§. IV. Repugnat quoque, ut populus eos, qui Ecclesiæ præsunt, suo judicio subjectos habeat.

Populum sub nomine gregis in Sacris Litteris designatum legimus: grex autem neque suo pastori legem dicere potest, neque auctoritatem ejus contemnere, aut dominium a se excutere, sed ejusdem præceptis subesse, atque omnino obtemperare debet. Et re quidem vera si ea populus potestate potiretur, qua Ecclesiæ Præsules suo judicio subjicere posset, illam vel a se, vel ab alio haberet: at neque a se, neque ab alio hujusmodi potestatem habet: non quidem a se, quia hujusmodi potestas quum sit spiritualis, quemadmodum etiam Adversarii nostri concedunt (1), ab aliquo naturali jure proficisci non potest: eam igitur a se habere non potest. Si autem ab alio habet, a Deo illam accepisse debuit, quia uti dicebamus, est Divina, atque spiritualis. At vero undenam tandem vel ex Sacris Litteris, vel ex Traditione colligi potest, id juris plebi collatum a Jesu Christo fuisse? Ex utroque Divino verbo tum scripto, tum tradito illud profecto novimus, plebem ab Ecclesiæ Præsulibus pascendam, regendamque esse, plebem autem suo judicio Præsules subjicere posse, non solum non novimus, sed etiam id nullo modo fieri posse novimus. Hinc vero est, ut plures Episcopos auctoritate Summorum Pontificum, atque Conciliorum depositos fuisse, ex Ecclesiastica Historia compertum habeamus, idem vero aliquando factum etiam auctoritate plebis a nemine traditum accepimus. Subesse ergo Pastoribus, eorumque obtemperare præceptis, hoc sane est, quod in Christiana republica plebi convenit, nullo autem modo Pastores suo judicio subjicere.

(1) Vide Mamachium *Origin. & Antiquit. Christian.* lib. 4. part. altera cap. 1. §. 2.

§. V. Nullum regimen eo absurdius excogitari, aut fingi potest, quod Democratici in Ecclesia esse constituunt.

Quasi Pastorum, atque Præsulum, dum de republica Christiana agitur, nulla mentio in Sacris Litteris, atque in Traditione haberetur, & in utroque Divino verbo præceptum non esset Pastoribus quidem, ut suo gregi præsiderent, illumque regerent, & moderarentur, gregi autem ut Pastoribus subesset; Bohemerus in *Jure Ecclesiast. Protestantium* lib. 1. tit. 33. §. 9. cum magna confidentia pronuntiat, nomine Ecclesiæ non intelligi quamdam *societatem inæqualem*, sed quamcumque multitudinem unitam. Hujus autem rei hanc præclaram rationem affert, quia societas inæqualis certo quodam loco sub imperio ejus, qui præest, continetur, &, hac compage dissoluta, tollitur societas: « Ecclesiæ autem (inquit) » diversa est ratio, prout in sacris sumitur, quæ denotat » multitudinem Fidelium etiam dispersorum, inter se tamen » fide in Christum unitorum, licet congregari non possint «. Unde superaddit: « Sicuti ergo quum Fideles dispersi sunt, » facultate coeundi destituti, nullo modo imperium inter se » exercent, aut exercere possunt; ita quando facultas coeundii iis datur, statum alium non induunt, sed quem anteà » jam habuere, retinent, nec quidam fiunt imperantes, » quidam parentes «. Fideles ergo omnes sub Christo supremo capite, invisibili tamen, inter se uniuntur; verum etiam visibile caput habent (1), sub quo uniantur: habent etiam suos Præsules, quibus proxime subjecti esse debent, sive plures inter se uniti, sive ab invicem dispersi sint, & quemadmodum plebs dispersa nihil eorum attingere potest, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant, ita neque etiam simul unita: semper tamen sive unita, sive dispersa sit, & suos singulares Præsules habet, & unum supremum totius Ecclesiæ caput, quo fit, ut in unitate fidei, quamvis ubique gentium diffusa, contineatur.

At vero nunc paucis ostendamus, Democraticos fingere in Ecclesia tale regimen esse, quod in se tantam deordinatio-

(1) Lib. 17. cap. 1.

nationem habeat, ut nulla major excogitari possit. Democraticum regimen longe deterioris esse conditionis, quam sit Aristocraticum, & multo magis, quam Monarchicum, etiam Ethnici, qui de re politica scripserunt, agnovere (1), atque apud omnes in confesso est. Hujus rei rationem affert Sanctus Ambrosius in *Hexameron* lib. 5. cap. 21. num. 68., quia imperita multitudo " Non merita virtutis expendit, nec pu- „ blicæ utilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat „ incerto ". Et S. Hieronymus *Commentar. in Matth.* lib. 3. cap. 22. " Semper turba mobilis est, (inquit) nec in proposi- „ ta voluntate persistens: atque in morem fluctuum, diver- „ sorum ventorum impetu huc illucque trahitur ". Quapropter aut universam Ecclesiam tot constare Democratiis, quot sunt singulares Ecclesiæ, singularesque populorum cœtus, Democratici volunt, aut universam Ecclesiam una tantum Democratia constare, quæ omnes populos quaquaversum diffusos complectatur: si prius velint; id sane volunt, quo ad confusionem perturbationemque omnium maximam inducendam nihil efficacius esse potest. Tunc enim Ecclesia prope infinitis Democratiis constabit, quarum unaquæque a cæca multitudine populi pendebit, & se singulariter regere poterit, prout eidem cœcæ multitudini visum fuerit. Si alterum; idem profecto consequitur. Nam si Democratia in se spectata, quæque unam tantum gentem complectitur, quia nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto, atque in morem fluctuum, diversorum ventorum impetu huc illucque trahitur, ceteris regiminibus est longe deterior; quid de ea dicendum Democratia erit, quam constituant omnes gentes, quæ institutione, moribus, atque aliis omnibus inter se differunt, seque nullo modo noverunt, nullam inter se communicationem habent, atque earum plures etiam ipsam humanitatem exuisse ob vitæ feritatem videntur? Deinde nonne regimen Democraticum est penes populum, dum ad ea decernenda, quæ ad rempublicam spectant, in unum simul congregatur? Nam in Democratia regimen penes

(1) Vide Bellarminum lib. 1. *De Rom. Pont.* cap. 6.

penes unumquemque e populo esse, nemo unquam dixerit. Semel ac ergo ponatur, Democraticum regimen Christianæ reipublicæ spectare ad omnes gentes, atque nationes, oportebit sane, ut aliqui ex omnibus gentibus, & nationibus, qui ad repræsentandam populi multitudinem ubique dispersam sufficiant, in unum simul conveniant. Id autem factum ne aliquando fuit? sperare ne quispiam potest, ut quandoque fiat? Nimis ergo perspicuum undequaque est, nullum regimen eo absurdius excogitari, aut fingi posse, quod Democratici in Ecclesia esse constituunt.

§. VI. Auctoritate Divinarum Scripturarum Democratici omnino abutuntur.

Hoc in §. & in sequenti non solum Blondellum in *Dissertatione De Jure plebis in regimine Ecclesiastico* (1), & Bohemerum in *Jure Ecclesiastico Protestantium* lib. 1. tit. 33. §. 9. & seqq., suorum Lutheranorum causam defendentes refutabimus, sed etiam Auctores *Hexaplorum*. Quæ isti ad 1. partem damnatæ 90. propositionis Quesnelli eo fine in medium adducunt, ut evincant jurisdictionem collatam a Jesu Christo fuisse Ecclesiæ, non vero ministris illius, jam explicata sunt a nobis (2). Quoniam vero in defensione 2. partis ejusdem propositionis ulterius progrediuntur, atque Democraticis sese adjungunt, quum expresse tueantur, *potestatem ferendi censuras secundum proprietatem residere in toto corpore Ecclesiæ*, atque Ecclesiæ Pastores ea uti debere cum consensu saltem præsumpto totius corporis Ecclesiæ, atque ita ex uno errore in alterum graviorem prolabantur, sicut contingere illis solet, quemadmodum ipsi faciunt, qui Apologias contexere instituerunt in defensionem earum propositionum, quas Ecclesia damnavit; ideo etiam quoad istam partem, eosdem a nobis refutandos esse censuimus.

Blondellus Christi Domini præceptum, quo *Matth.* cap. 18. v. 16. & seq. statuitur, ut si correptus coram duobus, vel

(1) Hæc Dissertatio superaddita legitur Hugonis Grotii libris *De Imperio summarum Potestatum circa Sacra* in edit. Parisien. an. 1648.

(2) Lib. 18. cap. 4. §. 3. & seqq.

vel tribus non resipuerit, Ecclesiæ denuntietur, primo loco nobis opponit. Secundo loco illud urget, uti *Actorum* cap. 1. legitur, consensione Fidelium Mathiam in Collegium Apostolorum adlectum fuisse, eademque ratione peractam electionem septem Diaconorum *Actorum* cap. 6. Hæc duo etiam Bohemerus in citato loco §. 11. in medium adducit. Ad contentionem Antiochiæ ortam de observatione legalium deinde Blondellus appellat, postquam animadvertit, uti *Actorum* cap. 13. legimus, ab universo cœtu Fidelium Antiochiæ segregatum Paulum, & Barnabam in opus, ad quod Spiritus Domini assumpserat eos. Ut ergo contentioni, quæ Antiochiæ orta erat de observatione legalium, finis imponeretur, a cœtu Fidelium statutum fuisse monet, sicuti *Actorum* cap. 15. traditum habemus, ut Paulus, & Barnabas una cum aliis Hierusalem ascenderent, atque rem istam cum Apostolis, & Presbyteris communicarent. Ibi ergo, ea mature discussa (1): " Placuit Apostolis, & Senioribus cum omni „ Ecclesia eligere viros ex eis &c. " Postremo, ut multa paucis complectamur, plura sane loca tum ex Actibus Apostolicis, tum ex epistolis D. Pauli Blondellus colligit, in quibus dicitur, *Fratres* suscepisse, & deduxisse Apostolos, & in administratione Ecclesiæ eis aliquo adjumento fuisse, & Paulum plures suas epistolas ad Ecclesias dedisse observat. Idem vero quod Blondellus etiam Bohemerus ex istis deducit §. 11. & 12., hoc est, penes omnes tempore Apostolorum regimen Ecclesiæ fuisse, atque §. 18. superaddit, quod " Fraternita- „ tis appellatio per plura secula viguit, ut ut tandem hac „ astutia cleri omissa, & loco ejus filiorum nomen substitu- „ tum sit, quod subjectionem magis involvit ". Ad hæc idem Bohemerus §. 11. & 13. superaddit, regnum Christi non fuisse de hoc mundo: eum præcepisse suis Discipulis, ne ceteris dominarentur, quia ad ministrandum, non vero imperandum mittebantur (2), ac propterea tum Petrum (3), tum Paulum (4) omne dominium a Presbyteris amovisse.

Apo-

(1) Eodem cap. v. 22. (2) *Matth.* cap. 20. v. 26. & seq., *Lucæ* cap. 22. v. 26 (3) 1. Epist. cap. 5. v. 3. (4) *Corinth.* cap. 1. v. 23.

Apostolus, inquiunt auctores *Hexaplorum*, excommunicavit quidem incestuosum Corinthium, at consentientibus Corinthiis in nomine Jesu Christi congregatis, simulque cum ipso Paulo Jesu Christi potestatem habentibus. Eis ergo Paulus spiritu, quoniam præsentia non poterat, in excommunicatione hujus Corinthii sese conjunxit: inquit enim Paulus 1. *Corinth.* cap. 5. v. 4. & seq. " In nomine Domini nostri „ Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi satanæ „ in interitum carnis ". In hoc ergo judicio Paulus sese non disjungit a Pastoribus, quibus judicandi potestatem his verbis tribuit v. 12. " Nonne de his, qui intus sunt, vos judi„ catis "? sese non separat a ceteris Fidelibus, quia in latum judicium ipsi quoque consentire debebant, indeque eos v. 13. ita monet: " Auferte malum ex vobis ipsis ".

Nunc ergo ad hæc omnia quam paucioribus fieri poterit. Ad ea ergo, quæ Blondellus tum ex præcepto Christi Domini, quod *Matth.* cap. 18. v. 16. & seq. habemus, tum ex electione Diaconorum, quam *Actorum* cap. 16. peractam legimus, non est, cur aliqua illis superaddamus, quæ lib. 18. cap. 3. §. 9. disseruimus. Quod enim nos ibi animadvertimus, multa illa loca Patrum confirmant, quæ in explicatione Dominici præcepti Blondellus collegit.

In electione vero Mathiæ S. Petrus judicium multitudini permisit, sicuti inquit S. Joannes Chrysostomus Homil. 3. in *Acta Apostolorum* num. 2. " Simul eos, qui eligebantur, „ venerandos reddens, seque liberans ab invidia, quæ subori„ ri poterat... Quid ergo (prosequitur S. Doctor) an Petrum „ ipsum eligere non licebat? Licebat utique: sed ne videre„ tur ad gratiam facere, abstinet. Alioquin vero nondum „ spiritus particeps erat ". Et re quidem vera quomodo Petrus assumere Mathiam in Collegium Apostolorum per se non poterat, si super eum Ecclesiam ædificandam Christus prædixerat? si ipsi datum fuerat, ut suos fratres in fide confirmaret? si ei cura jam demandata erat pascendi agnos, & oves omnes?

Acto-

Actorum cap. 13. v. 1. & seqq. dicitur, iis, qui erant in Antiochena Ecclesia, Prophetis, atque Doctoribus, inter quos Barnabas, Simon, Lucius Cyrenensis, Manahen, & Saulus numerabantur, Spiritum Sanctum præcepisse, ut sibi Saulum, & Barnabam segregarent in opus, ad quos assumpserat eos. Quod quidem ipsi, præmisso jejunio, atque oratione, præstiterunt. Hac tota in re nihil sane habetur, quod Democraticis adjumento esse possit. Electio, Spiritu Sancto præcipiente, fit, & non quidem a plebe, vel populo, sed a Prophetis, atque Doctoribus, qui in Antiochena Ecclesia erant: igitur neque populus aliquam partem in hujusmodi electione habuit, neque Prophetæ, atque Doctores eam a se, sed præcipiente Spiritu Sancto, fecerunt.

In toto autem negotio de observatione legalium nihil non gestum cum maxima *œconomia* fuit, quemadmodum Sanctus Joannes Chrysostomus animadvertit Homil. 23. in *Acta Apostolorum* num. 1., immo quod servatum fuisse legimus, contra Democraticos facit. Quibusdam enim Antiochiæ legalia servanda esse contendentibus, contra vero sentientibus Paulo, & Barnaba, communi consensione factum est, ut tum Paulus, & Barnabas, tum alii quidam ex illis, qui in contraria sententia erant, ascenderent non ad populum, seu plebem, sed (1) " Ad Apostolos, & Presbyteros in Hierusalem „ super hac quæstione ". Hi ergo quum (2) " Venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & „ Senioribus ". Post hæc autem (3): " Convenerunt Apo„ stoli, & Seniores videre de verbo hoc ". Non vero plebs, aut populus: itaque rei, de qua dubitabatur, conquisitione facta, Petrus omnium primus loquutus fuit coram omnibus, & quid faciendum esset, edixit. Tunc omnis multitudo tacuit, & (4) " Audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, quan„ ta Deus fecisset signa, & prodigia in Gentibus per eos ". Postea nonnulla Jacobus superaddidit in confirmationem eorum, quæ Petrus statuerat, ac tandem non populus, aut plebs, sed Apostoli, & Seniores suo nomine in hunc modum decre-

(1) *Actor.* cap. 15. v. 2. (2) V. 4. (3) V. 6. (4) V. 12.

decretum ediderunt (1): " Apoſtoli, & Seniores fratres, his, „ qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gen„ tibus, ſalutem ". Decretum Apoſtolorum, & Seniorum Judas, & Silas una cum Paulo, & Barnaba Antiochiam detulerunt: quo audito Antiochenſes (2) " Gaviſi ſunt ſuper con„ ſolatione ". Deinde vero Paulus quum Syriam, & Ciliciam perambularet, & confirmaret Eccleſias, præcipiebat (3) " Cu„ ſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum "; immo quum ipſe Paulus, & Timotheus (4) " Pertranſirent civitates, tra„ debant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apo„ ſtolis, & Senioribus, qui erant Hieroſolymis ". Quam oppoſita ſint hæc omnia Democratico regimini, nemo non videt, ac propterea non eſt, cur nunc animadvertamus, quod, hujus quæſtionis habita ratione, ſingulariter animadverti poſſet.

Sunt vero omnino futilia, quæ ex aliis Sacræ Scripturæ locis Blondellus depromit, in quibus illud traditum habemus, *Fratres* vel auctores fuiſſe Apoſtolis, ut huc, aut illuc ſeſe conferrent, vel ſumma cum humanitate eos excepiſſe, vel commendaſſe ceteris fratribus, aliaque præſtitiſſe, quæ Apoſtolis adjumento fuerunt. Quid? anne Fratribus, ex eo quod Apoſtolis morem gerere deberent, non licebat hac, vel illa de re eos rogare? anne quia in tota ſuæ fidei ratione Apoſtolis ſubjecti erant, non debebant erga illos, quæ exquiſitiſſima poterant, officia humanitatis exhibere? illis ne interdictum eſſe debuit, ne ſua opera adjumento eſſent Apoſtolis in eo munere, quo fungebantur? Hoc ſane eſt, quod Blondellus velle videtur, quum ex eo quod Fratres erga Apoſtolos ſupra dicta omnia, multaque alia præſtiterint, inferendum cenſeat, Apoſtolos in iis, quæ ad fidem ſpectabant, non præfuiſſe Fratribus, ſed penes plebem, & populum totum hujuſmodi regimen fuiſſe. Verum ne nimis generatim ad multa, quæ Blondellus in hanc rem congeſſit, reſpondiſſe videamur, hic unum ſingulariter commemorabimus, quo contendit etiam penes *viliſſimos* judicium ferendi poteſtatem

(1) V. 23. (2) V. 31. (3) V. 41. (4) *Actor.* cap. 16. v. 4.

ſtatem in Eccleſia fuiſſe. Deſumit illud ex 1. epiſt. *ad Corinthios* cap.6. v.4., in quo ita habetur: " Contemptibiles, „ qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum ". Verum (1): " Audet aliquis veſtrum (inquit S. Paulus) habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, „ & non apud ſanctos? .... *ſecularia* igitur judicia ſi ha„ bueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos con„ ſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico. „ Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit ju„ dicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre judi„ cio contendit: & hoc apud infideles ". Dum ergo non velit Blondellus regimen Eccleſiæ fuiſſe penes infideles, ex verbis Pauli nullo modo colligere poteſt, plebem, vel populum Eccleſiæ præfuiſſe, & ſemel ac hoc colligat, dum illud non putat: neque enim putare poteſt; mala fide colligit.

Cur vero Apoſtoli etiam ad Eccleſias non darent ſuas epiſtolas, ſi in eis tam multa, atque ſalubria præcepta continentur, quæ ſervari debent ab omnibus, ſi fides omnium regitur, juxta legem Evangelicam mores inſtituuntur, malaque deteguntur, a quibus unicuique præcavendum eſt? Quid? in ſuis epiſtolis nonne illud Apoſtoli manifeſte præſeferunt, Eccleſiæ regimen ſibi commiſſum eſſe? nonne magiſtrorum, doctorum, Præſulumque munere funguntur? nonne legislativa poteſtate, & ea quidem etiam coactiva, utuntur (2)? Quamnam ergo cauſam Blondellus defendendam ſuſceperit, noſcitur ex iis, quæ pro illa in medium adducit.

Quam tamen Paulus (quo ſane nullus Apoſtolorum plures epiſtolas ſcripſit) rationem in iis ſervavit, ut perſpicuum ſit, hæc ſuperaddere ex S. Thoma in *Prologo* expoſitionis epiſtolarum Divi Pauli operæ pretium eſſe putamus: " Scripſit enim (inquit) quatuordecim epiſtolas, qua„ rum novem inſtruunt Eccleſiam Gentium; quatuor Præ„ latos, & Principes Eccleſiæ, id eſt Reges; una populum

 Iſrael,

(1) Cap.1. v.1. (2) Lib.18. cap.2. §.6. & ſeq.

„ Israel, scilicet quæ est ad Hebræos filios Israel. Est enim „ hæc doctrina tota de gratia Christi: quæ quidem potest „ tripliciter considerari. Uno modo secundum quod est in „ ipso capite, scilicet Christo, & sic commendatur in epi„ stola ad Hebræos. Alio modo secundum quod est in mem„ bris principalibus corporis mystici; & sic commendatur „ in epistolis, quæ sunt ad Prælatos. Tertio modo secun„ dum quod est in ipso corpore mystico, quod est Eccle„ sia; & sic commendatur in epistolis, quæ mittuntur ad „ Gentiles“.

Undenam vero Bohemerus novit, astutia cleri, omissa appellatione fraternitatis, in locum ejus nomen filiorum fuisse substitutum? Paulus profecto astutia cleri non ducebatur, dum Corinthios *filios suos charissimos* nominavit, itemque etiam Timotheum, quem ad eos miserat (1); dum utramque epistolam ad Timotheum, & unam ad Titum, ut ad *dilectos, & charissimos filios* suos dedit (2). Anne Petrus, & Joannes astutia cleri ducebantur, dum ille Marcum *filium* suum appellavit (3), iste dixit (4) se non habere majorem gratiam, quam quum audiret, *filios suos* in veritate ambulare? Tantum autem abest, ut subsequentibus temporibus, qui subesse debent, filii a Præsulibus vocari desierint, quin etiam conservos ii quoque sese dixerint, qui supremam in Ecclesia præfecturam habent. Hæc sane etiam Bohemerus non videre non poterat. Quo ergo animo dixerit, astutia cleri factum fuisse, ut in locum nominis fraternitatis nomen filiorum substitueretur, aliis judicandum relinquimus.

Unius autem ejusdemque rei tum SS. Evangelistæ Matthæus, & Lucas, tum Apostoli Petrus, & Paulus rationem habent, dum ab eis, qui præsunt, omnem dominatum excludunt: volunt ergo ab illis fastum, & superbiam abesse, & geri præfecturam super alios longe diversa ratione, ac Ethnici principes facere consueverunt, qui plerumque sub-

(1) 1. *Corint.* cap. 4. v. 14. & 17. (2) 1. *Ad Timot.* & 11. cap. 1. *Ad Titum* cap. 1. v. 4. (3) 1. *Petri* cap. 5. v. 13. (4) 111. epist. v. 4.

ſubjectis ſibi gentibus ſuperbe dominantur. Nam Chriſtus *Matt.* cap. 20. v. 26. dixit quidem Apoſtolis: " Quicumque „ voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter "; verum habita ratione ejus dominationis, cujus antea mentionem fecerat, hoc eſt illius, quam Ethnici principes ſupra gentes exercebant: atque dum præcepit Apoſtolis, ut miniſter eſſet, qui major fieri vellet, id poteſtatis non abſtulit, quod eis *Matt.* cap. 18. v. 8. ſe collaturum promiſit, & *Matt.* cap. 28. v. 20. revera contulit. *Lucæ* 22. cap. v. 26. idem urget Chriſtus, hoc eſt, monet Apoſtolos, ut qui eſt major inter illos, fiat minor; verum non abſolute, ſed habita ratione illius dominationis, qua Ethnicorum principes utebantur: deinde vero ejuſdem cap. v. 32. Petrum certiorem facit, ſe rogaſſe, ne deficeret fides illius, atque ei præcepit, ut fratres in fide confirmaret: quibus ſane verbis, ſicuti jam oſtendimus (1), ſuprema præfectura ſuper univerſam Eccleſiam S. Petro collata fuit. Epiſtola 1. cap. 5. v. 3. vult quidem S. Petrus, ut ſeniores ex ſui officii ratione gregem Dei paſcant: in quo profecto aliqua præfectura non poſita eſſe non poteſt; attamen non *coacte*, ſed *ſpontanee*, non *turpis lucri gratia*, ſed *voluntarie*, non ut *dominantes in cleris*, ſicuti Chriſtus monuerat, more Principum Ethnicorum, ſed *forma facti gregis ex animo*. Quemadmodum vero animadvertit S. Thomas lect. 5. in 1. cap. 11. epiſt. *ad Corint.* idem quod S. Petrus, præcipit etiam Paulus Apoſtolus 11. *Corint.* cap. 1. v. ult. " Paulus (inquit „ S. Gregorius Magnus *Moralium* lib. 26. num. 45.) bene „ agentibus fratribus prælatum ſe eſſe neſciebat, quum di„ceret (2): *Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores* „ *ſumus gaudii veſtri*. Atque illico adjunxit: *Fide enim ſta-* „ *tis*. Ac ſi diceret: ideo non dominamur fidei veſtræ, „ quia fide ſtatis. Æquales enim vobis ſumus, ubi vos „ ſtare cognoſcimus. Quaſi prælatum ſe fratribus eſſe ne„ſciebat, quum diceret (3): *Facti ſumus parvuli in medio* „ *ve-*

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 6. (2) 11. *Corint.* cap. 1. v. ult.
(3) 1. *Theſſalon.* cap. 1. v. 7. 11. *Corint.* cap. 4. v. 5.

„ *vestrum*, &: *Nos autem servos vestros per Jesum Christum*;
„ Sed quum culpam, quæ corrigi debuisset, invenit, illi-
„ co magistrum se esse recoluit dicens (1): *Quid vultis in*
„ *virga veniam ad vos* "?

Quod Auctores *Hexaplorum* ex eo nobis opponunt; quod in judicio incestuosi Corinthii servatum fuit, opposuit etiam Blondellus in citata Dissertatione, ut regimen Ecclesiæ Democraticum esse evinceret: verum tum iste, tum illi facile refelluntur, si ad ea advertamus, quæ Sanctus Apostolus v.3. cap.5. epist.1. *ad Corinthios* habet, antequam de judicio ferendo a Corinthiis loquatur: " Ego quidem (in-
„ quit) absens corpore, præsens autem spiritu, jam judi-
„ cavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est ". Judicium ergo suum Paulus tulit, quod Corinthii sequerentur, antequam ipsi quidquam de fratre suo incestuoso decernerent.
„ Quum dicit: (ait S. Thomas lect. 1. in cap. 1. epist. *ad*
„ *Corinth.*) *Ego quidem absens corpore ... jam judicavi*, sup-
„ plet eorum negligentiam, sententiam proferens contra
„ peccatorem ". Idem habet S. Joannes Chrysostomus *Homil.*15. in cap.1. epist.1. *ad Corinthios* num.2. ". Vide ani-
„ mum: (ait) ne sinit quidem expectare adventum suum,
„ ut ipse ligetur, sed tamquam pestem aliquam expulsurus,
„ priusquam diffundatur in reliquum corpus, illam detine-
„ re properat, ideoque adjicit: *Jam judicavi*, *ut præsens*.
„ Hæc autem dicebat, non modo urgens illos ad senten-
„ tiam ferendam, neque sinens, ut aliud consilii capiant,
„ sed etiam terrens, ut qui sciret illa, quæ ibi essent fu-
„ tura .... *Jam judicavi*, *ut præsens*. Non sinit eos aliud
„ quidpiam cogitare: nam sententiam tuli, ut præsens:
„ ne mihi moras, & procrastinationes dicas. Nihil enim
„ aliud fieri oportet ". Quod ergo a Corinthiis simul congregatis faciendum erat, Paulus antea constituit, atque definivit: & magistri, judicis, atque præpositi personam gessit, sicut etiam constat ex illis loquendi rationibus, quibus Corinthios in eodem capite affatur (2): " Expurgate
„ ve-

(1) 1. *Corint.* cap.4. v.21. (2) V.7. 9. 11.

„ vetus fermentum : scripsi vobis in epistola , ne commi-
„ sceamini fornicariis : Nunc autem scripsi vobis , non com-
„ misceri “.

§. VII. Auctores *Hexaplorum*, quod volunt, irrito sane conatu auctoritate Sanctorum Patrum probare contendunt.

Appellant ergo primo ad testimonium Tertulliani, quod ex Charlasio *De Libertate Ecclesiæ Gallicanæ* lib.9. cap.1. num.7. citant, traditumque a Tertulliano *Apologetici* cap.39. affirmant, dum Pastores decernunt spirituales pœnas, populum sedere cum eis, uti *Testem*, & *Approbatorem*.

Confugiunt ad Chrysostomum *Homil.*15. in 1. epist. *ad Corinthios* num.2. ita explicantem omnem eam rationem, quam Paulus cum incestuoso Corinthio tenuit : “ Deinde
„ ne magna videretur esse auctoritas , neque arrogantius
„ dictum esse censeretur , vide quomodo & ipsos (Corin-
„ thios) judicii socios faciat . Nam quum dixisset judicavi,
„ intulit *eum* , *qui sic operatus est* . *In nomine Domini* , *con-*
„ *gregatis vobis &c.* ... hoc est, ejus nomine vos congre-
„ gante , pro quo convenitis , & spiritu meo . Rursus se
„ ipsum cum illis constituit , ut quum judicaverint ; quasi
„ ipso præsente , sic illum abscindant , & nemo ausit ipsum
„ venia dignum habere “. Hinc est, inquiunt Auctores *Hexaplorum*, ut, auctore S. Joanne Chrysostomo *Homil.*4. in II. epist. ad Corinthios, S. Paulus se Corinthiorum socium faciat etiam in altero judicio incestuosi hominis , quo ille a pœna absolutus fuit. Nam num. 4. explicans illa verba Apostoli: *Propter quod obsecro vos*, ita habet : “ Non jam
„ imperat , sed obsecrat , non ut præceptor , sed ut æqua-
„ lis , atque illis in judiciaria sede constitutis , ipse patro-
„ ni loco , atque ordine sese collocavit “.

Ad S. Ambrosium provocant , qui lib. 1. *De Officiis* cap. 29. num. 142. ita habet : “ Ecclesia autem quædam
„ forma justitiæ est . Commune jus omnium : in commune
„ orat , in commune operatur , in commune tentatur “.

Etiam S. Augustinum in sui defensionem advocant: Pro se ergo stare S. Augustinum contendunt lib.3. *Contra*

epist.

epist. Parmeniani num.13. ita inquientem: " Quando ita cu-
„ jusque crimen notum est, & omnibus exsecrabile appa-
„ ret, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defen-
„ sores, per quos possit schisma contingere; non dormiat
„ severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio
„ pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Tunc
„ autem hoc sine labe pacis, & charitatis, & sine læsione
„ frumentorum fieri potest, quum congregationis Ecclesiæ
„ multitudo ab eo crimine, quod anathematur, aliena est.
„ Tunc enim adjuvat potius præpositum corripientem,
„ quam criminosum resistentem: tunc se ab ejus conjun-
„ ctione salubriter continet, ut nec cibum quisquam cum
„ eo sumat, nec rabie inimica, sed coercitione fraterna.
„ Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore sanatur,
„ quum ab universa Ecclesia se anathematum videns, so-
„ ciam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis
„ insultet, non potest invenire ". Num.14. " Ad hoc enim
„ & ipse Apostolus ait: *Si quis frater nominatur*. In eo
„ quippe quod ait: *Si quis*; nihil aliud videtur significare
„ voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui
„ inter dissimiles peccat, id est, inter eos, quos peccato-
„ rum similium pestilentia non corrumpit. In eo vero quod
„ ait: *Nominatur*; hoc nimirum intelligi voluit parum esse,
„ ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est, famo-
„ sus appareat, ut possit omnibus dignissima videri, quæ
„ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Ita enim &
„ salva pace corrigitur, & non interfectorie percutitur, sed
„ medicinaliter uritur. Propterea & de illo dixit, quem
„ tali medicina sanari voluerat: *Satis huic est correptio, quæ*
„ *fit a multis*. Neque enim potest esse salubris a multis cor-
„ reptio, nisi quum ille corripitur, qui non habet sociam
„ multitudinem. Quum vero idem morbus plurimos occu-
„ paverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, & gemi-
„ tus ... Si contagio peccandi multitudinem invaserit, Di-
„ vinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est: nam
„ consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque
„ sacri-

„ sacrilega; quia & impia, & superba fiunt, & plus per„ turbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos." Ex his vero omnibus, quæ Auctores *Hexaplorum* ex S. Augustino in medium adducunt, illud inferunt, nihil minus agi, quam quod S. Augustinus præscripsit, quando in aliquem excommunicatio fertur sine consensione, saltem præsumpta, cujusvis Ecclesiæ singularis. Id autem hisce S. Augustini verbis ultimo confirmant: " Ut possit omnibus di„ gnissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata „ sententia". Hæc tamen neque in loco, quem ipsi citant, neque in sequentibus leguntur.

Innocentium I. epist. 25. ad Decentium Eugubinum Episcopum num.4. (1) ita habentem pro se laudant: " Pa„ cem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam popu„ lis imperare, vel sibi inter se sacerdotes tradere, quum „ post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario „ indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ „ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præ„ buisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signacu„ lo demonstrentur".

Ad Scriptores recentiores deinde descendunt, & Bellarminum, Adrianum Magontium, atque Estium pro se laudant. Bellarminus (inquiunt) lib.2. *De Concil. Auctoritate* cap.12. dum explicat illa verba Christi: *Dic Ecclesiæ* .... *Et si Ecclesiam non audierit sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus*, dicit nomine Ecclesiæ esse intelligendum aut Episcopum, aut Fideles cum suo capite unitos: " In quocumque „ Episcopatu (ait Bellarminus) deferendi sunt peccatores „ ad Ecclesiam, & Episcopum hujus loci". Adrianus Magontius dum *Exhort.*35. par.3. *Sacrorum Monitorum* explicat illa verba Christi: *Dic Ecclesiæ*, observat a Christo præceptum fuisse, ut Ecclesiæ diceretur, non vero Episcopis, aut Prælatis Ecclesiasticis, quamvis his præcipue dicendum esset, iisdemque præsentibus, Ecclesiæ. Unde, ut qui reus est, *multitudinis consensum revereatur*, idem Auctor arbitratur,

(1) Juxta edit. Coustantii.

tratur, Christum statuisse, ut Ecclesiæ diceretur, atque illud etiam tradit, peccatores obstinatos antiquis temporibus denuntiari consuevisse omnibus fidelibus cum suo pastore congregatis, " Ibique, si impenitentes persistebant, omnium „ consensu, & approbatione " excommunicatos ab Episcopo. Estius in *Comment.* II. epist. *ad Corinthios* cap. 2. v. 8. explicans illa verba: *Obsecro vos*, *ut confirmetis in illum charitatem*, ita habet: " Hortatur autem eos, & obsecrat, ut „ publico consensu, & decreto firmam ratamque faciant „ suam erga eum charitatem, recipiendo videlicet eum ad „ pacem Ecclesiæ ". Similiter in explicatione eorum: *Cui aliquid donastis*, *&* *ego*, inquit: " Ceteri vero fideles una „ cum Præfectis condemnant, & solvunt consensu, desiderio, commiseratione, & precibus ".

Tandem Conciliorum quoque auctoritate gloriantur, atque opponunt can.5. Concilii Nicæni I. esse constitutum, ut Concilia Provincialia inquirerent in excommunicationes latas ab Episcopis, easque rescinderent, si injustæ forent, si autem justæ, confirmarent. Et in IV. Lateranensi Concilio, uti habetur cap. *Sacro De sententia excommunicationis* decretum fuit, ne feratur sententia excommunicationis, si crimen certum manifestumque non fuerit.

Verum enim vero Auctores *Hexaplorum* frustra omnino laborant, dum auctoritate Patrum suum errorem defendere conantur. Singula expendamus. Sedere ergo populum uti *Testem*, *&* *Approbatorem* simul cum Pastoribus, quando isti deliquentibus pœnas spirituales infligunt, neque a Tertulliano *Apologetici* cap.39. traditum habemus, neque apud Charlasium in citato loco legimus. Tertullianus itaque postquam dixit, in congregationibus Christianorum illud quoque suo tempore decerni consuevisse, ut punirentur, & a *communicatione orationis*, *&* *conventus*, *&* *omnis sancti commercii* relegarentur, qui deliquissent, ita habet: " Præsident „ probati quique seniores honorem istum non pretio, sed „ testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei con„ stat ". Licet autem hoc loci Tertullianus quomodo, aut

qua ratione seniores præsiderent, & populus hujusmodi judiciis adesset, non innuerit; nunquam tamen dixit, sicuti Auctores Hexaplorum confingunt, populi testimonio probari ea, quæ a senioribus decernerentur. Alibi tamen jus pastorum non pendere ab approbatione populi distincte explicavit. Lib. *De Baptismate* cap.17. " Dandi quidem (inquit) " habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc " presbyteri, & diaconi, non tamen sine Episcopi aucto- " ritate ". Lib. *De Jejuniis* cap.13. " Bene autem quod & " Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent ". Libro *De Pudicitia* cap.18. " Quod si clementia Dei ignorantibus " adhuc, & infidelibus competit, utique & pœnitentia ad " se clementiam invitat, salva illa pœnitentiæ specie post " fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo, " aut majoribus, & irremissibilibus a solo Deo habet ". Hic uti Montanista loquitur; tamen potestatem dandi veniam Episcopis simpliciter tribuit.

In judicio incestuosi Corinthii S. Paulum partes illius egisse, qui cum auctoritate præest aliis, S. Joannem Chrysostomum putasse, jam ostendimus (1). Quæ autem ex eodem S. Doctore Adversarii nostri in medium adducunt, id unum probant, voluisse quidem S. Paulum, ut & ipsi Corinthii de crimine sui concivis judicium ferrent, non tamen juxta propriam, sed juxta eam sententiam, quam ipse licet absens corpore, prius tulerat.

Quo autem sensu S. Joannes Chrysostomus *Homilia* 4. in 11. epistolam *ad Corinthios* num.4. dixerit: *Non jam imperat &c.* perspicuum est ex his, quæ statim superaddit: " Quoniam enim id, quod in animo habebat, confecerat, " præ gaudio jam modum in supplicando excedit ... Per " hæc autem verba: *Ad omnia*, rursus eos laudat, pristi- " nam eorum obedientiam commemorans, atque in medium " adducens: *Cui autem aliquid donastis, & ego*. Vides quo " pacto rursus posteriores sibi tribuit, illos videlicet duces, " atque auspices, se vero comitem dumtaxat ostendens.

 " Sic

(1) Præced. §.

„ Sic nimirum exacerbatus animus mitigatur : sic durus, „ & pertinax emollitur. Postea ne supinos eos reddat, ut „ penes quos negotii summa sit, & ne illum missum faciant, „ ad hoc ipsos impellit, dum ait, se quoque illi condonasse". Illud tandem monet S. Joannes Chrysostomus, Apostolum in utraque epistola ad Corinthios, simul eis concedere, atque adimere potestatem: " Ut illinc quidem eos mitiget, „ atque emolliat, hinc autem eorum arrogantiam ampu„ tet".

S. Ambrosius lib.1. *Officiorum* cap.29. num.142. de fide disserit, eamque omnibus communem esse affirmat, quia fides omnium est Christus: *Fides enim omnium* (inquit) *est Christus*. Fidei autem ratio si habeatur, jus ad eam commune est omnibus, neque unus supra alterum præcellit. Fundamentum ergo fidei esse justitiam primo loco constituit S. Ambrosius: fidem deinde omnibus communem esse statuit, atque ultimo ita recte habet: " Ecclesia autem quæ„ dam forma justitiæ est. Commune jus omnium, in com„ mune orat, in commune tentatur, in commune opera„ tur". Nihil sane hic occurrit, quod menti Adversariorum conforme sit.

S. Augustinus lib. 3. *Cont. Epistolam Parmeniani* n. 13. illud Apostoli 1. *Corinth.* cap.11., quo Corinthiis præcipit, ne commiscerentur cum fornicariis hujus mundi, explicandum sibi proponit, atque constituit, quandonam pœna anathematis in aliquem ferenda sit: " In hac (inquit) velut „ angustia quæstionis non aliquid novum, aut insolitum „ dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiæ, ut quum quis„ que fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ so„ cietate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit de„ prehensus, ut anathemate dignus habeatur; fiat hoc, „ ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea „ dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens (1): ut ini„ micum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem: „ non enim ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod „ si se

(1) 11. *Thessalon.* cap.5. v.15.

„ si se non agnoverit, neque pœnitudo correxerit, ipso „ foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ com„ munione dirimetur. Nam & ipse Dominus servis volen„ tibus zizania colligere dixit (1): ne forte quum vultis col„ ligere zizania, eradicetis simul & triticum. Ubi satis osten„ dit, quum metus iste non subest, sed omnino de fru„ mentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est, „ quando ita cujusque crimen notum est &c. " Tunc ergo peccantem publico judicio ab Ecclesia abscindi debere, S. Augustinus affirmat, quando nullum periculum schismatis inde timeatur, quia hoc fit *sine læsione frumentorum*, quum Ecclesiæ multitudo a crimine peccantis aliena sit, *& adjuvet potius præpositum corripientem, quam criminosum resistentem.* Augustini ergo ratio omnino diversa ab ea est, quam Auctores *Hexaplorum* illi affingunt. Id enim tantum vult Sanctus Augustinus, ut diligenter præcaveatur, ne dum aliquis anathemate punitur, schismatis occasio præbeatur: quæ sane præbetur, dum multi sunt involuti eo crimine, quod anathemate plectitur: non præbetur autem, quando unus, aut alter involutus est, quia tunc iste & *timore percutitur*, & *pudore sanatur*, quum ab *universa Ecclesia se anathematum* videat, quatenus Fideles *adjuvant potius præpositum corripientem, quam criminosum resistentem.*

Quod autem numero superiori, & etiam in sequenti 14. urget S. Augustinus, hoc est, pœnam anathematis in eum tantum infligi vult, qui in suo crimine *non habet sociam multitudinem*, ne ulla detur occasio separationis. " Miseri„ corditer igitur (num.15. superaddit) corripiat homo quod „ potest, patienter ferat, & dilectione gemat, atque lugeat, „ donec ille de se superemendet, & corrigat, atque usque „ ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare ". Ceterum non esse populi, quemadmodum vellent auctores *Hexaplorum*, sua auctoritate probare, atque confirmare sententias censurarum, quæ ab Ecclesiæ præsidibus latæ fuerint, S. Augustinus in pluribus locis evidenter adstruxit. Quæ ha-

 bet

(1) *Matt.* cap.13. v.30.

bet *Serm.* 164. *De Verbis Apostoli*, alias 22. num. 11., hic tantum exscribam: " Si judex es, (inquit de eo loquens, " qui gregi præsidet) si judicandi potestatem accepisti, Ec- " clesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documen- " tis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommu- " nica, degrada. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat " disciplina ".

Pacem vero post confecta mysteria populis indicendam esse, " Per quam constet, populum ad omnia, quæ in my- " steriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, suum de- " disse consensum ". Innocentius quidem dicit; verum non eo sensu, quo Auctores *Hexaplorum* vellent, alioquin ut populi consensione quævis sacra in Ecclesia peragerentur, voluisse Innocentium, dici deberet: quo sane nihil absurdius fingi potest. Ibi ergo agit Summus Pontifex de osculo pacis, circa quod varius fuit usus Ecclesiarum, sicuti Coustantius in hunc Innocentii locum advertit. Vult ergo Innocentius, hujusmodi osculum pacis post peracta sacra mysteria adhiberi, ut omnia *finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur*.

Bellarminus libro 2. *De Conciliorum auctoritate* cap. 2. ea non habet, quæ Auctores *Hexaplorum* ex ipso citant. Illa verba Evangelistæ: " Dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam non " audierit, sit tibi velut Ethnicus, & publicans "; explicat inter alia loca Bellarminus *De Auctoritate Conciliorum* lib. 2. cap. 2., eaque ad congregationem Prælatorum refert, qui ligandi, & solvendi potestatem habent: " At ne quis " (inquit) Ecclesiam, sive congregationem Prælatorum, " contemendam putaret, adjunxit continuo: *Amen dico vo-* " *bis: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in* " *cælo &c.* " Ecclesiæ ergo nomine non intelligit omnes Fideles, sed Prælatos simul congregatos, atque ad eos illa verba: *Dic Ecclesiæ*, referenda esse statuit.

Adriani Maguntii opus inspiciendi copiam non habuimus, atque de hac re nos sollicitos esse debere non arbitramur: neque enim illud magni faciendum est. Quum ergo for-

formam Christianæ reipublicæ Democraticam non esse, jam ostenderimus (1), non est, cur ad unius, aut alterius scriptoris recentioris minus accuratam loquendi rationem attendamus. Tamen hunc quoque Auctorem in pravum sensum ab Auctoribus Hexaplorum detorqueri, inde merito suspicari quispiam potest, quia, uti vidimus, alios quoque Auctores longe quidem graviores, atque celebriores, in suam sententiam hac ratione trahere non dubitarunt.

Quo autem sensu consensionem Corinthiorum requisitam a Paulo fuisse in absolutione incestuosi hominis Estius dicat, statim ipse in citato loco his verbis declarat: " Obsecrat autem Paulus, & præcipere quum possit, intercessoris partes apud Corinthios suscipit, quos sciebat animo esse propter id, quod acciderat, exulceratos: ut dum eos velut judices honorat (quomodo græci interpretes loquuntur) mitiores reddat, ac promptiores ad exequendum, quod petit. Alioqui certe qui præceperat excommunicandum, præcipere etiam poterat absolvendum, & in communionem recipiendum. Quamquam & in hoc satis præcipit, in eo quod verbis sequentibus obedientiam requirit ".

In expositione autem illorum verborum: *Cui aliquid donastis, & ego*; Estius hæc quidem habet: " Vobis aliquid alicui condonantibus, ego etiam condono ". Verum statim superaddit: " Quomodo dicat eos donare, postea dicemus ". Id autem dicit, dum hæc alia subsequentia verba exponit: *Non enim ignoramus cogitationes ejus*: ita enim habet, postquam dixit, condonationem, de qua Paulus loquitur, ad solos Præfectos Ecclesiæ referendam esse: " Vel aliter, & rectius fortasse dici potest: velle quidem Paulum illis verbis omnes, ad quos scribit, comprehendere, qui tamen non omnes condonent eodem, ac simili modo. Nam Præfecti id faciunt potestate, quam promittunt illa verba Christi: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo Matt.* 18. Ceteri vero Fideles una cum

" Præ-

(1) Hujus cap. §. 2. & seqq.

„ Præfectis condonant, & solvunt consensu, desiderio, com„ miseratione, & precibus ad Deum fusis pro fratre pec„ catore: sicut omnes aliquo modo remittimus fratrum pec„ cata, qui ex animo dicimus illud in oratione quotidiana: „ *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* “.

Canone 5. Nicæni Concilii I. constitutum quidem fuit, ut Patres in Provinciali Concilio simul congregati viderent, utrum *pusillanimitate*, *aut contentione*, *aut quolibet alio Episcopi vitio* essent aliqui *a congregatione seclusi*: verum anne inde inferri potest, populi consensum in eas censuras, quas tulisset Episcopus, requisitum fuisse? Ad hoc sane requireretur, ut populus in Provincialibus Conciliis uti judex sederet: quod nunquam traditum habemus. Superiori ergo potestate expendi, & si injustum inveniretur, rescindi posse, quod inferiori auctoritate constitutum esset, hoc vero est, quod Nicæni Patres definierunt, dum decrevere, ut Præfecti Ecclesiarum in Provinciali Concilio congregati de illorum caussa cognoscerent, qui a congregatione Fidelium ab Episcopis seclusi fuissent. Hoc autem ad Ecclesiasticam hierarchiam spectat, quam sane omnino sublatam vellent, qui etiam populum consortem ejus jurisdictionis faciunt, quæ est propria Pastorum.

Quod Nicæni Patres constituerunt, etiam in cap. *Sacro De sentent. excommunicat.* confirmatum fuit, hoc est, ut auctoritate judicis superioris ea sententia excommunicationis revocari posset, quæ ab inferiori judice lata injuste fuisset; tamen ut a clero, vel populo confirmaretur, aut rescinderetur, quod Episcopi auctoritate constitutum esset, neque in isto, neque in alio unquam canone determinatum legimus. Omnes autem obtemperare debere iis, quæ auctoritate Præsidum decreta sunt, iisdemque neminem sine crimine adversari posse, & canonicis pœnis unumquemque ad obediendum compelli debere, hoc vero est, quod auctoritate sacrorum canonum sæpius constitutum habemus, sicuti ignoratur a nemine, qui illorum aliquam cognitionem habeat, multoque minus fieri potest, ut ignoretur ab Auctori-

ctoribus *Hexaplorum*, quum multa se eruditione præditos præseferant, quamvis ea non bene utantur.

§. VIII. Nullius momenti sunt, quæ Blondellus, & Bohemerus ad ostendendum Ecclesiæ regimen Democraticum esse, tum ex Patribus, tum ex ea ratione, qua plura Concilia celebrata fuerunt, pro se in medium adducunt.

Singula minutatim persequi, quæ tum ille, tum iste in præcitatis operibus habent, nobis in animo non est. Nam pleraque loca Patrum, quæ ad suam falsam opinionem adstruendam proferunt, id unum evincunt, regimen, quod Ecclesiæ Præsulibus Christus tribuit, longe ab eo differre, quod Principes potissimum Ethnici exercere consueverunt, ac propterea eos, qui aliquam in Ecclesia præfecturam habent, longe a fastu, & superba dominatione abesse debere. Id sane, ut uno alteroque exemplo utar, vult Tertullianus in eo loco, quem ex lib. *De idololatria* cap.18. affert Bohemerus in *Jure Canonico Protestantium* lib.1. tit.33. §.17., & Isidorus Pelusiota lib.3. epist.226. ab eodem Bohemero citatus. Hujus capitis §.6. jam ostendimus, hanc dominii rationem Christum a suis exclusam voluisse, non vero alteram, quæ licet veram præfecturam contineat, hujusmodi tamen, quæ sit plena charitatis, & ad procurandum animi bonum comparata. Quod ergo opponunt tum ex Patribus, tum ex ea ratione, qua plura Concilia celebrata fuere, ad adstruendum plebem in partem eorum vocatam fuisse, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant, nunc confutabimus.

Clemens Episcopus Romanus, inquiunt, epistolam *ad Corinthios* non suo nomine dedit, sed ita inscripsit: « Dei „ Ecclesia, quæ Romæ diversatur, Dei Ecclesiæ, quæ Co- „ rinthii habitat ». Polycarpus suam epistolam ad Philippenses ita inchoat: « Polycarpus, quique cum eo Presby- „ teri, Ecclesiæ Dei Philippis diversanti »: Apud Eusebium lib.4. *Hist. Ecclesiast.* cap.15. hæc formula occurrit: « Ec- „ clesia Dei, quæ est Smyrnæ, Ecclesiæ Dei apud Philu- „ melium, & omnibus ubicumque terrarum sanctæ, & Ca-

„ tholi-

„ tholicæ Ecclesiæ populis, misericordia, & pax". Rursus apud eumdem lib. 5. cap. 1. formula hæc deprehenditur: „ Servi Christi, qui apud Viennam, & Lugdunum Galliæ „ degunt, fratribus per Asiam, & Phrygiam constitutis, „ qui eamdem nobiscum habent spem redemptionis". Irenæus nomine fratrum, quibus præerat in Gallia, ad Victorem scripsit, uti ait Eusebius lib. 5. *Hist. Ecclesiast.* cap. 24.

Blondellus in hanc rem prope innumera congerit Sancti Cypriani loca, in quibus S. Martyr affirmat, tum in electione ministrorum Ecclesiæ, tum in causa lapsorum, tum in aliis ad Ecclesiam pertinentibus, populi suffragium exquisivisse. Suas demum Principes in pluribus Conciliis partes habuisse, idem Auctor ostendere nititur, indeque contra ac deberet, uti mox videbimus, Ecclesiæ regimen Democraticum esse colligit.

Ad hæc omnia nunc paucis. Romanæ ergo Ecclesiæ nomine scripta fuit epistola ad Corinthios: " Quoniam totius „ Apostolicæ Ecclesiæ (inquit Cotelerius in Adnotatione „ ad inscriptionem epistolæ S. Clementis) commune votum „ erat, pacatam cernere Corinthiorum Ecclesiam, a Petro „ quoque Pauloque fundatam, ingensque futurum erat Co„ rinthiis incentivum ipsa Romanorum simul scribentium „ concordia. Accedit huc Apostolicus mos communicandi „ quæ gerebantur cum tota Ecclesia, qui & diu duravit, „ & ordinem Hierarchicum non infringit". Hac tamen in epistola S. Clemens Corinthios redarguit, quod Presbyteris subjecti non essent (1), atque in fine ita monet (2): " Vos „ ergo qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote „ Presbyteris, & in pœnitentiam corripimini". Regimini autem Democratico non est hæc subjectio conformis.

Qua autem ratione S. Clemens non suo, sed Ecclesiæ, cui singulariter præerat, nomine scripsit ad Corinthios; ita etiam idem Episcopi alii fecerunt: non defuere tamen etiam hisce primis Ecclesiæ temporibus, qui suo nomine & ad Summum Pontificem, & ad alias Ecclesias scripserint, sicuti ab

(1) Hujus epist. num.47. (2) Num.57.

ab Eusebio traditum habemus: a quo quidem & illud accepimus, in controversia circa diem, qua Pascha celebrandum foret (quæ sane res non minus ad Episcopos & Presbyteros, quam ad plebem, & populum spectabat) non plebem, & populum, sed Episcopos in unum convenisse, ut viderent, utrum die Dominico proxime sequente lunam decimam quartam primi mensis, an luna decima quarta, in quamcumque illa diem incidisset, pascha celebrandum esset: non plebem, inquam, & populum, sed Episcopos simul unitos hac de re suum judicium tulisse, & Asiaticos quidem statuisse, ut Pascha celebraretur luna decima quarta primi mensis, in quamcumque illa diem incidisset, alios autem ut paschatis dies festus ageretur Dominico die proxime sequente lunam decimam quartam primi mensis. Hæc enim Eusebius habet lib.5. *Hist. Ecclesiast.* cap. 23. " Synodi ob „ id (hoc est ob controversiam ortam circa diem, qua Pa- „ scha celebrandum foret) cœtusque Episcoporum convene- „ re. Atque omnes uno consensu Ecclesiasticam regulam „ universis Fidelibus per epistolas tradiderunt: ne videlicet „ uno alio, quam Dominico die, mysterium resurrectionis „ Domini unquam celebretur ... Extat etiamnum epistola „ Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt: qui- „ bus præsidebant Theophilus Cæsarææ Palæstinæ, & Nar- „ cissus Hierosolymorum Episcopus. Alia etiam extat epi- „ stola Synodi Romanæ, cui Victoris Episcopi nomen præ- „ fixum est. Habentur præterea litteræ Episcoporum Ponti, „ quibus Palma, utpote antiquissimus, præfuit. Epistola „ quoque Ecclesiarum Galliæ extat, quibus præerat Irenæus. „ Ecclesiarum quoque in Osdroenæ provincia, & in urbi- „ bus regionum illius constitutarum litteræ visuntur. Seor- „ sum vero Bacchilii Corinthiorum Episcopi, aliorumque „ complurium epistolæ extant ". Cap.24. Polycratem ad Victorem scripsisse refert, atque eumdem Polycratem monitum fuisse, ut Episcopos convocaret: quod & fecit: " Episcopis „ autem (superaddit Eusebius) in Asia coactis, qui morem „ jam olim ipsis a Majoribus traditum, sedulo observandum „ con-

» constanter asseverabant, præfuit Polycrates «. De his ergo Episcopis Polycrates in sua epistola ad Victorem ita apud Eusebium habet: « Possem hoc loco Episcopos, qui mihi » in Concilio aderant, commemorare; quos ut accerserem » a vobis rogatus, diligenter accersebam «. Hæc vero omnia evidenter evincunt, quam inania sint, quæ Democratici ex disciplina primorum temporum nobis opponunt.

Ad Cyprianum veniamus. « Quando a primordiis Epi» scopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro (hoc est » cleri) & sine consensu plebis mea privatim sententia ge» rere «, ipse quidem inquit epistola 5. Epistola vero 11. testatur in sacris Ordinationibus a se faciendis Presbyteros, Diaconos, & plebem universam se consulere consuevisse: » Solemus (inquit) vos antea consulere, & mores, ac me» rita singulorum communi consilio ponderare «. Alibi quoque innuit in nonnullis Ecclesiæ negotiis consilium, & judicium plebis se exquisivisse (1). Attamen neque consilium, neque consensum, neque judicium plebis ita ab eo exquisitum fuisse, ut plebi tribuerit, ferre sententiam de iis, quæ sunt Ecclesiastici regiminis, sed solummodo ut maturius omnia discuterentur, de probitate illorum, qui ad sacros ordines promovendi essent, omnino constaret, deque vera pœnitentia lapsorum nullus superesset dubitandi locus, ex ipso Cypriano omnino perspectum habemus. Nam epist. 42. se cum aliis Episcopis dicit esse successorem Apostolorum, quibus divinitus datum erat, ut Ecclesiæ præessent: *De Unitate Ecclesiæ* Episcopos in Ecclesia præsidere: epist. 60. *de Domini indulgentia* se Ecclesiæ præsidere: epist. 50. Episcoporum judicio constitutum, quæ cum Lapsis esset ratio tenenda: epist. 55. non plebem, sed Episcopos constituit judices in eo concilio, in quo sententia de hæreticis lata fuit: epist. 69. eum in Ecclesia non esse pronuntiat, qui cum Episcopo non fuerit: epist. 11. graviter reprehendit eos Presbyteros, *utpote Episcopo honorem Sacerdotii sui, & Cathedræ non reservantes*, qui cum Lapsis sine sua consensione

(1) Vide epist. 11.

ne communicaverant : idem quoque epistola 9. facit cum aliis, qui rem eamdem *citra conscientiam Episcoporum* peregerant : tandem, ut plura alia omittamus, a communione eum arcendum decernit, sive Presbyter, sive Diaconus, sive peregrinus ille fuerit, qui ante suam sententiam cum lapsis communicaverit. Hæc vero omnia ostendunt, non Presbyteris, non Diaconis, multoque minus plebi Ecclesiæ regimen tribuisse, sed Episcopis, qui sunt Successores Apostolorum, quos, uti ipse inquit in epist. 44., Deus in Ecclesia sua eligit, & constituit, & in epist. 69. *Judices ad tempus* facit.

Quia vero quæ Blondellus multis sane prosequutus fuit de præsidentia laicorum, sicuti falso ipse contendit, in Conciliis ab Ecclesia celebratis, nihil minus evincunt, quam quod ostendendum sibi proposuit, non est, cur ea refellere aggrediamur. Quandoquidem celebrationi illorum multorum conciliorum, de quibus mentionem ipse facit, non plebs, aut populus, sed Imperatores, Reges, & Principes adfuerunt. Quamvis ergo, quod omnino falsum est, quispiam daret, hoc est, eos ita adfuisse, ut judicium rei, de qua agebatur, sibi tribuerint, atque una cum Episcopis sententiam tulerint, Ecclesiæ regimen, laicorum habita ratione, Aristocraticum esse, inferri deberet, non vero Democraticum, sicuti Blondellus falso colligit. Falsum est autem Imperatores, Reges, & Principes in celebratione Conciliorum partes judicis aliquando habuisse, quemadmodum Thomassinus *Dissertatione* 10. in Concilium Ephesinum I. pluribus ostendit, atque ejusdem Dissertationis num. 14. præclare animadvertit, Imperatores, Reges, & Principes, dum celebrationi Conciliorum interfuerunt, veluti Episcoporum exteriorum partes egisse, qui essent, atque haberentur non minus Ecclesiæ, quam Synodi defensores, tumultuum propulsatores, atque tum pacis, tum ordinis vindices. Verum hac de re inferius ex instituto disputabimus, atque unum tantum nunc superaddimus, illud quidem a S. Cypriano epist. 11. & 13. traditum accepisse, *præsente*, & *stante* plebe,

plebe, habita concilia; verum agendarum rerum *examen* & judicium Episcopis, non vero plebi, tributum fuisse.

CAPUT II.

DE ARISTOCRATIA, QUATENUS CUM ECCLESIÆ REGIMINE EA PUGNAT.

§. I. ARistocratiæ notio traditur.

„ Ex usu Politicorum (inquit Arnisæus *de Republica* „ cap. 4. sect. 3. num. 9.) Aristocratia nihil aliud est, quam „ *paucorum imperium probe constitutum*, quo sensu a Platone, „ & Aristotele ubique accipitur". Dum ergo imperii summa majestas est penes aliquos, qui vel genere, vel dignitate, vel virtute præcellunt supra ceteros; tunc sane regimen Aristocraticum erit. Neque enim existimandum est, sufficere ad Aristocratiam, ut pars minor in majorem dominetur, quemadmodum lib. 2. *de Republica* cap. 6. Bodinus putavit inquiens: " Sive igitur optimi, sive flagitiosissimi, „ sive ditissimi, sive nobilissimi, sive egentissimi, sive bellicosissimi, summum imperium teneant, modo civium pars „ minor extiterit, Aristocratiam appellemus". Sicuti enim Arnisæus in citato loco num. 7. illum refutans recte monet: „ Aliter sensit, & loquuta est docta vetustas (Aristocratiam) „ in meliorem partem accipiendo"; atque id multorum veterum auctoritate confirmat. Et re quidem vera, cogente ipsa etymologia nominis, dicendum est, oportere, ut aliqua in re præemineant supra ceteros, qui inter Optimates locum habent.

§. II. Si de Ecclesiæ regimine agatur, seculi Principes inter Optimates nullum locum habere possunt.

Quandoquidem non Principibus, sed Petro promisit Christus suam Ecclesiam super eum se ædificaturum, atque ei daturum claves regni Cœlorum, quibus quidquid ligaret, aut solveret in terris, esset quoque ligatum, aut solutum in Cœlis. Pro Petro, ne deficeret fides illius, Christus se rogasse dixit, non pro Principibus, atque Petro tantum

tum mandavit, ut fratres in fide confirmaret. Petro tandem, non Principibus, omnes agnos, omnesque oves tradidit, ut tum illos, tum istas pasceret. Hæc vero omnia demonstrant, quod in Ecclesia supremum regimen habetur, uni tantum Petro Christum commisisse, ejusque regiminis, quod Christus Petro commisit, Romanos Pontifices hæredes ab initio Ecclesiæ ad hæc usque nostra tempora fuisse, ac semper esse futuros (1). In suprema ergo ratione Ecclesiastici regiminis seculi Principes nullam partem habere possunt. Utrum ergo aliquam partem in eo saltem regimine habeant, quod in Ecclesia Supremo subest, atque Optimatum esse dicitur, nunc videamus.

Inter Optimates, si de Ecclesiæ regimine agatur, non Presbyteros, sed Episcopos recenseri oportere, atque istos esse illis jure Divino superiores, uti rem certam nunc assumimus; quum ut de hoc doctrinæ capite agamus, non solum instituti nostri ratio non ferat, sed etiam argumentum, quod præ manibus habemus, nullo modo requirat. Quandoquidem eorum, qui contra evidentem auctoritatem Divini verbi tum scripti, tum traditi negant, esse Episcopos Presbyteris jure Divino superiores, nullus non fatetur, auctoritatem Episcoporum non esse inferiorem auctoritate Presbyterorum. Semel ac ergo ostendamus, nullam seculi Principes habere partem in eo regimine posse, quod Episcopis traditum fuisse novimus, est sane confectum, quod volumus, hoc est, Principes seculi inter Optimates in Ecclesiæ regimine recenseri non posse, quamvis antea auctoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum non evicerimus, Episcopos esse Presbyteris jure Divino superiores, ac propterea Episcopos, si de Ecclesiæ regimine agatur, inter Optimates recenseri oportere.

Ii ergo in Ecclesiæ regimine sunt Optimates, quibus Christus ligandi, & solvendi auctoritatem contulit, potestate, quæ sibi data fuit, commisit, ut euntes docerent omnes gentes,

(1) Vide quæ disseruimus lib. 8. cap. 1. & 2., lib. 19. cap. 2., & seq.

gentes, eas baptizarent, atque in observatione Divinorum mandatorum instituerent, primum supra Prophetas, Doctores, atque alios locum in Ecclesia dedit, demandavitque, ut regerent Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, ejusdemque Ecclesiæ diligentiam haberent: at vero horum omnium ex Divina institutione Apostoli participes evasere, nullo autem modo seculi Principes: Episcopi autem sunt successores Apostolorum, non vero Principes seculi, idque etiam ipsi Principes nunquam sibi tribuerunt, nec aliquando aliquem tam insipientem futurum arbitror, ut Apostolis in munere, atque potestate eos succedere velit: Principes itaque seculi inter Optimates, qui Ecclesiæ regimini præsunt, nullum locum habere possunt. Illud prius hæc Sacræ Scripturæ loca suadent: *Matth.* 18. cap. v. 18. inquit Christus ad Apostolos: " Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis su„ per terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque sol„ veritis super terram, erunt soluta & in Cœlo ". Cap. 28. v. 18. & seqq. " Et accedens Jesus loquutus est eis, di„ cens: data est omnis potestas in Cœlo, & in terra. Eun„ tes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi„ ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos ser„ vare omnia quæcumque mandavi vobis ". Apostolus 1. *Corinth.* cap. 12. v. 28. inquit: " Et quosdam quidem posuit „ Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophe„ tas, tertio Doctores, deinde virtutes &c. " *Actorum* cap. 20. v. 28. hæc leguntur: " Attendite vobis, & univer„ so gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos „ regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo ". Tandem Apostolus 1. *ad Timotheum* cap. 3. v. 5. loquens de Episcopis inquit: " Si quis autem domui suæ præesse ne„ scit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit "? Episcopos autem esse successores Apostolorum, idem ipse locus *Actorum* ostendit, in quo Episcopi in grege positi dicuntur, ut Ecclesiam Dei regerent (1). Hanc vero potestatem etiam seculi Principibus divinitus collatam fuisse, idque eis muneris

(1) Vide Concilium Trident. sess. 23. cap. 4.

neris demandatum, quod Apostoli habuerunt, in Divino verbo scripto, aut tradito nunquam legimus, ac propterea in seculi Principibus haberi eam successionem, cujus nullum unquam principium novimus, dici non potest. Tam manifestum ergo est, quam quod maxime, si de Ecclesiæ regimine agatur, seculi Principes inter Optimates nullum locum habere posse.

De re ista in ultimis libris fusius agemus: hac vero de causa multa superaddere nunc omittimus, quibus de illa semper magis magisque perspectum foret, atque hic de ea paucis disseruisse, prout doctrinæ ordo requirere videbatur, nobis sufficit.

§. III. Ratio Supremi Capitis, quod ex Divina institutione in Ecclesia positum fuisse novimus, ut Ecclesiam regimen sit Aristocraticum nullo modo patitur.

Utriusque Divini verbi tum scripti, tum traditi auctoritate compertum habemus, unum Petrum a Jesu Christo Supremum Ecclesiæ Caput constitutum ita fuisse, ut supremam præfecturam super universam Ecclesiam haberet, ejusque propterea propria esset suprema legislativa potestas, quæ ad totam Ecclesiam, quanta est, extenderetur, illique etiam ceteri Apostoli subjicerentur (1). Sunt vero Romani Pontifices eorum omnium hæredes, quæ Petrus a Jesu Christo recepit, totius Ecclesiæ regiminis habita ratione, ac propterea inter alia etiam supremam legislativam potestatem habent, cui non solum communis cœtus Fidelium, sed etiam qui in Ecclesia aliquam præfecturam habent, & Optimatum locum tenent, cujusmodi sunt potissimum Episcopi, non aliter ac Apostoli omnes potestati legislativæ Petri fuerunt, subjecti esse debent (2). At vero, omnibus consentientibus, in eo posita est ratio Aristocratici regiminis, ut plures simul uniti teneant habenas regiminis (3): ratio ergo Supremi Capitis, quod ex Divina institutione in Ecclesia positum fuisse

(1) Lib.18. cap.1. & 2. id omne est confectum a nobis. (2) Lib.19. cap. 1. & 2. (3) Vide Bodinum *de Repub.* lib. 2., & Arnisæum *de Repub.* cap. 4. sect. 5. num. 9. & seqq.

ſe novimus, ut Eccleſiæ regimen ſit Ariſtocraticum, nullo modo patitur. Hinc vero eſt, ut Eccleſiæ Præſules uniti in cœtibus omnium, qui dari poſſunt, celeberrimis, ſupremæ legislativæ poteſtati Romani Pontificis, ſeſe omnino ſubmiſerint (1). Hæc licet pauca, quæ tamen cum iis, quæ in duobus præcedentibus libris fuſius diſputavimus, neceſſariam connexionem habent, ad oſtendendum quod nunc volumus, ſatis ſuperque eſſe arbitramur.

§. IV. Auctoritate Divinarum Scripturarum Ariſtocratici peſſime abutuntur.

Hæc ergo præcipua ſunt Sacræ Scripturæ loca, quæ ipſi pro ſe in medium adducunt. *Actorum* cap. 15. v. 6. legitur, conveniſſe Apoſtolos, & Seniores videre *de verbo hoc*, quando diſputatum fuit, utrum gentes circumciſioni ſubjiciendæ eſſent. *Actorum* cap. 20. v. 28. Paulus monet Epiſcopos hiſce verbis: " Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos „ Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei ". Sanctus Petrus in ſua 1. epiſt. cap. 5. v. 1. & 2. " Seniores, qui in „ vobis ſunt, obſecro ..... paſcite, qui in vobis eſt, gre„ gem Dei ". Hiſce omnibus hæc alia ſuperaddit Marcus Antonius de Dominis lib. 1. *de Republica Eccleſiaſtica* cap. 3. §. 1. Chriſtus *Joannis* cap. 20. v. 21. inquit ad Apoſtolos: " Sicut „ miſit me Pater, & ego mitto vos"; & *Matthæi* cap. 28. v. 19. „ Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c." Ex quibus infert, a nemine negari poſſe, Apoſtolis Eccleſiam commiſſam fuiſſe.

Æque autem omnibus commiſſam fuiſſe in citato cap. §. 3. inde deducit, quia omnes Apoſtoli æque a Chriſto in munere Apoſtolatus inſtituti fuerunt, omneſque æque repleti Spiritu Sancto: cap. 4. §. 6. quia omnes Apoſtoli ſunt functi legatione pro Chriſto: cap. 8. §. 3. quia licet ſoli Petro, etiam præſentibus Apoſtolis, dictum fuerit: *Paſce oves meas*, id nihilominus in ſolo Petro ſuum effectum non habuit. Hæc alia quoque ſuperaddit cap. 15. §. 1. & ſeqq. 1. Dum Apoſtoli de primatu a Chriſto quærerent, ſemper reſpondiſſe Chriſtum, ut

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 10.

ut qui inter eos major esset, se minorem fieri curaret. 2. Tum Petrum, tum ceteros Apostolos de hoc primatu quæsivisse. Nam, uti legitur *Matthæi* cap. 18. v. 1. " Accesserunt Disci„ puli ad Jesum dicentes: quis putas major est"? & *Lucæ* cap. 22. v. 24. " Facta est autem & contentio inter eos, quis „ eorum videretur esse major". Petrus autem æque, ac ceteros Apostolos fecisse traditum habemus, hoc de primatu non contendisset, si jam fuisset supremum omnium Caput a Christo constitutus. 3. *Actorum* cap. 6. legi, septem Diaconos non ab uno Petro electos fuisse: cap. 8. Petrum, & Joannem missos Samariam: cap. 2. epist. *ad Galatas* Petrum a Paulo reprehensum.

At vero nihil horum tale est, ut ex eo evinci possit, quod Adversarii vellent. Apostoli quidem, & Seniores in Hierosolymitano Concilio convenerunt, ut viderent de verbo hoc; attamen Petrus huic Concilio cum suprema auctoritate præfuit. Nam cum magna cońquisitio fieret, ipse omnium primus, quid circa ortam controversiam statuendum esset, docuit, atque edixit; ipse, inquam, non rogata sententia ceterorum, imponendum non esse jugum supra cervices Discipulorum, quod neque etiam ipsi portare potuerant, simpliciter decrevit. Ad Petri judicium omnis multitudo tacuit, quamvis antea in maxima conquisitione versaretur, & Jacobus testimonio Scripturarum confirmavit, quod Petrus edixerat. Communi deinde consensione decretum editum fuit, atque missum ad omnes Ecclesias. Monarchici sane forma regiminis, non vero Aristocratici, in hoc facto relucet. Petrus enim Hierosolymis simul cum aliis congregatus, & præsente Jacobo Episcopo Hierosolymitanorum, omnium primus loquitur, & neque etiam ipsorum Apostolorum prius rogata sententia, absolute edicit, Gentilibus conversis ad fidem Christianam, jugum Mosaycarum cæremoniarum imponendum non esse. Si autem Petrus non præfuisset omnibus, hæc ejus agendi ratio ab omni contemptu erga alios non esset immunis. Neque refert in hujus rei consilium Apostolos, & Seniores fuisse vocatos, Jacobum post Petrum loquutum, at-

que non solum suo dicto confirmasse, quæ Petrus statuerat, sed etiam superaddidisse, sibi videri præcipiendum esse Gentibus " Ut abstineant se a contaminationibus simulachro„ rum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine ". Hæc enim Monarchico regimini non repugnant, atque semper æque constat, *Principem hujus decreti Petrum fuisse, legem post Evangelium non esse servandam*, sicuti inquit Sanctus Hieronymus (1).

Eos autem, quibus cura gregis commissa est, ut in sui officii munere diligentes sint, tum Paulus, tum Petrus citatis verbis adhortantur. Ut autem pastores gregi sibi commisso advigilent, Monarchico Ecclesiæ regimini repugnare quisnam unquam dixerit? Anne totius exercitus unum Supremum Ducem esse repugnat, semel ac sint in eo Duces inferiores, quorum unusquisque milites sibi commissos regat?

S. Joannes Chrysostomus *Homil. 86.* in *Joannem*, alias 85., num. 3., affirmat Christum dixisse, se mittere Apostolos, quomodo ipse a Patre jam missus erat, ut omnem ab eis difficultatem amoveret, qua ab imposito sibi munere suscipiendo deterreri poterant: " Nullam habebitis (inquit) diffi„ cultatem tum ob ea, quæ facta sunt, tum ob meam mitten„ tis auctoritatem: quapropter hoc dicit, aliorumque ani„ mum erigit, & magnam verbis fidem facit, siquidem ve„ lint opus ipsius suscipere ". S. Thomas lect. 4. in cap. 2. *Joannis* explicans illa verba: *Sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*, ita habet: " In hoc ostendit se mediatorem inter „ Deum, & homines 1. *Timoth.* 11. 5. *Mediator Dei*, *& ho„ minum homo Christus Jesus*. Hoc erat ad consolationem Di„ scipulorum, qui cognoscentes auctoritatem Christi, scie„ bant eum mittere ipsos auctoritate Divina. Item conside„ rantes dignitatem propriam, scilicet quod habeant officium „ proprium Apostolorum: Apostolus enim idem est, quod „ missus. Dicit ergo: *Sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*; „ id est, sicut Pater diligens me misit in mundum ad passio„ nem tolerandam pro salute Fidelium ..... ita ego diligens

„ vos,

(1) Epist. 75. alias 11. in Augustinianas.

„ vos , mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine
„ meo ".

Apostolis autem commissum a Christo fuisse, ut Evangelium ubique gentium promulgarent, & nemo est, qui neget, & verba Christi Apostolis præcipientis, ut docerent omnes gentes, manifeste præseferunt. Verum anne inde consequitur, ut ipsi suprema Ecclesiæ capita essent, neminemque supra se haberent? Minime. Totius ergo mundi curam sibi quidem commissam Apostoli habuerunt; & hoc quidem est, quod Christus innuit; non vero supremam, ob quam in universo Ecclesiæ regimine eis nemo præsideret. Id autem est jam satis ostensum a nobis (1): quo sane cetera quoque evanescunt, quæ tum de legatione Apostolorum, tum de eo, quod illa verba: *Pasce oves meas*, in solo Petro suum effectum non habuerint, Adversarius nobis opponit.

Matthæi cap. 18. v. 1. & seq., *Marci* cap. 10. v. 35. & seq., *Lucæ* cap. 9. v. 36. & seq., & Apostolos a Christo quæsivisse, quinam eorum supra ceteros præmineret, & eis respondisse quidem Christum legimus, modo ut singuli minimi omnium sese facerent, modo ut parvulis assimilarentur, modo ut essent ministri ceterorum, sicuti ipse fecerat; modo ut non evaderent similes Principibus gentium, modo suum non esse dare quibusdam, ut ad dexteram, vel sinistram suam sederent. At vero neque ex eo, quod hac de re a Christo Apostoli quæsierunt, neque ex responsione, quam Christus eis dedit, quod vellet Adversarius noster erui potest. Nam aliquando quidem Discipulos a Christo quæsivisse legimus, quis major esset in regno Cœlorum (2), aliquando autem matrem filiorum Zebedæi pro suis filiis Jacobo, & Joanne, rogasse Christum, ut eis duo prima loca tribueret in regno Cœlorum (3). Discipulis ergo illis, qui quæsiverunt, quisnam major futurus esset in regno Cœlorum, annumerandus non est Petrus. Nam, uti animadvertit S. Joannes Chrysostomus, orta fuit hujusmodi quæstio, quemadmodum apud *Matthæum* cap. 20.

(1) Lib. 18. cap. 1. & 2. (2) *Matth.* cap. 18. v. 1., *Marci* cap. 9. v. 33., & *Lucæ* cap. 9. v. 46. (3) *Matth.* cap. 20. v. 21.

cap. 20. v. 1. & ſeq. legimus, poſtquam ſoli Petro id quoque honoris a Chriſto tributum viderunt, ut eum in ſolutione tributi ſibi conjunxerit: „ Humanum quidpiam (inquit San„ ctus Præſul *Homil.* 58. in *Matth.*, alias 59., num. 2.) paſſi „ Diſcipuli ſunt: quod & Evangeliſta ſignificat dicens: *in* „ *illa hora*, quando plus, quam ceteros omnes, illum honora„ ret . . . . . Hinc pudore affecti animi ſui commotionem con„ feſſi ſunt, neque aperte dicunt, cur Petrum nobis prætu„ liſti? Num ille major nobis eſt? non audebant enim, ſed „ indefinite interrogant: Quis major eſt? Nam quum tres „ viderunt præferri ceteris, nihil ſimile paſſi ſunt; quum au„ tem unus tantum honorem tulit, tunc dolore ſunt affecti. „ Neque hoc ſolum, ſed alia multa congerentes accenſi ſunt. „ Nam dixit illi: *Tibi dabo claves*; &: *Beatus es Simon Barjo*„ *na*; & hic: *Da ipſis pro me*, *& te*; itemque fiduciam ejus, „ & loquendi libertatem videntes pungebantur“. In eamdem rem ita habet etiam S. Thomas in *Matthæi* 18. cap. “ Occaſio „ interrogationis ſumitur ex hoc, quod dictum eſt Petro, „ quod iret ad mare, & ſtaterem inventum in piſce ſolveret „ pro ipſo, & pro Petro, unde videbatur eum aliis prætuliſ„ ſe: & quia erant adhuc infirmi, ideo aliquem zelum, & „ invidiæ motum paſſi ſunt“. Verum, ut ſuperaddit S. Joannes Chryſoſtomus *Homil.* 65. in *Matthæum*, alias 66., num. 4. „ Poſt hæc (ſcilicet accepto Spiritu Sancto) oſtende illos mi„ hi, & videbis omnibus hiſce affectibus vacuos. Audi quo„ modo hic ipſe Joannes, qui nunc hac de cauſa acceſſit, pri„ mas ſemper Petro cedat, & concionanti, & miracula eden„ ti in Actibus Apoſtolorum“.

Omnes autem Apoſtoli ſuper Diaconos electos manus impoſuerunt: verum munus imponendi manus æque competebat omnibus, neque de ſuprema præfectura Petri ſuper univerſam Eccleſiam aliquid inde detrahebatur. Neque enim talis ea erat, ut neminem in Apoſtolatu parem pateretur.

Quum vero inferiores, non autem æquales, multoque minus præſtantiores mitti ſoleant ab aliis vel æqualis dignitatis, vel longe inferioris; quia Petrus ab Apoſtolis ad Samaritas

tas missus legitur, inde inferri deberet, non quidem omnium Apostolorum parem fuisse auctoritatem, sed ea Petrum inferiorem ceteris. At vero Princeps Apostolorum mitti potuit ab Apostolis, quin majestas, & dignitas illius læderetur. „ Ignorare convincuntur Novatores (inquit Baronius ad an. „ 35. num. 11.) complura in Scriptura Divina, & innumera, „ quæ sunt de his in profanis scriptis exempla, quibus sa- „ tis superque perspicuum redditur, ad ea, quæ maximi „ omnium visa sunt esse momenti, peragenda, qui inter ce- „ teros primatum gererent, legatos missos, quum ipsi non „ sic quidem mitti dicerentur, quasi a majore minores, & „ ut a Domino subditi, sed quod rogarentur ob salutem „ omnium eam suscipere functionem. Subjiciam de his alterum „ ex Veteri, alterum vero ex Novo Testamento exemplum; ad- „ dam & tertium ex auctore profano, ut res omni scripturarum „ genere testata reddatur. Legitur in primis in libro Josue cap. „ 22., filios Israel ut de re magna ad investigandum de altari, „ quod trans Jordanem erexerant filii Ruben, Gad, & me- „ dia tribus Manasses in terra Galaad, misisse Phineem, „ qui habebatur omnium Princeps, & decem alios, qui in „ singulis decem tribubus primatum gerebant. Rursum simi- „ li huic urgente causa, ad perquirendum quid de Gentili- „ bus, qui Christo crederent, agendum esset, num circum- „ cidi deberent, tunc qui erant Antiochiæ Fideles Paulum, „ & Barnabam miserunt ad consulendum Apostolos Hieroso- „ lymis, *Actor.* 15., quod testatur S. Lucas. Sed quid pro- „ fanus auctor etiam in his, quæ sunt Judæorum, Josephus „ Judæus in hanc sententiam scribat, adducamus in medium: „ Judæos nempe, qui erant Hierosolymis, quum adversus „ Agrippam suum ipsorum Regem, nec non adversus Fau- „ stum Præsidem causam haberent, misisse Romam ad Nero- „ nem Imperatorem non solum ex primoribus Judæorum de- „ cem legatos, sed & cum eis Ismaelem Summum Pontifi- „ cem, & qui huic secundus ordine videbatur, Chelciam „ sacri custodem ærarii. Ecce quam invalidis, & plane inef- „ ficacibus rationibus illi obnitantur in Primatum Petri,

„ quum

„ quum omnium Principem eadem hæc ipſa potius declarare
„ videantur “.

Tandem nimis infirmum eſt illud argumenti genus; quod ex ea reprehenſione ducitur, quam Paulus fecit Petro. Non ſolum enim ab æquali, ſed etiam ab inferiori ſuperior moneri poteſt, immo & debet, ſi id ratio poſtulet, atque utilitas publica ſuadeat. Sicut enim æqualis ab æquali, quamvis unum ſupra alterum nihil habeat auctoritatis; ita etiam ſuperior ab inferiori reprehendi poteſt, dum hujuſmodi reprehenſioni æquo jure locus ſit, aut eſſe debeat. Ex eo ergo quod Petrus a Paulo ſibi inferiore reprehendi paſſus fuerit, eique non reſtiterit, ſuæ quidem modeſtiæ, atque humilitatis evidens argumentum præſetulit, non vero ſe eſſe inferioris, aut æqualis conditionis ſignificavit. “ Nec Petrus (in-
„ quit S. Cyprianus epiſt. 71.) quem primum Dominus ele-
„ git, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, quum ſe-
„ cum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vin-
„ dicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut
„ diceret, ſe Primatum tenere, & obtemperari a novellis,
„ & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum, quod
„ Eccleſiæ prius perſequutor fuiſſet, ſed conſilium admiſit “.
Petri tamen vitium *converſationis* fuit, non *inſpirationis*, uti inquit Tertullianus *de Præſcript. Hæret.* cap. 23., & modo ut animos gentium, quæ Chriſtianam fidem amplexæ fuerant, ſibi magis devinciret, manducandum cum eis, modo, advenientibus Judæis, ab hoc abſtinendum ipſe duxit, ne animos Judæorum addictos cæremoniis Judaicis offenderet. “ Ad
„ hæc (inquit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. *Contra Julianum*,
„ qui S. Petrum uti hypocritam traducebat) audax ille, &
„ confidens Petrum Apoſtolorum præcipuum cavillatur, &
„ hypocritam eſſe dicit, atque a Paulo reprehenſum, quod
„ modo Græcorum, modo Judæorum ritu vivere vellet,
„ ignorans plane in his ſingularem conſilii rationem. Non
„ enim diverſa ſentiebat ille Diſcipulus, ſed congrua mode-
„ ratione tempeſtive utens, omni ratione prodeſſe ſtudebat
„ iis, qui ad ſe venirent. Quum autem unis ritibus addictus
„ eſſet

„ esset E.Paulus, aggressus commonefecit. Metuebat enim, „ ne propositum lateret, & ille dispensandi modus nonnullos „ offenderet“.

§. V. S. Ignatii Martyris, S. Irenæi, & Tertulliani auctoritate Aristocratici frustra gloriantur.

Mirum sane est, quam multa ex auctoritate Patrum Marcus Antonius de Dominis depromat, ut ei conforme esse ostendat, quod de Aristocratico Ecclesiæ regimine ipse tuetur. Ea ergo nos in quibusdam distinctis §§. complectemur, atque refutabimus, ne ullus confusioni locus detur. Hæc ergo ex laudatis Patribus opponit (1). S. Ignatius epist. *6.* ad *Philadel.* “ Sicuti (inquit) Pseudo-Prophetæ, & Pseudo- „ Apostoli unum eumdemque malignum, & seductorem, & „ populum errare facientem spiritum assumpserunt; sic ite- „ rum veri Prophetæ, & veri Apostoli unum eumdemque „ sanctum, bonum, principalem, & verum, atque docto- „ rem per Christum acceperunt spiritum“. S. Irenæus lib.*3.* *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 1. “ Etenim si recondita mysteria „ scissent Apostoli, quæ seorsim, & latenter a reliquis per- „ fectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus „ etiam ipsas Ecclesias committebant“. Tertullianus lib. *de Præscriptionibus* cap. *6.* “ Apostolos sese habere auctores (af- „ firmat); qui nihil e suo arbitrio elegerunt, sed acceptam a „ Christo disciplinam nationibus adsignaverunt“.

Verum hæc nullo adjumento Aristocraticis esse posse, ex ipsa eorumdem simplici lectione constat, nulla etiam habita ratione ceterorum, quæ sequuntur, aut præcedunt. Namquamvis non in apocrypha (2), sed in genuina Ignatii epistola legeretur, Pseudo-Apostolos malum, veros Apostolos bonum spiritum accepisse, quid tandem inde pro se concludere noster Adversarius posset? Anne inter se hæc duo pugnant, hoc est, Apostolos bonum spiritum accepisse, & supra omnes Primatum auctoritatis, & jurisdictionis fuisse Petro delatum? Nullum hic esse non solum repugnantiæ, sed ne difficiliori qui-

(1) *De Repub. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 3. num. 3. (2) Vide Cotelerium tom. 2. Patrum. Apostolicorum.

quidem intelligentiæ locum, quis non videat? In genuina autem epistola *ad Philadelph.* num. 5. S. Martyr affirmat, se confugere " Ad Evangelium, tamquam ad carnem Christi, " & ad Apostolos, veluti ad Ecclesiæ Presbyterium ". Apostolos autem Ecclesiæ Presbyterium fuisse, & Monarchicorum nemo negat, & illud quoque inde colligitur, hujus Presbyterii aliquod supremum Caput extitisse, quod ei præsideret, ne esset corpus sine capite.

Ad adstruendam autem veritatem sacrarum Traditionum citatus Irenæi locus quam maxime facit, nihil autem ad comprobandum Apostolos quoad omnia æquales fuisse. Nam eo tantum suadetur, omnes Apostolos cognitionem habuisse reconditorum mysteriorum, *quæ seorsim, & latenter ab reliquis perfectos docebant*. Hoc autem quis negat? Nonne omnes Apostoli divinitus instructi fuerunt, & Spiritum Sanctum accepere? Nonne multa sola voce tradiderunt, quæ ad nos pervenisse testamur, dum sacras Traditiones tuemur? Quid? Nonne Irenæus in eodem capite num. 2. tam evidens testimonium de Romanæ Ecclesiæ Primatu perhibet, ut nihil supra desiderari possit? " Ad hanc enim Ecclesiam (ita de Romana habet cap. 3. num. 1.) propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio ".

Sequendam autem non esse doctrinam Apostolorum, anne Monarchici fortasse tuentur? vel si doctrinam Apostolorum sequamur, de Petri Primatu actum ne est? Hæc tamen dici deberent, ut quæ Adversarius ex Tertulliano profert, haberent eam vim, quam ipse vellet. Ceterum Tertullianus Petrum esse illam petram, supra quam Christus Ecclesiam ædificandam promisit, non in uno, sed in pluribus locis adeo perspicue docuit, ut nihil supra desiderari posse videatur. " Latuit aliquid Petrum (inquit *de Præscriptione Hæreticorum* " cap. 22.) ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni " Cœlorum consequutum, & solvendi, & alligandi in Cœlis,

„ lis, & in terris potestatem " ? Idem tradit *de Monogamia* cap. 8., & in lib. *de Pudicitia* cap. 1.

§. VI. S. Cyprianum consentire Aristocraticis nemo unquam dixerit.

Hisce ergo, quæ habet S. Martyr in lib. *de unitate Ecclesiæ* suam sententiam adstruere Adversarius noster contendit (1). " Loquitur Dominus ad Petrum (inquit S. Martyr): „ Et ego dico tibi, ait, quia tu es Petrus, & super istam „ petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non „ vincent eam. Et tibi dabo claves regni Cœlorum, & quæ „ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque „ solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et „ iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves „ meas. Et quamvis Apostolis omnibus æqualem potestatem „ tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: „ accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur „ illi, & si cui retinueritis, tenebuntur: tamen ut „ unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno „ incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & „ ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, „ & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, „ ut Ecclesia una mostretur ". Ex quibus Adversarius ita argumentatur: " Si enim volumus utrumque dici a Cypriano, „ & Apostolos omnes omnino pares fuisse Petro in „ honore, & potestate, & Petrum unum fuisse, qui potestate „ in Ecclesia, uti supremus reliquis omnibus antecelleret, „ certe contrariæ erunt duæ propositiones, immo & contradictoriæ. „ Nam si omnes potestate æquales: ergo Petrus non „ est potestate supremus; & ita Cyprianus affirmabit, Petrum „ esse supremum in potestate, & negabit esse supremum in „ eadem, dum omnes asserit esse pares. Eos porro esse omnes „ pares, apertissime, & conceptissimis verbis affirmat: Petrum „ autem habere superioritatem neque dicit, neque innuit, „ neque docere poterat, si sibi constare volebat ".

Deinde ista quoque alia urget: 1. Hæc verba: *Primatus*

(1) Lib. 1. *De Repub. Ecclesiast.* cap. 7. num. 18. & seq.

Petro datur, intrusa a Pamelio fuisse ob nimiam fidem, quam Aldo Grammatico habuit: *Cathedræ* quoque nomen superadditum dicit. 2. Affirmat, Apostolos pares in auctoritate cum Petro non eo sensu a Cypriano dici, ut pares sint *in ordine ad Ecclesiam, & alios Fideles, sed si comparentur inter se*, quia a S. Cypriano comparatio instituitur *inter Apostolos, & Petrum, & inter Apostolos inter se*. Unde animadvertit, quod " Consortium significat communionem potestatis inter ipsos potestatem habentes ". 3. Ideo Christum secundum Cypriani sententiam uni tantum Petro loquutum fuisse affirmat, quando de conferendo Ecclesiæ regimine agebatur, ut unitatem manifestaret, indeque Cyprianum dixisse animadvertit: " Unitatis ejusdem originem ab uno incipientem Christus disposuit ". Ex quibus ita concludit: " In toto enim mundo unica sola Christi Ecclesia erat futura, & ab Apostolis in solidum laborantibus erigenda. Hujus unitatis Ecclesiæ mysterium in eo latebat, quod Dominus cum uno Apostolo loquitur ". Hinc unum Petrum, & non alios *pro typo, & mysterio unitatis Ecclesiæ in exordio tractationis* a Christo assumptum dicit. " Atque hæc (inquit) fuit prærogativa magna Petri, sed personalis; nullusque ei Primatus hinc stabilitus fuit, nisi cujusdam dignitatis, excellentiæ, honoris, & bonæ existimationis: quod totum fuit personale ". 4. Ad unitatem Ecclesiæ esse quoque referendum dicit, quod de unitate Cathedræ affirmavit S. Cyprianus, quemadmodum in nonnullis Codicibus legitur, non vero ad Romanam Cathedram, idque ex Cypriano manifestum esse contendit (1). 5. Docet, S. Cyprianum etiam in epistola ad Jubajanum (2) unicæ Cathedræ nomine intelligere *unicam in solidum totius universalis Ecclesiæ potestatem*.

Adversarii nostri ratiocinationem primo expendamus; deinde de vera sententia S. Cypriani dicemus. Quia ergo, ipso sentiente, S. Cyprianus sibi contradiceret, si simul posuisset, & omnes Apostolos *potestate æquales*, & Petrum esse *supremum in potestate*, quum tunc Petrus simul esset, & non esset

(1) Epist. 40. (2) Epist. 73.

ſet *in poteſtate ſupremus*, nullam in Petro *ſuperioritatem* ſupra ceteros a S. Cypriano admiſſam fuiſſe colligit. At eadem ratione Catholici ita contra eum agere poſſent: Cyprianus ſibi contradiceret, ſi Petrum in poteſtate ſupremum, & Apoſtolos poteſtate æquales ſimul faceret, quia Apoſtoli tunc eſſent æquales, & non æquales: ne ergo S. Cyprianum contradictione implicatum dicamus, affirmandum eſt Apoſtolos non fuiſſe in poteſtate æquales. Quid ad hæc Adverſarius? *Apertiſſime*, inquit, & *conceptiſſimis verbis* S. Cyprianus affirmat, omnes Apoſtolos eſſe pares; *Petrum autem habere ſuperioritatem neque innuit, neque dicit, neque docere poterat, ſi ſibi conſtare volebat*. Ita ne vero? *Super unum*, hoc eſt, ſuper Petrum Eccleſiam fundatam S. Cyprianus profecto dicit, atque ita dicit, ut id ex Sacris Litteris certiſſimum eſſe præſupponat. Quoad hoc ergo Petrum a ceteris aliis Apoſtolis ſecernit, ſingulariterque illi tribuit eſſe Eccleſiæ, & quidem univerſe, atque generatim acceptæ fundamentum. Eſſe autem ſingulariter totius Eccleſiæ fundamentum, anne ſingularem dignitatem, poteſtatem, atque præfecturam ſecum non importat? Hoc ergo etiam loci, quem Adverſarius pro ſe in medium adducit, S. Cyprianus tradit, S. Petrum habuiſſe *ſuperioritatem*.

Verum & alibi quoque rem eamdem S. Cyprianus teſtatam facit. Epiſtola 55. ad Cornelium de Fortunato, & Feliciſſimo, aliiſque Africæ Schiſmaticis, & Hæreticis, qui ut Summum Pontificem fallerent, Romam ſe contulerant, ita habet: „ Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab „ hæreticis conſtituto, navigare audent, & ad Petri Cathe„ dram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sa„ cerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis, & profanis litteras „ ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apo„ ſtolo prædicante, laudata eſt". Epiſtola 67. ad Stephanum fatetur Romanum Pontificem Epiſcoporum ſupremum judicem eſſe, atque pertinere ad eum errantes Epiſcopos ad rectam fidem revocare, in errore autem contumaces exauctorare. Ita ergo in ea habet de Marciano Epiſcopo Arelatenſi,

tensi, qui Novatiano consenserat: "Quapropter facere te
„ oportet plenissimas litteras ad Coepiscopos nostros in Gal-
„ liis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem, & super-
„ bum, & Divinæ pietatis, ac fraternæ salutis inimicum col-
„ legio nostro insultare patiantur..... Dirigantur in Provin-
„ ciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, qui-
„ bus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur".
Quemadmodum autem Petrus de Marca recte monet *de Concordia Sacerdotii, & Imperii* cap. 10. §. 8.. "Nulla industria
„ Novatores hoc testimonium Cypriani elevare possunt. Futi-
„ lis est enim illa responsio, non deponi a Stephano Marcia-
„ num, sed deponendum declarari. Quin immo conceptis
„ verbis Cyprianus exigit a Stephano, ut suis litteris Marcia-
„ num damnet, atque adeo alium substituendum decernat".
Epistola 71. ad Quintum (1) postquam tradit Petrum, & *Primum* electum a Christo fuisse, & super eum Christum ædificasse suam Ecclesiam, animadvertit Petrum, quando a Paulo reprehensus fuit, insolenter, aut arroganter sibi aliquid non assumpsisse, "Ut diceret se Primatum tenere, & obtempera-
„ ri a novellis, & posteris sibi potius oportere" sed admisisse consilium veritatis. Primatum ergo in S. Petro Cyprianus agnovit, & quidem auctoritatis, & jurisdictionis, propter quod novelli, & posteri illi obtemperare deberent; tamen inde Petrum aliquid insolenter, aut arroganter sibi non assumpsisse idem Cyprianus animadvertit, sed consilium veritatis admisisse, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensisse. Quia vero *Matthæi* cap. 3. v. 18. & seqq. legimus Petrum, & Andream simul a Jesu Christo vocatos fuisse, simulque etiam eos vocationi Christi obtemperasse; ideo dicendum est, putasse Cyprianum, Petrum esse omnium Apostolorum *Primum*, non quia omnium primus vocatus a Christo fuerit, sed quia eum Christus ceteris præfecit.

Ex hisce vero, quod secundo loco præstandum promisimus, ita perficimus. Dubitari non potest, quin ille Summum Pontificem in dignitate, auctoritate, atque potestate ceteris

(1) Vide locum ejus §. 4. hujus cap.

teris Apostolis prætulerit, qui statuit *super unum Petrum* Ecclesiam universe, & generatim acceptam ædificatam esse; qui affirmat, a *Petri Cathedra*, & *Ecclesia principali* unitatem Sacerdotalem exortam esse; qui docet Romanum Pontificem Episcoporum supremum judicem esse; qui tradit Petrum omnium *Primum*, & quidem habita ratione dignitatis, & auctoritatis, a Jesu Christo electum, atque in eo hujusmodi Primatum fuisse, propter quem alii Apostoli illi obtemperare deberent: at hæc omnia a S. Cypriano tradita accepimus, sicuti constat ex iis locis, quæ modo in medium protulimus, ut alia omittamus, quæ proferre possemus: nullus ergo superest dubitandi locus, quin S. Cyprianus Summum Pontificem in dignitate, auctoritate, atque potestate ceteris Apostolis prætulerit.

Ei loco, quem *de Unitate Ecclesiæ* Adversarius citat, post illa verba: *Exordium ab unitate proficiscitur*, hæc alia superaddita fuisse: *Et Primatus Petro datur*; sicut post alia hæc: *ut una Christi Ecclesia*, ista superadjecta: *Et Cathedra una*, sunt qui cum Adversario nostro sentiant (1). Verum ex vetustate Codicum statuendum est, quænam sit libri alicujus vera lectio, quemadmodum Mamachius monuit (2). Quæ autem de Primatu apud S. Cyprianum in pluribus sane Codicibus leguntur (3) a Pelagio II. laudata fuisse novimus (4) epist. 74. ad Episcopos Istriæ. Eos autem Codices, in quibus verba illa: *Primatus Petro datur*, non leguntur, esse eo, aut illis, antiquiores, quo, vel quibus Pelagius seculo 6. usus fuit, credibile non est. Sed fac, verba illa: *Primatus Petro datur*, superaddita fuerint, anne quod significatur voce Primatus iis omnibus in locis S. Cyprianus distincte non expressit, de quibus mentionem modo fecimus? anne in hoc eodem libro *de Unitate Ecclesiæ* paulo post ea, quæ Adversarius in medium adcit, ita Cyprianus non habet? " Qui Ecclesiæ renititur, & " resistit, qui Cathedram Petri super quem fundata est Eccle- " sia

(1) Vide Baluzium ad hunc locum. (2) *Origin. & Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 2. cap. 1. §. 3. num. 1. Adnot. 3. (3) Mamachius cit. loco. (4) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 419.

„ sia, deserit, in Ecclesia se esse confidit " ? Et quidem illa quoque verba: *Qui Cathedram Petri*, *super quem fundata est Ecclesia*, non minus apud Pelagium in citata epistola leguntur, quam in pluribus antiquioribus Codicibus (1). Nonne Cyprianus de visibili Ecclesia sermonem deinde habens, ac propterea etiam de ejus visibili capite, ducta similitudine a lumine, a robure, a fonte, quæ in se sunt quid unum, quamvis radii, rami, & rivi sint plures, Ecclesiæ *unum Caput* esse pronuntiat? Quod ergo voce Primatus significatur, in hoc eodem libro *de Unitate Ecclesiæ* ulla sine ambiguitate S. Cyprianus expressit. Epistola autem 40. de Cathedra ita habet: " Deus „ unus est, & Christus unus, & Cathedra una supra petram „ (vel supra Petrum juxta Manutium) Domini voce funda- „ ta ". Epistola 75. inde contra Stephanum, quamvis immerito sane, & propter errorem, in quo versabatur, irascitur, quia nullo adversus hæreticos zelo excitaretur, quamvis *per successionem Cathedram Petri habere se prædicaret*. Ex silentio ergo illarum vocum *Primatus*, & *Cathedræ*, quod in nonnullis Codicibus occurrit in libro Cypriani *de Unitate Ecclesiæ*, nihil sane Adversarius contra nos evincit.

A Cypriano autem institui comparationem *inter Petrum*, *& Apostolos*, atque *inter Apostolos inter se*, illi damus: verum quod ipse vellet, inde non consequitur. Si enim Cypriani locus *de Unitate Ecclesiæ* legatur, etiam prout ab eo in medium adducitur, dum Cyprianus illud prius facit, in solo Petro unitatis fundamentum, & exordium ponit, atque antea commemorat, quæ ei singulariter, non vero ceteris Apostolis, dicta fuisse legimus: dum vero alterum præstat; omnes Apostolos facit æquales, eorumque mentionem habet, quæ Christus æque dixit omnibus Apostolis.

Quando autem Christus de supremo Ecclesiæ regimine egit, non ea solum de causa, quemadmodum Adversarius vellet, cum uno tantum Petro loquutus fuit, ut in eo uno mysterium unitatis repræsentaretur, sed etiam ut unus Petrus, & quidem etiam juxta Cypriani sententiam, esset fun-da-

(1) Vide Baluzium in hunc locum.

damentum, & exordium hujusmodi unitatis, ac propterea quia erat exordium, & fundamentum unitatis, in se repræsentaret mysterium illius. Illud enim ad istud præsupponitur, non vero istud ad illud.

Falsum autem esse, quod de unitate Cathedræ Cyprianus tradit, ad unitatem Ecclesiæ referendum esse, non vero ad unitatem Romanæ Cathedræ, ex ea quoque epistola constat, de qua Adversarius mentionem facit. Nam epistola 40., uti supra commemoravimus, hæc habet S. Martyr: „ Deus unus „ est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una su„ per petram (vel super Petrum juxta Manutium) Domini „ voce fundata ".

Dum vero Ecclesia dicitur una, ad Ecclesiam totam, quanta est, unitatem referri oportere, nos quoque concedimus, immo sentiendum esse statuimus: at unde hæc unitas habetur ex Cypriani sententia in epistola 73. ad Jubajanum? „ Nam (inquit ipse) Petro primum Dominus, super quem „ ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, „ & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in „ cœlis, quod ipse solvisset in terra ". A Petro ergo, quia est caput Ecclesiæ, suam hæc unitas originem habet juxta Cypriani sententiam. Hinc vero est, ut in eadem epistola Ecclesiæ, & capitis unitatem simul conjungat inquiens: „ Quo venturus est, qui sitit, utrumne ad hæreticos, ubi „ fons, & fluvius aquæ vitalis omnino non est, an ad Eccle„ siam, quæ una est, & super unum, qui & claves ejus acce„ pit, Domini voce fundata est "? Trahere ergo Cyprianum in suum sensum irrito conatu, utpote contra evidentem veritatem, Adversarius noster laborat.

Illud quoque opponit in citato lib. 1. cap. 3. num. 8. Cypriani dictum, hoc est, quod de æqualitate Apostolorum Cyprianus affirmavit, usurpatum ab Anacleto fuisse, seu ab alio auctore illarum epistolarum, quæ Anacleto tribuuntur, in epistola 2., & habetur *Distinct.* 21. cap. *In Novo*. Ejusdem capitis num. 15. etiam Victorem S. Cypriani discipulum, & successorem, ejusdem, ac Cyprianum, juxta suam falsam inter-

interpretationem, sententiæ auctorem facit, atque plura ex Victore refert, quæ, uti ipse habet, apud Baronium leguntur tom. 8. *Annalium Ecclesiast.* an. 646. num. 22.

At vero non est, cur de Anacleti sententia laboremus: nam nihil tale ab Anacleto scriptum revera fuisse, etiam Adversarius noster fatetur. Deinde dictum Cypriani eo sensu, quod illud idem Cyprianus protulit, usurpatum fuisse dicere possumus, immo & debemus, ab auctore epistolarum, quæ Anacleto tribuuntur. Quo autem sensu Apostolos fuisse inter se æquales, Cyprianus dixerit, satis, ut arbitror, a nobis jam explicatum est. *Distinct.* autem 21. cap. *In Novo*, antequam quidquam de Apostolorum æqualitate dicatur, hæc habentur, quæ ostendunt, Petrum præfuisse ceteris: " In No-
„ vo Testamento post Christum Dominum a Petro Sacerdota-
„ lis cœpit ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Chri-
„ sti datus est, Domino dicente ad eum: *Tu es Petrus &c.* "

Victor autem Cypriani successor ita in ea epistola habet, quam ad Theodorum scripsit (1): " Vestræ Beatissimæ frater-
„ nitatis apud Deum acceptabilia opera, & conversatio glo-
„ riosa pene toto mundo sunt manifesta. Prædicationibus igi-
„ tur Apostolicis, & doctrinis dum veræ fidei cultura univer-
„ sa repleta sit terra, per Divinorum tamen eruditionem elo-
„ quiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, su-
„ perædificatur orthodoxa Christi Ecclesia, Apostolica insti-
„ tutione fundata, & a fidelibus Patribus firmissime robora-
„ ta. Ad quam omnes Apostoli pari honoris, & potestatis
„ consortio præditi, populorum agmina convertentes, pie,
„ & sancte de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem ...
„ monitis perduxerunt ". Horum exempla sequi Theodorum Victor deinde dicit, ejusque, postquam suæ fidei rationem eidem exposuit, esse affirmat illis omnibus *canonice* obviam ire, quæ veræ fidei adversantur: " Vestrum est, (inquit)
„ frater charissime, canonica discretione sollicita contrariis
„ Catholicæ fidei obviare, nec permittere noviter dici, quod
„ Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit ".

Apo-

(1) Apud Baronium an. 646. num. 15.

Apoſtolos itaque omnes in Evangelicæ promulgatione legis Victor facit æquales : in quo ſane nemo Catholicorum Adverſario noſtro repugnaverit : exempla Apoſtolorum ſequi Theodorum, deinde tradit : quo certe commendat probitatem illius, auctoritatem vero nullo modo deprimit: tandem ejus eſſe affirmat, *canonica diſcretione ſollicite contrariis Catholicæ fidei obviare*. Hoc vero dum facit, illius ſupremæ poteſtatis in univerſam Eccleſiam apertum, atque evidens teſtimonium reddit. Nam ſupremi tantum Capitis eſt, *canonica diſcretione* ſeſe opponere omnibus erroribus, qui ubique locorum in Eccleſia naſcuntur.

§. VII. Auctoritate Synodi V. Œcumenicæ, & SS. Hieronymi, & Auguſtini ſuum errorem confirmare Adverſarius noſter fruſtra conatur.

Ex *Collatione* 8. Synodi Œcumenicæ illud opponit (1), Patres in memoriam Vigilii revocaſſe exemplum Apoſtolorum, qui, licet Spiritus Sancti gratia repleti eſſent, & conſultatione non indigerent ad ea, quæ agenda forent; tamen una ſimul convenerunt, ut gentes ad obſervationem legalium cogendas non eſſe ſtatuerent (2). Verum ex hoc non quod vult Adverſarius colligitur, ſed illud tantum, inſtitutioni Apoſtolorum conforme eſſe, ut una ſimul cum ſupremo capite Eccleſiæ Præſules conveniant ad judicium de iis ferendum, quæ ſpectant ad Eccleſiam. Hoc tamen dum fit, ſupremum Eccleſiæ caput præeſſe ceteris, atque ipſum ſua auctoritate confirmare, quod communi conſenſione ſtatutum fuerit, ut ab hoc Œcumenico Concilio non recedamus, ex epiſtola decretali Vigilii pro confirmatione V. Synodi conſtat (3).

Hæc, quæ habet Hieronymus epiſtola 59. ad Marcellam juxta editionem Vallarſii, alias 148., num. 5., dum reſpondet ad eam quærentem, utrum Chriſtus alibi fuerit, dum hic in terris cum Apoſtolis converſaretur, Adverſarius

 nobis

(1) Lib. 1. cap. 3. num 8. (2) Vide tom. *6*. Concil. edit. Venet. colum. 199. (3) Vide Diſſert. Petri de Marca, quæ habetur etiam in cit. tomo.

nobis opponit (1): " Erat igitur uno eodemque tempore &
" cum Apostolis quadraginta diebus , & cum Angelis , &
" in Patre , & in extremis maris finibus erat , in omnibus
" locis versabatur: cum Thoma in India , cum Petro Ro-
" mæ , cum Paulo in Illyrico , cum Tito in Creta , cum
" Andrea in Achaja , cum singulis Apostolis , & Aposto-
" licis viris , in singulis cunctisque regionibus ". Quis sane id unquam negaverit ? Verum anne inde consequitur, unum aliquem ceteris Apostolis non præfuisse ? Sua gratia Deus adest in omnibus , qui super omnia ipsum diligunt : istos ergo omnes esse inter se potestate , atque auctoritate æquales dicendum esset, si Adversarii nostri ratiocinatio valeret. Quo certe constat , quam omnino futilis ea sit.

Auctoritati Hieronymi adhuc insistit (2): hæc ergo ex Hieronymi lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. pro se in medium adducit: " At dicis super Petrum fundatur Eccle-
" sia , licet id ipsum super omnes Apostolos fiat , & cuncti
" claves regni cœlorum accipiant , & æque super eos Ec-
" clesiæ fortitudo solidetur ; tamen propterea inter duode-
" cim unus eligitur, ut, capite constituto , schismatis tol-
" latur occasio ". Tanta tamen est Adversarius noster cæcitate involutus , ut in eo victoriam reponat , quo de suo errore convincitur . Nam juxta S. Hieronymum Petrus ad tollendam occasionem schismatis caput Apostolorum constitutus fuit: ergo cum auctoritate supra ceteros fuit constitutus , alioquin frustra omnino id ei muneris demandatum fuisset , ut ea schismata tolleret , quæ orirentur . Qui enim tollere ea schismata debet, quæ inter æquales oriri possunt, aliqua super eos auctoritate oportet , ut præfulgeat . Petrum vero , ex eo quod caput omnium constitutus esset , aliquid singulare a Deo recepisse , quod ceteri Apostoli non receperunt , etiam hoc loci S. Hieronymus affirmat . Postquam enim S. Joannem ob virginitatem quam maxime commendavit , eumque valde a Deo dilectum fuisse dixit ; tamen ut non Joannes, sed Petrus ad dignitatem capitis Apostolo-

(1) Lib. 1. cap. 3. num. 5. (2) Cit. lib. & cap. num. 9.

ſtolorum evectus fuerit, inde factum affirmavit, " Ne adhuc
" adoleſcens, & pene puer progreſſæ ætatis hominibus præ-
" ferretur ".

Ex his vero conſtat, quam ulla ſine ratione ex eodem Hieronymi loco hæc alia Adverſarius urgeat: " Petrus Apo-
" ſtolus eſt, & Joannes Apoſtolus: maritus, & virgo. Sed
" Petrus Apoſtolus tantum: Joannes & Apoſtolus, & Evan-
" geliſta, & Propheta ". Hic enim S. Hieronymus duo ſingularia dona Joannis commemorat, ob nullum tamen eorum Joannes ceteris Apoſtolis prælatus fuit, quemadmodum erat Petrus caput ceterorum conſtitutus ad tollendam occaſionem ſchiſmatis.

Iſta quoque alia ex eodem Hieronymi libro opponit:
" Joannes, & Jacobus, qui plus ceteris petierunt, non
" impetraverunt; & tamen non eſt dignitas eorum immi-
" nuta, quia reliquis Apoſtolis æquales fuerunt ". Qua maxima diligentia potui legens lib. 1. Hieronymi *Adverſus Jovinianum* juxta Vallarſii editionem, hæc nunquam deprehendere potui; verum quamvis ea apud Hieronymum vel in citato libro, vel in aliis ejuſdem operibus legerentur, nihil ſane referret. Nemo enim negat, Joannem, & Jacobum, ceteroſque item Apoſtolos fuiſſe inter ſe dignitate, atque poteſtate æquales, ſi ipſius Apoſtolatus ratio habeatur. Quoad Apoſtolatum ergo Joannes, & Jacobus ceteris Apoſtolis, Petro etiam non excepto, æquales perſtiterunt, quamvis aſſequuti non fuerint a Chriſto, quod petierunt.

Præclare autem, & valde acute ad hæc Hieronymi verba epiſtolæ 16. ad Damaſum juxta editionem Vallarſii, alias 58.
" Idcirco obteſtor Beatitudinem tuam..... ut qui Apoſto-
" ſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito ", Adverſarius animadvertit (1), a Hieronymo dictum: *Apoſtolos honore ſequeris, non vero Petrum*. Quid? Anne fortaſſe Damaſus Apoſtolos honore non ſequebatur, ex eo quod ſicut Apoſtolorum præcipua cura fuit, ut Chriſtiana fides ubique propagaretur; ita eſt etiam Romani Pontificis in rem eamdem dili-

 gen-

(1) Cit. lib. & cap. num. 11.

gentiſſime advigilare? Anne Damaſus tum Apoſtolos, ipſius Apoſtolatus habita ratione, tum Petrum, habita ratione ſupremi Eccleſiæ regiminis, merito, atque honore ſequi non poterat? Non enim implicat, ut quis quoad unam rem comparetur cum inferioribus, licet quoad alteram ſit æqualis illi, qui iiſdem inferioribus præeſt.

A Hieronymo ad Auguſtinum Adverſarius appellat, atque hæc ex Auguſtino in medium adducit. Libro *De Agone Chriſtiano* num. 32. " Non enim (inquit Auguſtinus) „ ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catho- „ licæ perſonam ſuſtinet Petrus: huic enim Eccleſiæ claves „ regni cœlorum datæ ſunt, quum Petro datæ ſunt. Et „ quum ei dicitur, ad omnes dicitur: *Amas me? paſce oves* „ *meas* ". *De Baptiſmo contra Donatiſtas* num. 22. " Nam „ quod in typo unitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, „ ut id ſolveretur in terris, quod ille ſolviſſet; manifeſtum „ eſt, quod illa unitas etiam una columba perfecta ſit dicta ". *Tractatu* 50. in Joannem num. 12. " Unus malus (Judas) „ corpus malorum ſignificat: quomodo Petrus corpus bo- „ norum, immo corpus Eccleſiæ, ſed in bonis. Nam, ſi „ in Petro non eſſet Eccleſiæ ſacramentum: non ei dice- „ ret Dominus: Tibi dabo claves regni cœlorum, ut quæ „ ſolvuntur in terra, ſolvantur in cœlo..... Petrus quan- „ do claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit ". *Serm.* 70. num. 1., alias 13. *De Verbis Domini*. " Reſpondit Pe- „ trus: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Unus pro multis de- „ dit reſponſum, unitas in multis ".

At vero Adverſarius laterem lavat, dum ſuum errorem ex Auguſtino confirmare contendit. Non ſolum ergo citatis in locis, ſed etiam in multis aliis Petrum Eccleſiæ perſonam geſſiſſe, & nomine Eccleſiæ claves accepiſſe, atque claves in Eccleſia eſſe, S. Auguſtinus tradidit. Quid tamen hujuſmodi loquendi rationibus ſignificatum voluerit, non eſt, cur nunc expendamus, quum id pluribus jam perfecerimus, quæve mens non ſolum Auguſtini, ſed aliorum Patrum fuerit, dum eamdem, ac Auguſtinus, loquendi ratio-

nem

nem hac in re quandoque tenuerunt, satis copiose, ut arbitror, explicatum sit a nobis (1), nihilque minus ex Augustino, & ex aliis Patribus colligi posse, quam quod Adversarius vellet, palam fecerimus.

§. VIII. Eamdem tum Petri, tum ceterorum Apostolorum dignitatem, atque auctoritatem fuisse, Adversarius noster falso deducit ex illis honoris titulis, quos Sancti Patres Apostolis quandoque tribuerunt.

Quia ergo S. Hilarius in *Psal.* 138. *Ecclesiæ Oculos* vocavit Apostolos, S. Ambrosius, seu alius quivis Auctor in *Apocalypsim Primogenita gregis*, S. Augustinus in *Psal.* 142. *Arietes*, *duces ovium*, *præcipua membra pastoris*, *& congregatores unius gregis*, unam eamdemque omnium Apostolorum dignitatem, atque auctoritatem esse, Adversarius noster colligit (2). Hoc idem inde etiam deducit, quia S. Augustinus lib. 2. *Contra* 2. *epistolam Gaudentii* cap. 12. affirmat, Christum reliquisse Apostolos Ecclesiæ suæ *Vicarios*; atque in hunc *Vicariatum* consentit etiam S. Ambrosius in *Psal.*38., & S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 11. in 2. epistolam *ad Corinthios*: immo hac de re perspicuum esse dicit ex verbis, quæ in Præfatione Missæ leguntur: " Quos operis tui Vicarios „ eidem contulisti præesse Pastores ". Rem istam de honoris titulis, quos Patres Apostolis sæpe tribuerunt, pluribus in locis ad stomachum usque Adversarius noster refricat, indeque unam eamdemque omnium Apostolorum auctoritatem fuisse, præter omnem rationem infert.

At non est sane, cur nunc expendamus, utrum a Patribus id de Apostolis traditum habeamus, quod ipse commemorat: nam dubitari non potest, quin alios quoque plures honoris titulos Sancti Patres Apostolis tribuerint, ex quibus dignitas istorum magis magisque perspicitur. Nam & *Principes*, & *Duces* a Sanctis Patribus Apostoli vocati fuerunt, *Columnæ Ecclesiæ*, *& Fundamenta*, *Oculi Ecclesiæ*, *& Oculi Christi*, *Lucernæ Ecclesiæ*, *Lumen Mundi*, *Lampades*, *& Lumina*

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 5., & cap. 4. §. 4. & 5. (2) Lib. 1. *De Ecclesiast. Republ.* cap. 4. num. 14. & seq.

minaria, *Patres*, *Doctores*, *Gubernatores*, *Rectores*, *Pastoresque primi*, ut alios honoris titulos omittamus, quos Mamachius ex Sanctis Patribus magna cum eruditione pro suo more descripsit (1). Quid ergo dicemus? Adversarium nostrum ex hoc capite, quod ex auctoritate Patrum perspicuum esse dicit, evidenti contradictione implicari, hoc sane est, quod dicimus. Quandoquidem lib. 1. *De Ecclesiast. Republ.* cap. 1. totus in eo est, ut evincat, Christum *actu ipso* esse *Rectorem Ecclesiæ etiam post Ascensionem*. In sui confirmationem erroris plura in hoc loco tum ex Apostolo Paulo, tum ex Sanctis Patribus depromit, quibus non sine evidenti falsitate concludit, *Ecclesiæ regimen omnino spirituale* esse, illud non egere *præsentia corporali*, sed *influxu gratiæ* peragi, in Ecclesia *nullum dari caput*, sed *omnia esse membra*. At vero totum hoc simul stare cum eo non potest, quod Apostoli sint Ecclesiæ *Oculi*, *Primogenita gregis*, *Arietes*, *Duces ovium*, *præcipua membra Pastoris*, *Congregatores unius gregis*, *Vicarii*, *Vicariatumque* gerentes. Repugnat enim Ecclesiæ regimen omnino spirituale esse, non egere præsentia corporali, sed influxu gratiæ tantum peragi, in Ecclesia non dari aliquod caput; & Apostolos fuisse Ecclesiæ *Oculos*, *Primogenita gregis*, *Arietes*, *Duces ovium*, *Præcipua membra Pastoris*, *& Ecclesiæ Vicarios*. Dum ergo Adversarius ex auctoritate Patrum æqualitatem inter Apostolos adstruere conatur, turpi contradictione sese implicatum ostendit.

Sancti itaque Ecclesiæ Patres tam præclaris titulis honoris Apostolos aliquando insigniverunt, non quidem dum Apostolorum inter se, sed dum Apostolorum, & gregis comparationem fecere. Nam si gregis ratio habeatur, erant profecto Apostoli omnes Ecclesiæ Oculi, Duces ovium, præcipua membra Pastoris, & Ecclesiæ Vicarii: verum anne repugnat, ut inter eos, qui, inferiorum habita ratione, supremum gradum obtinent, sit unus, qui eisdem dignitate, atque auctoritate præsit, ac propterea supremum caput dici debeat, & revera sit? Hoc vero est, quod Patres voluerunt,

(1) Tom. 5. *Origin. & Antiquit. Christian.* pag. 449. in Adnot.

runt, constantissimeque tenuerunt, quorum multiplicia loca alibi in medium producta sunt a nobis (1). Hic ergo nonnulla tantum ex Patribus delibabimus, quibus Petrus in dignitate, & auctoritate ceteris Apostolis præfertur. Nam Petrus *Apostolorum Princeps*, *& in Ecclesia primus Homil.* 3. *De Pœnitentia* num. 4., *Primus Apostolorum*, *cui totus terrarum orbis commissus Orat.* 8. *Adversus Judæos* num. 3., & *Orat. De Decem millium talentorum debitore* num. 3., *Chori Apostolorum Princeps*, *os Discipulorum*, *& columna Ecclesiæ* a S. Joanne Chrysostomo vocatus fuit. Petrum *omnium Apostolorum primum serm.* 147. num. 1., alias 24. *De Sanctis*, *Apostolorum Principatum tenentem serm.* 76. num. 3. alias 13. *De Verbis Domini*, *Primatu Apostolorum excellenti gratia praeminere* lib. 2. *Contra Donatistas* num. 2. dicit S. Augustinus. Apostolorum *Caput* Petrum vocarunt Optatus Milevitanus lib. 2. *Adversus Parmenianum* cap. 2., & S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26., *Perfectiorum gubernatorem*, quia cura etiam Pastorum illi credita fuit, S. Ambrosius in *Exposit. Evangel. secundum Lucam* lib. 10. num. 175., *Apostolorum Antesignanum* S. Isidorus lib. 2. epist. 58., & *Apostolici Chori Præsulem* epist. 199., *Summum Apostolorum verticem* Patres Synodi VI. in epist. ad Agathonem, quæ ejusdem Concilii Actione 18. legitur. Aliis quoque honoris titulis S. Petrum Patres prosequuti fuere, quibus eum supra ceteros Apostolos extulerunt, uti apud Mamachium *Origin. & Antiquit. Christian.* lib.4. cap. 3. legere est.

§. IX. Unam tum Petri, tum Pauli dignitatem, auctoritatemque fuisse, Adversarius noster falso contendit.

Chrysostomum ergo pro se primo loco citat, qui in cap. 3. *ad Galatas* de ea officii ratione loquens, quam Paulus erga Petrum servavit, quando ad eum accessit, ita habet: „ Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta taliaque „ benefacta quum nihil opus haberet Petro, nec illius ege„ ret voce, sed honore par esset illi: nihil enim hìc dicam „ amplius; tamen ascendit velut ad majorem, & seniorem".

Chry-

(1) Vide lib. 18. cap. 1. & 2.

Chrysostomo consentire Ambrosium affirmat in libro 2. *De Spiritu Sancto* ita loquentem: " Una gratia fulgebat in his, " quos Spiritus unus elegerat: nec Paulus inferior Petro; " quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum. " Nec Paulus indignus Apostolorum Collegio, cum primo " quoque facile conferendus, & nulli secundus ". Hisce duobus Patribus S. Leonem *serm.* 1. in *Die Natali Petri, & Pauli* consentire tradit, in quo S. Doctor de utroque ita loquitur: " Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia " membra Ecclesiæ provexit, ut eos in corpore, cui caput " est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculo- " rum. De quorum meritis, atque virtutibus, quæ omnem " superant loquendi facultatem, nihil diversum, nihil de- " bemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & " labor similes, & finis fecit æquales ". Lib. 1. *De Eccle- siast. Republica* cap. 3. num. 14. Adversarius noster pro adstruenda æquali dignitate, & auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli hæc in medium adducit. In multis aliis quoque locis rem eamdem ad nauseam usque repetit.

Non est tamen, cur nos in iis omnibus referendis, atque confutandis diutius immoremur, quum nisi nostra nos opinio fallit, ex iis, quæ usque modo disseruimus (1), de suprema dignitate, atque auctoritate S. Petri nemini non perspectum esse debeat, atque illud etiam constat, æqualitatem inter Petrum, & ceteros Apostolos a Patribus admissam fuisse, non quidem habita ratione præfecturæ super universam Ecclesiam, sed Apostolatus, eorumque omnium, quæ ex hujusmodi munere consequuntur. Nunc ergo de Chrysostomo videamus. Quæ ergo loca ejus in superiori §. in medium protulimus, in ea illum sententia fuisse, ut Petrum in dignitate, atque auctoritate ceteris Apostolis prælatum voluerit, nullum dubitandi locum relinquunt. Ut ergo nunc in ea ratione sistamus, quam Paulus erga Petrum servavit, dum ad illum se contulit, dicimus Paulum ideo se conferre ad

(1) Pene toto lib. 18.

ad Petrum ſtatuiſſe, quia eum uti caput ſui, & ceterorum Apoſtolorum verebatur, Chryſoſtomum ſenſiſſe. Hæc enim habet de Petro loquens *Homil.* 88. *in Joannem* num. 1., alias *Homil.* 87. " Eximius erat inter Apoſtolos, os Diſcipulo„ rum, & cœtus illius caput. Ideo Paulum præ aliis hunc „ viſurus venit ". *Homilia* vero 35. in 1. epiſtolam *ad Corinthios* num. 5. affirmat, Paulum *primas cedere* Petro. Apoſtolatus ergo honor illud ſane fuit, in quo S. Joannes Chryſoſtomus Paulum Petro coequavit. Ob ſuſceptos quoque labores S. Paulus nemini Apoſtolorum, ne excepto quidem Petro, ſecundus fuit, eorumque propterea S. Joannes Chryſoſtomus habere rationem potuit, dum Paulum Petro æqualem fecit.

S. Ambroſius lib. 2. *De Spiritu Sancto* cap. 113. num. 158. ſapientis quidem architecti rationem Paulo, & Petro eſſe Eccleſiæ fundamentum tribuit. Dum vero affirmat, Paulum cum primo conferendum, & nemini ſecundum eſſe, ad Apoſtolatum ſe reſpicere, conſtat ex ea comparatione, quam Pauli tum cum *Primo*, hoc eſt, cum Petro, tum cum ceteris Apoſtolis inſtituit. Petrum autem Eccleſiæ *firmamentum* a Chriſto poſitum fuiſſe lib. 4. *De Fide* cap. 5. num. 6. tradit, & *Enarrat.* in *Pſalm.* 43. num. 40. Eccleſiæ *Præpoſitum*.

Serm. 82. (1) illud quidem S. Leo Magnus habet, nihil nos de duobus Apoſtolis Petri, & Pauli *diſcretum* ſentire debere; verum id ita non affirmat, quaſi una eademque tum Petri, tum Pauli dignitas, atque majeſtas quoad omnia fuerit, ſed quia utrorumque res præclare geſtæ ad propagationem Chriſtiani nominis æquali commendatione, & honore dignæ ſunt. Non ſolum enim multis aliis in locis, ſed etiam in hoc eodem ſermone Principatum Apoſtolici ordinis uni tantum Petro tribuit. " Nam quum duo„ decim Apoſtoli, (inquit) accepta per Spiritum Sanctum „ omnium loquutione linguarum, imbuendum Evangelio „ mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent,

(1) Etiam editionem Cacciarii.

„ Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem „ Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium „ gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capi- „ te per totum mundi corpus effunderet “. *Serm.* 71. (1) inquit: “ In his (diebus) per insuffationem Domini in- „ funditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, & B. Apo- „ stolo Petro supra ceteros post regni claves ovilis Domini- „ ci cura mandatur “. Alia nunc proferre loca S. Leonis in eamdem rem possemus; verum non est, cur in hoc diutius operam nostram impendamus, quum solus Adversarius noster Sancti Doctoris firmissimam hac de re sententiam in dubium revocare potuerit, & quidem prout solet, ob unum, aut alterum detruncatum testimonium, nulla eorum habita ratione, quæ præcedunt, aut sequuntur.

Citato libro, & capite num. 24. idem Adversarius illud primo fatetur, æqualitati Apostolorum opponi hæc, quæ leguntur in epist. 11. S. Leonis ad Anastasium (2) “: Quibus „ (Episcopis) etsi dignitas sit communis, non est tamen „ ordo generalis: quoniam & inter Beatissimos Apostolos in „ similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & „ quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, „ ut ceteris præemineret “. Verum deinde negans quod semel concesserat, sententiam S. Leonis obscuram, & ambiguam esse contendit, ita ut ex ea nihil certi pro se colligere Monarchici possint. Quærit ergo quomodo intelligendum sit *dignitatem esse communem*, non tamen *generalem ordinem*: verum id discere, si volebat, ex S. Leone poterat, qui statim deinde tradit, Apostolos pares fuisse in similitudine honoris, ideoque in eis dignitatem fuisse communem; unum tamen eorum accepisse, ut ceteris præemineret, ac propterea ordinem non fuisse generalem, sed unum auctoritate potestatis præfuisse ceteris. Verum non erat, cur hanc difficultatem proponeret, quum deinde illud affirmare audeat, neque Leoni, neque ceteris Romanis Pontificibus fidem hac in re adhibendam esse.

Ina-

(1) Juxta eamdem editionem. (2) Juxta eamdem editionem.

Inaniter autem rimas consectatur, unde evadere possit, dum ejusdem cap. num. 25. tradit, Leonem sibi *absolute contrarium* non esse, tum quia quod Petro supra ceteros Apostolos collatum dicit, non *spectabat ad essentialem Apostolatus potestatem*, tum quia non determinat, utrum a Christo, an vero ab Apostolis illud Petrus receperit. Quis enim Catholicorum unquam contendit, id spectasse ad *essentialem Apostolatus dignitatem*, in quo Petrus ceteris Apostolis prælatus fuit? Profecto si ad Apostolatum attendamus, nihil minus ipsi Apostoli, quam Petrus, habuerunt. Alterum vero, quod Adversarius noster negat, Leonis verba ulla sine ambiguitate produnt, atque ita evidenter, ut nullus sit tergiversandi locus.

Hic ultimo loco id præmonendum censemus, eosdem honoris titulos aliquando Patres tum Petro, tum Paulo tribuisse, verum ea de causa id ipsi fecere, quia Romæ pro Christiana Religione, & plurimum illi simul laborarunt, & gloriosum martyrium oppetierunt, atque etiam, uti supra diximus, quia si susceptorum pro Christi fide laborum ratio habeatur, Paulus, ne excepto quidem Petro, nemini secundus fuit, immo *abundantius illis omnibus* laboravit, sicuti 1. *Corinth.* cap. 15. v. 10. ipse testatur.

CAPUT III.

DE MONARCHIA IN SE SPECTATA, ATQUE PRÆCELLENTIA EJUS SUPRA CETERAS SPECIES REGIMINIS.

I. I. Monarchiæ notio traditur.

Monarchia est quædam respublica, in qua uni alicui, atque soli præcipua, & suprema cura imperii concessa est, quem vel Imperatorem, vel Regem, vel Principem appellare solemus. Unitas ergo supremi imperantis necessariam cum Monarchico regimine connexionem habet, ita ut si unum tantum præcipuam, & supremam curam imperii non habeat; vere atque perfecte Monarchicum regimen dici

non possit. Hinc Bodinus postquam in lib. 2. *De Republica* cap. 1. dixit, quod si de Monarchia loquamur, " In unius " dominatu versatur Republicæ majestas " ; hæc ejusdem lib. cap. 2. superaddit: " Monarchiam Reipublicæ genus esse " se diximus, in qua penes unum summa totius Reipubli- " cæ potestas est. Unum quum dicimus, ipso Monarchiæ " verbo satis significatur: nam si duos, pluresve adjunga- " mus, nemo eorum supremum imperium habebit: quia " summus dicitur, qui nullius imperio tenetur, & ceteros " cives tum universos, tum singulos coercere potest ". Omnino ergo individua Monarchia sit oportet, quia unitatis nulla partitio dari potest.

§. II. Ratio Monarchi regiminis exigit, ut supremus Monarcha tum singulos, tum universos sibi subjectos habeat.

In Monarchico regimine penes unum tantum imperii principatus sit oportet (1): igitur non solum nullus homo singularis, sed etiam nulla societas, nulla congregatio, nullusque hominum cœtus consors imperii esse potest. Quandoquidem unitati regiminis, quæ penes unum tantum esse debeat, non minus opponitur, ut unus, aut alter regiminis particeps fiat, quam hæc, vel alia societas, congregatio, aut cœtus hominum præter unum summum imperans habenas regiminis sua auctoritate teneat. Unde Aristocratia, & Democratia in eo inter se conveniunt, quemadmodum Bodinus lib. 2. *De Republica* cap. 6. animadvertit, " Quod qui imperandi jus summum habent, omni- " bus quidem singillatim imperare possunt, collectim non " possunt " ; atque hac de causa, sicut ipse infert, " Mo- " narchia ea præstabilior est, ac illustrior, quod unus uni- " versis, ac singulis imperandi jus habet ". Hinc etiam Arnisæus *De Republica* lib. 2. cap. 2. sect. 3. num. 1. dixit Monarchiam esse " Rempublicam, in qua gubernentur omnia " imperio unius, penes quem residet suprema, & libera po- " testas, indeque in omnes Reipublicæ partes, tamquam " a fon-

(1) Præced. §.

„ a fonte in canales, derivatur “. Proprium ergo est Monarchici regiminis, ut supremus Monarcha tum singulos, tum universos sibi subjectos habeat.

§. III. Potestas Monarchici regiminis non patitur, ut independenter ab ea cœtus optimatum publica judicia ferre possit, quæ ex se vim obligandi habeant.

Semel ac in magistratibus independenter ab hac suprema potestate talis judicandi auctoritas reponatur; tota ratio regiminis penes unum amplius non erit, uti nemo non videt: at si de Monarchico regimine agatur, exigit sane illud, ut tota ratio regiminis sit penes unum (1): igitur potestas Monarchici regiminis non patitur, ut independenter ab ea sit penes aliquem cœtum optimatum judicandi auctoritas. “ Quod ad judicium attinet (inquit Bodinus lib. 2. *De Republica* cap. 5.) nulla magistratibus, „ ac multo minus privatis in summum Principem potestas „ est, quum non solum ab ejus unius omnia omnium imperia pendeant, sed etiam, eo præsente, magistratuum; „ & collegiorum omnium potestas conquiescat “.

§. IV. Multo minus patitur Monarchicum regimen, ut sit in eo aliquis cœtus optimatum supra supremum imperans, cujus decretis etiam ipsum supremum imperans obnoxium sit.

Si supremum imperans decretis alicujus cœtus obnoxium sit; tunc non solum ponuntur in Monarchico regimine duo supremi imperantes: quod sane Monarchicum regimen nullo modo patitur (2); sed etiam ipsum supremum imperans saltem aliqua ex parte e suprema illa auctoritate deturbatur, quam uti supremus Monarcha habeat oportet. Dum enim illud regimen, quod supremum esse debet, alteri regimini non solum coequatur, sed etiam subjicitur, status supremæ auctoritatis transit ad statum subjectionis, eorum habita ratione, circa quæ alicujus cœtus jurisdictioni subjicitur. Quapropter licet supremo Principi integrum relinquatur, ut quoad multa jus dicere possit omnibus,

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Cit. loco.

bus, & quoad iſta omnes illi ſubjecti eſſe debeant; tamen ſi ad ea attendamus, circa quæ alicujus cœtus juriſdictioni ſubjicitur, ejuſque decretis obnoxium ſit, e ſua illum dignitate deturbari, nemo non videt. Quum ergo nullum regimen pati id poſſit, quo e ſuo ſtatu perfectionis dejicitur; etiam Monarchicum regimen pati poſſe non debet, ut in eo ſit aliquis cœtus optimatum ſupra ſupremum imperans, cujus decretis etiam ipſum ſupremum imperans obnoxium ſit.

§. V. Qua ratione repugnat, ut in Monarchico regimine ſit aliquis cœtus optimatum, cujus decretis etiam ſupremum imperans obnoxium ſit; repugnat quoque, ut idem auctoritatis ſupra ſupremum imperans, univerſæ multitudini tribuatur.

Semel ac ponamus in Monarchico regimine eſſe optimatum aliquem cœtum, cujus decretis etiam ſupremum imperans obnoxium ſit, e ſui ille ſtatus dignitate deturbatur (1): hoc vero tunc quoque eadem ratione contingit, ſicuti nemo non videt, quando id juris univerſæ multitudini tribuitur, quo illa etiam ſupra ſupremum imperans uti poſſit, & quoties utatur, ſupremum imperans parere debeat: ſubeſſe ergo ſupremum imperans alicui cœtui optimatum, aut univerſæ multitudini æque repugnat.

§. VI. Forma illa Monarchici regiminis, in qua ſupremum imperans aut cœtui optimatum, aut univerſæ multitudini ſubjicitur, eſt omnino irregularis.

Hujuſmodi ergo forma regiminis neque Democratica, neque Ariſtocratica, neque Monarchica dici poteſt, atque id in ſe habet, quod formæ tum Democratici, tum Ariſtocratici, tum Monarchici regiminis opponatur. In Democratico regimine populus (2), in Ariſtocratico optimates (3), in Monarchico unum tantum, & ſolum ſupremum imperans ſummam imperii majeſtatem habent (4): igitur hæc forma regiminis, de qua loquimur, neque Democratica, neque Ari-

(1) Præced. §. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 1. (3) Ejuſdem lib. cap. 2. §. 2. (4) Hujus cap. §. 1.

Aristocratica, ne Monarchica dici, aut esse potest. Nam neque Democratica, neque Aristocratica erit, quum in ea unum tantum, atque solum supremum imperans summam imperii majestatem teneat, quæ in Democratia penes populum, in Aristocratia penes optimates esse debet: neque etiam Monarchica erit, quia in ista mixtione regiminis non unum, & solum supremum imperans tenet habenas regiminis. Quia vero non minus unitas multitudini opponitur, quam multitudo unitati, inde est, ut hæc eadem forma regiminis tam Aristocratico, & Democratico, quam Monarchico adversetur, quum, uti dicebamus, unum, & solum supremum imperans in Monarchico, multitudo optimatum in Aristocratico, populi in Democratico, summam imperii majestatem habeat. Dubitari ergo non potest, quin sit irregularis ea forma Monarchici regiminis, in qua supremum imperans aut alicui cœtui optimatum, aut universæ multitudini subjicitur.

§. VII. Hujusmodi irregularis forma regiminis in se spectata dissensionibus quam maxime est obnoxia.

Quamvis demus in ea definitum constitumque esse, ad quæ tum supremi Principis, tum optimatum, vel populi regimen sese extendere debeat; tamen litibus, & dissensionibus facile patere locum semper posse, longa experientia temporum docemur. De imperandi enim ratione tum facilius, tum sæpius præ aliis certare illos, qui regimen inter se divisum habent, frequenterque contingere, ut unus, vel alter eorum transcendat limites potestatis sibi concessæ, non solum Romanæ Reipublicæ historia nos dubitare non sinit, sed etiam ceterorum regnorum, & nostrorum quoque temporum conditio confirmat: adeo verum est, quod in communi proverbio habetur: *certatio inter æquales*. Hæc autem concertatio inter æquales, si de imperii majestate agatur, faciliori, ac in aliis omnibus, ratione nascitur. Quo enim excellentius illud est, in quo aliquid de suo jure ab altero sibi æquali aut ereptum, aut eripi posse quispiam timet, eo etiam facilius ad contentionem exardescit. Imperii

perii vero majestatem quid præcellentissimum esse, nemo diffitetur. Si ergo rationem irregularis hujusce regiminis in se spectemus, valde facile est, ut qui præsunt, nullam inter se pacem habeant. Unde futurum, ut *lethalibus infirmitatibus* valde obnoxia ea respublica sit, in qua vigeat hæc forma regiminis, Pufendorfius *De Jure Naturæ, & Gent.* lib.7. cap. 6. §. 4. recte monuit.

§. VIII. Formam regiminis irregularem, &, si ea in se spectetur, dissensionibus valde obnoxiam, illi admittunt, qui regimen Monarchicum Aristocratia, aut Democratia temperatum faciunt.

Hujusmodi temperamentum in eo positum est, ut qui in Monarchico regimine supremum Principatum tenet, singulis quidem absolute, ac simpliciter præsit, non vero totius Reipublicæ optimatibus simul unitis, aut multitudini populi; quin potius tum optimates simul uniti, tum multitudo populi in his, quæ decernunt, supremum imperans sibi subjectum habent. Talis vero forma regiminis, & est irregularis, atque etiam in se spectata valde obnoxia dissensionibus (1): formam ergo regiminis irregularem, atque etiam, si ea in se spectetur, valde obnoxiam dissensionibus, illi admittunt, qui Monarchicum regimen Aristocratia, aut Democratia temperatum faciunt.

§. IX. Qui Monarchicum regimen Aristocratia, vel Democratia temperatum ponunt, Aristocraticum, vel Democraticum illud potius faciunt, quam Monarchicum.

In optimatibus simul unitis est tota reposita potestas Aristocratici regiminis, sicut Democratici in tota multitudine populi. Quo sane fit, ut utrique regimini illud quidem repugnet, esse aliquam superiorem potestatem, quæ vel optimatibus simul unitis, vel populi multitudini præsit, nullo autem modo contrarium sit, ut vel singuli optimates, vel singuli e populi multitudine homines, potestatem sibi superiorem habeant, cui parere debeant (2). Si autem de regimine Monarchico sermo sit, unum tantum est supremum imperans, atque ad

(1) Hujus cap.§.6. & seq. (2) Hujus lib. cap.1.§.1., & cap.2.§.1.

ad ipsum solum spectat, non solum singulis, sed etiam universis suprema auctoritate præesse (1). Quid ergo in hac contemperatione Aristocratici, aut Democratici regiminis cum Monarchico contingat, tum Aristocratici, tum Democratici, tum etiam Monarchici regiminis habita ratione, nunc videamus. Profecto quum hæc contemperatio in eo posita sit, ut cœtus optimatum simul unitorum, sicut etiam simul unita multitudo populi, prævaleat supra auctoritatem supremi imperantis, illud tum in Aristocratico, tum in Democratico regimine semper integrum manet, ut & optimates simul uniti, & tota multitudo populi, nullam supra se potestatem habeant, quemadmodum utriusque regiminis ratio requirit, atque etiam Monarchicam potestatem sibi subjiciant: cui sane alteri subesse ex sui natura omnino repugnat. Hoc ergo tantum regimini tam Aristocratico, quam Democratico superadditur, ut non uni tantum cœtui optimatum, aut universæ multitudini hominum, singuli subjecti sint, sed etiam supremo imperanti, qui tenet habenas Monarchici regiminis.

Monarchico autem regimini propter hanc contemperationem detrahitur, quod in eo præcipuum, atque potissimum habetur, ipsamque rationem Monarchici regiminis constituit; quum penes unum supremum imperans summa potestas totius regiminis amplius non resideat, quia supra ipsum vel cœtui optimatum, vel multitudini populi auctoritas tribuitur. Quapropter in hac contemperatione regimen Aristocraticum, vel Democraticum supra Monarchicum omnino prævalet; istud vero utrisque subditur. Prævalet Aristocraticum, vel Democraticum supra Monarchicum, quia optimates simul uniti, vel tota multitudo populi supremo Monarchæ sua auctoritate præest, legemque ab ipso quoque servandam edicit: Aristocratico autem, vel Democratico subditur Monarchicum, quia auctoritati ejus, qui sibi præest, legemque etiam sibi servandam constituit, unusquisque esse subjectus debet. In Aristocratico, vel Democratico regimine præter cœtum optimatum, aut multitudinem populi, nullus quidem alius esse debet, qui suprema auctorita-

(1) Hujus cap. §. 1.

te, atque independenter tum a cœtu optimatum, tum a multitudine populi, singulis præsit, ac propterea in hac contemperatione, si ad Aristocraticum, vel Democraticum regimen attendatur, cujusdam gravaminis loco habendum videtur, quod supremum imperans singulis sua propria auctoritate præsit: attamen hoc gravamine Aristocratia, vel Democratia in se spectata proprie non afficitur. Nam Aristocratiam non singuli optimates, sed cœtus eorum, sicut Democratiam non singuli e populo homines, sed tota multitudo populi constituunt: istud autem gravamen, de quo loquimur, neque ad cœtum optimatum, neque ad totam multitudinem populi spectat, sed ad singulos tum ex cœtu optimatum, tum ex universa multitudine populi. Unde concludendum est, in hac contemperatione Aristocratiam, & Democratiam acquirere auctoritatem supra supremum imperans, atque eas in se spectatas nihil potestatis amittere; Monarchiam vero deturbari ex supremo statu ejus potestatis, quæ cum illa necessariam connexionem habet: qui ergo Monarchicum regimen Aristocratia, vel Democratia temperatum ponunt, Aristocraticum, vel Democraticum illud potius faciunt, quam Monarchicum.

§. X. Si summa potestas Monarchici regiminis in *Personalem*, & *Realem* ita dividatur, ut hæc optimatibus, vel populo supra supremum imperans; illa supremo Principi tribuatur; & ipsa forma Monarchici regiminis omnino destruitur, & latissimus inde patet cuivis perturbationi locus.

Totam dominii potestatem in *Realem*, & *Personalem* nonnulli diviserunt, quemadmodum ex Pufendorfio novimus *De Iure Nat. & Gent.* lib. 7. cap. 6. §. 4. *Personalem* Principi, *Realem* populo tribuere, eaque populum supra Principem uti posse statuerunt, dum ille male imperaret. Dubitari non potest, quin hujus sententiæ fuerit etiam Almainus in Tractatu *De Auctoritate Ecclesiæ, & Conciliorum Generalium adversus Cajetanum* cap. 1. coroll. 4., in quo affirmat Politiam aliquam dici Regalem non " Quia unicus ei præsit, qui sit tota communitate in jurisdictione major, nec ei quovis modo subjectus; " sed solum propter hanc causam, quia unicus præest, qui in " quem-

„ quemlibet alterum de communitate jurisdictionem habet, & „ est eo superior ". Eodem cap. 1. coroll. 3. " Tota communitas (inquit) potestatem habet super Principem ab ea constitutum, qua eum si non in ædificationem, sed in destructionem politiæ regat, deponere potest ". Almaino consentiunt tum Joannes Major in *Disputatione: An Papa sit subditus fraternæ correctioni*, tum Petrus de Alliaco in *Tractatu De Eccl. Concil. Generalium, Rom. Pontificis, & Cardinalium auctoritate*, tum nonnulli alii, quorum omnium opuscula habentur tom. 2. Operum Gersonii edit. Antuerpiensis an. 1706.

Hac ergo ratione si potestas Monarchici regiminis dividatur, tale Monarchicum regimen inducitur, in quo non amplius unus tum singulis, tum universis præest, quemadmodum ratio Monarchici regiminis necessario requirit (1), sed illi uni ipsa multitudo præesset. Quia vero tunc Principi multitudo præesset, quando ipse contra multitudinem in aliquo peccaret, atque ejus, quod contra multitudinem Principem commisisse contenderetur, nullum certum judicium haberi posset, hinc sibi injuriam factam multitudine, inde sua facultate usum, & nullam injuriam a se illatam, Principe contendente; consequens esset, ut latissimus cuivis perturbationi locus pateret. unde apposite Grotius *De Jure Belli, & Pacis* lib. 1. cap. 3. §. 9. " Sunt „ alii, (inquit) qui mutuam quamdam subjectionem sibi fingunt, ut populus universus Regi recte imperanti parere debeat, Rex autem male imperans populo subjiciatur: qui si „ hoc dicerent, non facienda ob Regis imperium ea, quæ manifeste iniqua sunt, verum dicerent, & quod apud omnes „ bonos confessum est: sed id nullam includit coactionem, aut „ jus aliquod imperii. Quod si etiam populo alicui propositum „ fuisset, partiri cum Rege imperium .... fines certe potestati „ utriusque assignari debuissent tales, qui cognosci facile possent ex locorum, personarum, aut negotiorum discrimine. „ Bonitas autem, aut malitia actus, præsertim in civilibus, quæ „ sæpe obscuram habent disceptationem, apta non sunt ad „ partes distinguendas: unde summam confusionem sequi ne-

 „ cesse

(1) Hujus cap. §. 1. & 2.

„ cesse est, cognitionem de eadem re pro jure potestatis, ob-
„ tentu actus boni, malive, hinc ad se Rege trahente, inde
„ populo: qualem rerum perturbationem introducere nulli,
„ quod sciam, populo in mentem venit“.

Quapropter, sicut Petrus de Marca animadvertit lib. 1. *De Concordia Sacerd.*, & *Imp.* cap. 11. num. 1. “Principem le-
„ gibus solutum esse, ut etsi in leges impingat, pœnis legum
„ coerceri non possit, communis est Theologorum, & Juris-
„ consultorum sententia: ita ut subditi, qui de Principis sta-
„ tu aliquid decernere sibi liberum esse putaverint, lege Julia
„ majestatis teneantur“. Huc sane spectat S. Ambrosius in *Apologia David* cap. 4. dicens: „Liberi sunt Reges a vinculis
„ delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus,
„ tuti imperii majestate“. Quapropter sicuti habet S. Thomas 1. 2. qu. 96. art. 5. ad 3. “Princeps dicitur esse solutus a
„ lege quantum ad vim coactivam legis: nullus enim proprie
„ cogitur a se ipso; lex autem non habet vim coactivam nisi ex
„ Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur esse solutus a
„ lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis
„ ferre, si contra legem agat“.

§. XI. Quod optimates simul uniti ferendi judicii potestatem de iis habeant, quæ ad universam Rempublicam spectant, Monarchico regimini non adversatur, semel ac judicia illorum absoluta non sint, sed subjecta auctoritati supremi imperantis.

Simplex, atque absolutum Monarchicum regimen id unum exigit, ut supremum imperans tam singulis, quam universis simul præsit; ac propterea potestas Monarchici regiminis non patitur, ut independenter ab ea cœtus optimatum publica judicia ferre possit, quæ ex se vim obligandi habeant, multoque minus sinit, etiam supremum imperans decretis optimatum subjectum esse (1). Ceterum Monarchico regimini opponi non potest, ut penes optimates simul unitos hac, vel illa de re, quæ ad Rempublicam spectat, sit potestas judiciorum ferendorum, atque de iis ab hujusmodi cœtu judicia ferantur, dum tamen hæc judicia suam auctoritatem non consequantur, quoad

(1) Hujus cap. §. 1. & seqq.

quoad usque a supremo imperante probata fuerint. Tunc enim jus supremi imperantis sartum tectumque servatur, quia semper unum tantum, atque supremum imperans habetur. Nam & nulla super illud superior potestas admittitur, immo vero neque ei æqualis, & quilibet cœtus, etiam dum exercet jura suæ potestatis, eidem supremo imperanti subjicitur. Monarchico itaque regimini non opponitur, ut optimates simul uniti ferendi judicii potestatem de iis habeant, quæ ad universam Rempublicam spectant, semel ac judicia illorum absoluta non sint, sed subjecta auctoritati supremi imperantis.

§. XII. Non repugnat formæ Monarchici regiminis, Principem certa lege alligatum esse ad consulendum optimates in gravioribus Reipublicæ negotiis.

Obligatio exquirendi in re ardua, atque difficili consilium a sapientioribus, & prudentioribus supremæ potestati non officit, sed eam ab errandi periculo removet. Dum ergo Principi semper integrum sit, propria auctoritate decernere, quod utilitati boni communis magis expediens esse judicaverit, & ea ratione, ut Pufendorfii exemplo utar *De Jure Nat., & Gent.* lib. 7. cap. 6. §. 12, qua ægrotus medici, ipsum supremum imperans consilium optimatum sequi teneatur, nullum supremæ potestati præjudicium affertur. Tunc enim non ipsi per se optimates Principi aliquam obligationem imponunt, sed Princeps consilium eorum sequi debet, quatenus id faciendum proponunt, quod utilitati boni communis magis accomodatum est. Id autem ut sequi debeat, ab ipsa ratione regiminis sibi constitutum habet: sicut etiam infirmo ab ipso lumine rationis, quo ad suam salutem tuendam obligatur, constitutum est, ut medici consilia sequatur, quamvis nullo modo sit medico subjectus. Est ergo dicendum non repugnare formæ Monarchici regiminis, Principem certa lege alligatum esse ad consulendum optimates in gravioribus Reipublicæ negotiis.

§. XIII. Neque etiam repugnat, ut supremus Monarca ad certas quasdam leges ex conventione teneatur.

Certis quibusdam legibus per modum conventionis supremum Monarcham tunc adstringi intelligimus, quando in

sui

ſui ſuſceptione regiminis jura poteſtatis juxta certam quamdam ſingularem legem præſcriptam, determinatumque modum vel quoad omnia, vel quoad aliqua ſeſe exercere promittit. Ea quidem univerſalis promiſſio omnia ſtatuendi, prout commune bonum poſtulaverit, ſervandi juſtitiæ leges, omniaque peragendi, prout exigit recta ratio regiminis, cum ipſo regimine naturaliter connectitur, eademque ſupremus Monarcha obligatus inde detinetur, quod Rempublicam regendam ſuſcipit. Singularis igitur obligatio tunc a ſupremo gubernante hac in re contrahitur, quando habenas regiminis antequam ſumat, aliquas leges ſe ſervaturum ſpondet, quæ quidem quamvis non conducant ad ipſam regiminis rationem in ſe ſpectatam, valde tamen conferunt ad illud determinatum regimen, quod eſt aſſumpturus, indeque leges *fundamentales* ipſius regni appellari conſueverunt. Ob promiſſionem prioris generis nihil detrahi de poteſtate ſupremi regiminis inde conſtat, quia ſeparari ea non poteſt ab ipſa ratione regiminis, naturalemque cum omni regimine connexionem habet. Neque etiam ob alteram ſecundi generis ſupremo regimini aliquod præjudicium affertur. Quum enim de obligatione hujuſmodi legum agatur, quæ ut ſerventur, huic, aut illi regimini valde utile eſt, atque ſalutare; inde conſequitur, ut dum legiſlator eiſdem ſeſe adſtringit, conſulendi bono communi quamdam majorem ſecuritatem acquirat: quod ſane neque etiam in Monarchici regiminis præjudicium cedere poteſt. Non repugnat ergo, ut ſupremus Monarcha ad certas quaſdam leges ex conventione teneatur.

XIV. Monarchicum regimen, quod ſit revera Monarchicum, eſſe perfectius quovis alio regimine, ipſa ratione perſpectum habemus.

Quoniam vero hoc argumenti genus, ut alia loca prætercam, tum lib.4. *Contra Gent.* cap.76., tum *De Regimine Principum* lib. 1. *Opuſcul.* 20. cap. 2. S. Thomas præclare proſequutus fuit, ejus nunc rationibus utemur. Illa ergo forma regiminis eſt perfectiſſima omnium, quæ præ ceteris aliis ad præcipuum bonum multitudinis quam maxime conducit: formam autem Monarchici regiminis talem eſſe, dubitari non poteſt.

Quan-

Quandoquidem præcipuum bonum multitudinis in unam ſocietatem coaleſcentis, ad quod omnis forma regiminis, quæcumque tandem ea ſit, referri debet, eſt conſervatio unitatis, quæ dicitur pax: hac enim ſemel ſublata, nulla reliqua eſt utilitas illius conſociationis, quam inter ſe inierint homines, quin immo plura ex conſociatione mala conſequuntur. Ad hujuſmodi vero bonum unitatis procurandum præ aliis omnibus magis conducere formam Monarchici regiminis inde conſtat, quia quod eſt unum, ejus naturæ habita ratione, majorem efficaciam ad unitatem cauſandam habet, quam multitudo. Unitas enim ab eo, quod eſt ejuſdem naturæ, ac ipſa ſit, quam ab altero principio diverſæ naturæ, facilius proficiſcitur. Monarchicum ergo regimen eſt quovis alio regimine perfectius, quatenus ad procurandum præcipuum bonum multitudinis quam maxime conducit.

Hoc autem magis magiſque perſpicuum inde fit, quia ſi Reipublicæ regimen ſit penes multos, dum ii mutua conſenſione animorum in unum conveniunt, bonum Reipublicæ promovent, deſtruunt vero, ſi diſſentiant inter ſe, ſibique mutuo adverſentur. Qua de cauſa ſicut multi, qui unam navim trahunt, ſuam vim ita exercere debent, ut ad unum tendant; ita etiam idem ab iis ſervetur oportet, qui ſimul ad Reipublicæ gubernacula ſedent. At vero hæc unitas facilius ab ipſa unitate, quam a multitudine proficiſcitur: eſt igitur optima omnium ea ratio regiminis, qua Reſpublica unius ſuprema auctoritate regitur.

Illud etiam accedit, ut in Monarchico regimine ſupremum imperans commune bonum, uti proprium, atque ſuum, regiminis ipſius, quo potitur, habita ratione, tenere debeat, quum ſit bonum ejus regiminis, quod ipſe ſolus habet. In quavis autem alia forma regiminis, in qua imperium eſt penes plures, commune bonum reſpicitur ab iis non uti proprium, ſed uti commune, ſicuti etiam commune eſt eorum regimen.

Poſtremo quæ ſunt artis, eo perfectiora ſunt, quo majorem ſimilitudinem cum illis habent, quæ a natura proficiſcuntur. Hæc autem ita inſtituta eſſe videmus, ut omnium partium

uni-

unicum principium ſit, quod eas regat, atque moderetur. Eſt enim caput una præcipua pars noſtri corporis, cui ſerviunt ceteræ omnes, atque etiam cum periculo ſui naturaliter famulantur: ſi quid enim mali capiti repente immineat, illud ipſæ naturali inſtinctu ſubeunt, ut a capite avertatur. Ratio una eſt, quæ præſidet animæ viribus: unus eſt Deus totius univerſitatis rerum creator, ſupremuſque rector, atque gubernator. Ad hunc ergo regendi modum quum forma Monarchici regiminis accedat, dicendum eſt eam ceterarum præſtantiſſimam eſſe. Vim rationis quoad rem iſtam etiam Philoſophi perviderunt, ac propterea communis eorum ſententia fuit, Monarchicum regimen ceteris præferendum eſſe (1).

Hæc momenta rationum ſuadent, illud tantum Monarchicum regimen ceteris præferri oportere, quod revera Monarchicum ſit, hoc eſt, quod unus tantum tenet, qui tum ſingulis, tum univerſis, ſuprema auctoritate præeſt. Nam hoc ſolum Monarchicum regimen veram unitatem habet, ac propterea ad unitatem fovendam præ aliis regiminibus quam maxime conducit. Hac vero nos de cauſa diximus, Monarchicum regimen, quod revera Monarchicum ſit, ceteris præcellit. Eſt enim in ſuperioribus ſatis oſtenſum a nobis, formam illam Monarchici regiminis, in qua ſupremum imperans aut cœtui optimatum, aut univerſæ populi multitudini ſubjicitur, irregularem, & in ſe ſpectatam diſſenſionibus valde obnoxiam eſſe, eaque Ariſtocratico, vel Democratico potius proſpici regimini, quam Monarchico (2).

§. XV. Formam regiminis perfecte Monarchici omnium præcellentiſſimam eſſe Sancti Eccleſiæ Patres communi conſenſione tradiderunt.

Ita cenſuit S. Juſtinus in *Cohortat. ad Græcos*, in qua poſtquam hæc ex Homero protulit: *Non bonum eſt multorum Principatus. Unus Princeps eſto*; num. 17. ita habet: “ Porro non bo-
„ num eſſe multorum Principatum, re demonſtrandum ſibi
„ propoſuit, eorum bella ob Principum multitudinem, & pugnas,

(1) Vide Mauclerum *De Monarchia Divina &c.* par. 1. lib. 4. cap. 1., & Bodinum *De Republica* lib. 6. cap. 4. (2) Hujus cap. §. 6. & ſeqq.

„ gnas, & seditiones, & mutuas insidias enarrans. Nam Mo-
„ narchia his incommodis caret ". Refellit autem S. Justinus hoc in loco illos Poetas, qui effutiebant, quosdam Deos præesse aliis Diis, & formam Monarchici regiminis extollit supra ceteras. S. Athanasius *Orat. Cont. Gentes* num. 38. " Siquidem
„ ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspi-
„ ratio non multos, sed unum mundi ducem, & moderatorem
„ Verbum esse manifeste ostendit. Nam si plures mundo præ-
„ essent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione,
„ & perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad
„ suum arbitrium traheret, & adversus alium pugnaret. Nam-
„ que ut multos Deos, nullos Deos esse dicebamus: si mul-
„ tos rectores, nullos rectores esse dicendum est. Quum enim
„ alter alterius imperium everteret, nullus certe esset, qui im-
„ peraret, & dominaretur, nemo qui regeret, & gubernaret ".
Hæc autem quæ habet S. Athanasius, licet quoad regimen ipsius Dei, qui, ex eo quod sit Deus, nullum sibi æqualem pati potest, potissimum vera sint; tamen etiam ad regimen hominum applicari possunt, quia dum plures aliquam multitudinem regunt, sibi invicem facile adversantur, unusque destruit, quod ab altero constituitur: contra vero si unus tantum multitudinem regat, nullus huic incommodo locus occurrit. S. Gregorius Nazianzenus initio *Orationis* 35. " Tres antiquissimæ de
„ Deo sententiæ sunt, Anarchia, Polyarchia, Monarchia. Ac
„ duæ quidem priores ab Ethnicis elusæ sunt, & sane ludan-
„ tur. Nam & quod nullius imperio gubernatur, confusum
„ est, ac perturbatum. Polyarchicum autem factionibus dissi-
„ diisque obnoxium est, atque ita sine principatu, atque ita
„ inordinatum. Ambo enim ista eodem tendunt, nimirum ad
„ statum ordinis omnis expertem: hæc autem (nempe Polyar-
„ chia) ad solutionem. Perturbatio quippe solutionis medita-
„ tio est. At nobis Monarchia honoranda est ". Hoc argumenti genus prosequutus fuit etiam Eusebius *Demonstrationis Evangelicæ* lib. 4. num. 5., & S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 34. in epist. *ad Hebræos* num. 1. inquiens: " Malum quidem est Anar-
„ chia, & argumentum multarum calamitatum, ac principium
„ per-

„ perturbationis, & confusionis. Maxime vero in Ecclesia id „ tanto perniciosius est, quanto Principatus ejus major est, & „ sublimior. Nam sicut si chori coryphæum, & ducem sustuleris, non erit amplius chorus congruus, & ordinatus.... „ ita etiam si a grege pastorem abstuleris, omnia evertisti“.

Eadem quoque ratio de Monarchia a Latinis Patribus habita semper fuit. Cyprianus in lib. *De Vanitate Idolorum* ita habet: “ Unus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa „ sublimitas potest habere consortem, quum sola omnem teneat potestatem. Ad Divinum imperium etiam de terris „ mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas aut „ cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum „ germanitas rupta, & permanens rogis diffidentibus etiam „ in morte discordia, & Romanos geminos unum non capit „ regnum, quos unum uteri cœpit hospitium. Pompejus, & „ Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in „ æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tantum de homine mireris, quum in hoc omnis natura consentiat. Rector unus „ est apibus, dux unus in gregibus, & in armentis rector „ unus“. S. Hieronymus epist. 95. num. 15., alias epist. 4., pluribus exemplis, in quibus relucet præstantia Monarchici regiminis, in medium adductis, Rusticum monet, ut vivat in *Monasterio sub unius disciplina patris*. Lactantius quoque *Divinarum institutionum* lib. 1. cap. 3. postquam multa in hanc rem disputavit, ita habet: “ Nisi enim singularum partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit summa „ ipsa constare, unoquoque nihil curante amplius, quam „ quod ad eum proprie pertinet: sicut nec res quidem militaris, nisi unum habeat ducem, atque rectorem“.

His autem omnibus, aliisque sane multis, quæ si opus esset, in medium adduci possent, illud semper urgetur, Monarchicum regimen longe præstare ceteris regiminibus, quia in eo unus summam super omnes potestatem habet, atque penes illum semper est auctoritas supremi dominii: indeque est, ut hujusmodi regimen ex se institutum sit ad tollendum illud omne malum, quod ex regimine multorum facile consequi

qui potest. Dum ergo Patres Monarchicum regimen ceteris regiminibus prætulerunt, ad perfecte Monarchicum respexere, hoc est ad illud, in quo unus tam singulis, quam universis summa semper cum auctoritate præest, nulloque modo Aristocratia, vel Democratia temperatum est. Nam hujusmodi contemperatio si admittatur, & vera ratio tollitur Monarchici regiminis, & tale regimen inducitur, quod irregulare sit, sibi contrarium, illudque Aristocraticum potius, aut Democraticum, quam Monarchicum dici debeat.

Non minus ergo ratione, quam auctoritate refutatur error illorum, qui ut ad evertendam eam rationem regiminis, quod Christus in Ecclesia instituit, viam sibi parent, illud contendunt, regimen Monarchicum ceteris regiminibus præferri non debere (1). At eos in duobus præcedentibus capitibus jam refellimus.

§. XVI. Dum in Monarchico regimine Aristocratia, & Democratia aliquam partem sub uno supremo imperante habent, regimen Monarchicum non solum nihil perfectionis amittit, sed etiam aliquid acquirit.

Quemadmodum monet S. Thomas 1. 2. qu. 105. art. 1. „ Circa bonam ordinationem Principum in aliqua civitate, vel „ gente duo sunt attendenda: quorum unum est, ut omnes „ aliquam partem habeant in Principatu: per hoc enim con„ servatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & „ custodiunt, ut dicitur in 11. *Polit.* aliud est, quod attenditur „ secundum speciem regiminis, vel ordinationis Principatuum". Facta vero distinctione regiminis tum Monarchici, tum Aristocratici ita prosequitur: " Unde optima ordinatio Princi„ pum est in aliqua civitate, vel regno, in quo unus præfici„ tur secundum virtutem, qui omnibus præsit; & sub ipso „ sunt aliqui principantes secundum virtutem: & tamen talis „ Principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi „ possunt, tum quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis vero „ est omnis politia bene commixta ex *Regno*, in quantum unus „ præest;

(1) Hos Mamachius recensuit *Origin.*, & *Antiquit. Christian.* lib. 4. par. altera cap. 1. §. 2. Adnot. 3.

„ præest; & *Aristocratia*, in quantum multi principantur secundum virtutem; & ex *Democratia*, id est, potestate populi, in quantum ex popularibus possunt eligi Principes, & ad populum pertinet electio Principum“. Hujus vero conditionis fuisse illud regimen, quo Deus populum Hebraicum a Moyse gubernandum constituit, deinde S. Doctor ostendit. Quapropter semel ac in Monarchico regimine supremum imperans habeatur cui tum singuli, tum universi subjiciantur, eique non minus cœtus optimatum, quam multitudo populi subesse debeat, id omne boni semper integrum manet, quod ex Monarchico regimine proficisci jam ostendimus (1). Dum vero illud superadditur Monarchico regimini, ut etiam optimates sub supremo imperante aliquam in regimine partem habeant, atque isti vel ex omnibus, vel etiam ab omnibus eligi possint, communi paci, & tranquillitati securius prospicitur, quia tunc fit, ut hujusmodi regimen magis gratum, & acceptum evadat apud omnes, illudque ad se omnes quodammodo pertinere arbitrentur. Est ergo manifestum, non solum nihil perfectionis Monarchico regimini detrahi, sed etiam aliquid superaddi, dum in eo Aristocratia, & Democratia sub uno supremo imperante aliquam partem habent.

Ex his vero, quæ ex S. Thoma in medium protulimus, nobis etiam tacentibus, constat, quo sensu idem S. Doctor 1. 2. qu. 95. art. 4. affirmet regnum Aristocratia, & Democratia commixtum *optimum* esse. Nam quemadmodum in superiori loco, quem modo citavimus, sese explicat, semper vult, ut in hujusmodi commixtione *unus omnibus præsit*, & *sub ipso sint aliqui principantes*. Quo sane semel posito, potestati Monarchici regiminis nihil detrahitur, sed ea omnino sarta tecta servatur, quamvis cum eadem fiat admixtio quædam tum Aristocratici, tum Democratici regiminis: quæ sane commixtio, sicuti modo ostendimus, ad perfectionem Monarchici regiminis confert.

CA-

(1) Præced. §.

CAPUT IV.

DE MONARCHIA, QUA SUPREMUM ECCLESIÆ REGIMEN CONTINETUR.

§. I. Exponitur, qua ratione Catholici Auctores inter se differant in explicatione hujus Monarchici regiminis.

Ecclesiæ regimen neque Democraticum, neque Aristocraticum esse, in duobus hujus libri primis capitibus contra Acatholicos jam ostendimus. Nunc vero, jactis in superiori capite fundamentis veri Monarchici regiminis, contra illos Orthodoxos Theologos disputare instituimus, qui licet cum omnibus Orthodoxis, & Primatum non solum dignitatis, & ordinis, sed etiam potestatis, atque auctoritatis Romano Pontifici tribuant, & Ecclesiæ regimen Monarchicum esse firmissime teneant, tamen de conditione hujus Monarchici regiminis singulariter opinantur. Putant enim Romano Pontifici singulos Episcopos subesse, non vero simul omnes, dum in unum congregati, & ex orbis universis partibus uniti, Ecclesiam, sicuti ipsi volunt (1), universam repræsentant. Horum ergo cœtui supremum Ecclesiæ caput, penes quod est Monarchicum regimen, subjectum faciunt; indeque fit, ut, quoniam Episcopi propter dignitatem, atque potestatem, qua præditi sunt, locum optimatum in Ecclesia tenent, regimen Ecclesiæ Monarchicum Aristocratia temperatum teneant, atque omnes Ecclesias *distributive* quidem, non vero *collective* auctoritati, & jurisdictioni Summi Pontificis obnoxias velint. Hanc vero suam opinionem tuentur *ut probabiliorem*, *& Scripturæ Sacræ*, *& Traditioni magis consonam*, sicuti in *Hist. Ecclesiast.* sec. 15., & 16. *Dissert.* 4. Natalis ab Alexandro monet. Omnino simplex, atque absolutum Monarchicum Ecclesiæ regimen esse, prout ab antiquis Ecclesiæ temporibus semper traditum accepimus, nos tuemur: ex quo sane consequitur, ut Summo Pontifici non solum

(1) Nullam universæ Ecclesiæ repræsentationem haberi posse, si caput illius excludatur, inferius ostendemus, dum de eo, quod Summus Pontifex supra Concilia Œcumenica potest, sermonem habebimus.

solum singuli Ecclesiæ Præsules, sed etiam omnes in unum simul congregati, subjecti esse debeant. Quapropter inter nos, & Adversarios nostros disputatio nunc de eo non est, utrum Conciliis Œcumenicis Summus Pontifex suprema cum auctoritate præsit, vel non præsit: erit autem postea; sed utrum regimen Ecclesiæ, si ad ejus institutionem attendamus, sit perfecte Monarchicum, & cujusvis contemperationis cum Aristocratia omnino expers. Hoc primo, atque præcipuo doctrinæ capite in bono lumine semel posito, alterum quoque perspectum sit; hoc est, aperte dignoscitur, utrum Patres in Concilio Œcumenico congregati sint, vel non sint supra Summum Pontificem, atque illi dicere, aut non dicere legem possint. Nam si Ecclesiæ regimen est perfecte Monarchicum ea qua nos ratione contendimus, inde necessario consequitur, Patres etiam in Concilio Œcumenico simul congregatos Summo Pontifici subesse. Ab institutione ergo Monarchici regiminis nunc ordiemur, singillatim vero deinde ostendemus, illud esse perfecte Monarchicum.

§. II. Ob sui institutionem Ecclesiæ supremum regimen quovis alio seculari regimine præcellit.

Qui Petro futurum promisit, ut super eum Ecclesia extrueretur, atque illi darentur claves regni Cœlorum, quibus ligatum, aut solutum esset in cœlis, quidquid ligaretur, aut solveretur in terris; qui Petrum certiorem fecit, se rogasse, ne deficeret fides ejus, ac propterea ipsius esse debere, in fide confirmare fratres; qui tandem Petro demandavit munus pascendi omnes tam agnos, quam oves, fuit profecto Christus: ipse sane proprio ore, præsentibus aliis Discipulis, Petro hæc omnia singulariter dixit (1). Per hæc autem Christus S. Petrum supremum Ecclesiæ caput constituit, supremamque ei legislativam auctoritatem una cum coactiva potestate dedit (2): Christus ergo est immediatus auctor ejus supremi regiminis, quod est in Ecclesia. Ecclesiastica ergo potestas tota a cœlo est, neque jure naturali, aut gentium, vel civili interve-

(1) *Matth.* cap. 16. v. 18. & seq., *Lucæ* cap. 22. v. 32., & *Joann.* cap. 21. v. 13. & seqq. (2) Lib. 18. cap. 1. & 2.

terveniente, sed per Mediatorem Dei, & hominum, Jesum Christum ad nos pervenit, estque ejusdem communicatio potestatis, quam ipse Christus, quatenus homo erat, a Patre recepit. Unde Ecclesiæ regnum, quamvis in hoc mundo sit, tamen de hoc mundo non est: sicuti regnum Christi est quidem in hoc mundo, indeque Christum Regem se esse nunquam negavit, non tamen de hoc mundo, quia e cœlo profectum fuit. Anne vero idem de quovis seculari regimine affirmari potest? Seculare ergo regimen qua ratione a Deo sit, nunc discutiendum non aggredimur: discutiemus autem postea, quando de seculari potestate disputabimus; illud igitur unum tantum modo contendimus, nullum supremum seculare regimen nunc haberi, quod suam a Christo institutionem eadem ratione, ac supremum Ecclesiæ regimen habeat, & propterea supremmum Ecclesiæ regimen, si ejus institutionis ratio habeatur, cuivis seculari regimini præferendum esse dicimus.

§. III. Firmitas, & insuperabilis fortitudo potestatis est alterum Ecclesiastici supremi regiminis præclarissimum decus, quo illud supra omne seculare regimen extollitur.

Dum Christus Petrum certiorem fecit, super eum Ecclesiam ædificandam esse, simul etiam spopondit, nunquam futurum, ut portæ inferi adversus eamdem Ecclesiam prævalerent. Ad hoc autem etiam contra supremum Ecclesiæ caput, cui Christus ejusdem supremum regimen demandavit, portas inferi prævalere non posse, necessario requirebatur. Si enim portæ inferi contra Ecclesiæ caput prævalere possent, etiam contra ipsam Ecclesiam inde consequeretur, ut prævalerent. Firmitas ergo, & insuperabilis fortitudo potestatis est alterum Ecclesiastici supremi regiminis præclarissimum decus, quo illud super omne seculare regimen extollitur. Quæ enim tanta est, aut aliquando fuit secularis fortitudo regiminis, ut non sit obnoxia mutationibus, atque etiam penitus extingui, delerique non possit? Ipsa historia temporum nullum hac de re dubitandi locum relinquit.

§. IV. Tam ob sui amplitudinem, quam ob eum finem,

quem

quem sibi propositum habet, supremum Ecclesiæ regimen supra quodvis aliud seculare regimen longe præfulget.

Quæ ergo extensio dominii in supremo Ecclesiæ regimine continetur, in nullo sane alio continetur. " Ecclesia Do-
„ mini (inquit S. Cyprianus in lib. *De Unitate Ecclesiæ*) luce
„ perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum ta-
„ men lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corpo-
„ ris separatur. Ramos suos in universam terram copia uber-
„ tatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit.
„ Unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcun-
„ ditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius la-
„ cte nutrimur, spiritu ejus animamur ". Hujus autem Ecclesiæ, quæ per orbem totum radios suos porrigit, quæ ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, & profluentes largiter rivos latius expandit, supra Petrum Christus fundamenta posuit, illiusque supremum caput constituit. Deinde nihil eorum, quæ in terris ligari, aut solvi possent, a Petri potestate Christus exclusit, atque postquam illi in mandatis dedit, ut omnes in fide confirmaret, omnium tum agnorum, tum ovium supremum Pastorem constituit (1). Ex quibus, ut cum S. Bernardo loquar lib. 2. *De Considerat.* cap. 8. num. 15. " Cui non planum, non designasse aliquas, sed assi-
„ gnasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil ". Quænam vero unquam secularis regiminis potestas adinveniri potest, cui totus, qua latet patet, orbis subdatur, & auctoritate illius quodvis solvi, aut ligari possit? Supremum ergo Ecclesiæ regimen ob sui amplitudinem quovis seculari regimine longe præfulget.

Idem vero est illi tribuendum etiam ob eum finem, quem sibi propositum habet. Ad illud enim hujus supremi regiminis tota potestas refertur, ut recta sit omnium fides, ad Evangelii regulam compositi mores, Divinus cultus recte institutus, nihilque eorum neglectum, quo nunc Dei amici effici possimus, & in altera vita æternæ gloriæ cohæredes. Quapropter

(1) *Matth.* cap. 16. v. 18. & seq., *Luca* cap. 22. v. 32., & *Joann.* cap. 21. v. 15. & seqq.

propter totum ſpirituale eſt, quod hujuſmodi ſupremum regimen ſibi ultimo propoſitum habet, illius fructus nunquam marceſcit, ſed ſemper perſeverat, æternamque ſecum beatitudinem affert. Quæ vero ad vitæ præſentis felicitatem, ac tranquillitatem conferunt, quodvis ſeculare regimen potiſſimum reſpicit. Quapropter ſi quæ cum præſenti vita relinqui, & amitti debent, cum aliis comparari nullo modo poſſunt, quæ ſpiritualia ſunt, atque æternam felicitatem nobis comparant; jam nemo non videt, etiam ob eum finem, quem ſibi propoſitum habet, ſupremum Eccleſiæ regimen cuivis ſeculari regimini valde præferri oportere.

§. V. Ipſa perfectio ſupremi Eccleſiaſtici regiminis exigebat, ut illud vere Monarchicum eſſet, in quo nulla admixtio, ſeu contemperatio alterius regiminis haberetur.

Monarchicum regimen, quod revera Monarchicum ſit, ceteris quibuſcumque regiminibus longe perfectius eſſe, non minus evidenti ratione, quam auctoritate Sanctorum Patrum, atque etiam Philoſophorum omnino perſpectum habemus (1). Supremum vero Eccleſiæ regimen ſupra cetera quævis regimina præcellit tum ob ſui inſtitutionem, quæ eſt a Chriſto, tum ob firmitatem, & inſuperabilem fortitudinem, tum etiam ob amplitudinem, & finem, quem ſibi propoſitum habet (2): ob ſui ergo perfectionem exigebat, ut eo modo Monarchicum eſſet, quo nos contendimus. Nam Chriſtum eam Eccleſiam, quam ſuo ſanguine acquiſivit, ſub eo regimine poſuiſſe, quod omnium perfectiſſimum eſt, tum ſapientia, tum illius erga ſuam Eccleſiam amor dubitare non ſinit. Id quoque ipſius regiminis firmitas poſtulabat, atque amplitudo omnino exigebat. Nam ex ſui natura regimen illud minus firmiter conſiſtit, quod cum aliis regiminibus aliquam commixtionem habet (diverſitas enim ſciſſionem facile parit) & ſi illud non minus univerſum orbem, quam omnes tum agnos, tum oves complectatur, penes unum ſit oportet. Tandem unitas quoque finis una eademque ratione comparandus ab omnibus, ut in uno tantum eſſet tota poteſtas ſupremi regiminis, requirebat.

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 14. & ſeq. (2) Hujus cap. §. 2. & ſeqq.

§. VI. Repugnat, Christum suam Ecclesiam regendam constituisse Monarchico regimine Aristocratia temperato.

Illud nunc iterum commemoramus, hanc contemperationem Aristocratiæ cum Monarchia, si supremum Ecclesiæ regimen spectetur, ab Adversariis nostris in eo poni, ut Summus Pontifex sit subjectus Patribus in Concilio Œcumenico simul congregatis, & universam Ecclesiam, quemadmodum ipsi dicunt, repræsentantibus. Modo ergo ita ex jam demonstratis. Ratio Monarchici regiminis exigit, ut supremus Monarcha tum singulos, tum universos sibi subjectos habeat: ut independenter ab ea sit penes aliquem cœtum optimatum judicandi potestas, nullo modo patitur: multo minus fert, ut habeatur aliquis optimatum cœtus supra supremum imperans, cujus decretis etiam ipsum supremum imperans obnoxium sit: forma illa Monarchici regiminis, in qua supremum imperans cœtui optimatum subjicitur, est omnino irregularis, in se spectata quam maxime obnoxia dissensionibus, & ad Aristocratiam potius, quam ad Monarchiam accomodata ( ). At vero in nullius, & neque etiam in Adversariorum nostrorum mentem cadere potest, semel ac sibi constare velint, Christum in Ecclesia Monarchici regiminis talem rationem instituisse, quæ in se non complecteretur, quod ex sui natura requireret, immo quæ irregularis, ac in se spectata sibi contraria foret, & ad dissensiones tenderet, eaque regimen potius Aristocraticum, quam Monarchicum fieret. Dicendum ergo est repugnare, Christum suam Ecclesiam regendam constituisse Monarchico regimine Aristocratia temperato.

§. VII. Falso supponitur, Monarchici regiminis tum Ecclesiastici, tum secularis unam eamdemque rationem habendam non esse, si ad supremam potestatem eorum attendatur.

Nullam quidem supra Regem, qui dominio Monarchico potiatur, in populo, vel in optimatibus simul unitis potestatem esse, eorum quoque multi tuentur, qui supremum Ecclesiæ Præsulem Œcumenicorum Conciliorum auctoritati subjiciunt: quia tamen semel ac ponatur seculare Monarchicum

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 2. & seqq.

cum regimen etiam optimates simul unitos sibi subjectos habere, eique subesse, non solum singulos, sed etiam universos; illud inde consequi vident, esse idem affirmandum de Ecclesiastica Monarchia, quam ipsi quoque admittunt, atque profitentur, ideo ut ab hac difficultate sese expediant, non unam eamdemque Monarchiæ tum Ecclesiasticæ, tum secularis rationem esse tuentur. Ita cum Natali ab Alexandro *Dissert.* 4. *in Hist. Ecclesiast.* seculi 15., & 16. art. 1. §. 5. nu. 56., & Bossuetio *Defensionis &c.* lib. 8., alias 13., cap. 15. multi alii quoque tenent, qui hac in re eodem modo, ac illi, opinantur. Monarchiam ergo secularem supra omnem quidem conventum populi, optimatumque cœtum ponendam affirmant, Ecclesiasticam tamen iis Præsulum cœtibus submittendam arbitrantur, qui universam Ecclesiam, sicuti ipsi dicunt, repræsentant, quales sunt Synodi Œcumenicæ.

At illud nunc primo quærimus ab eis, utrum spectet ad perfectionem Monarchici regiminis, ut illud tam supra singulos, quam supra universos extendatur, nullusque sit personarum, quamvis simul congregatarum, cœtus, qui non subsit dominio ejus, an vero id ejusdem regiminis imperfectioni tribuendum sit. Hoc sane a nemine dici potest. Quæ enim rationes regimen Monarchicum ceteris regiminibus præferendum esse evidentissime suadent, inde suadent, quia ut unus tantum summæ rerum præsit, qui nullam potestatem sibi superiorem habeat, ad communem felicitatem quam maxime conducit, atque utilitate unitatis ipsius regiminis ii omnes ducuntur, qui Monarchicum regimen ceteris regiminibus esse præferendum censent (1). Et re quidem vera regimen alicujus Principis imperfectum inde esse, quia ipse solus summam supra omnes potestatem habet, nullaque societas hominum sibi jus dicere potest, in cujusnam tandem mentem venerit? Spectat ergo ad perfectionem Monarchici regiminis, ut undequaque supremum sit. At vero Monarchicum Ecclesiæ regimen est longe perfectius Monarchico seculari regimine (2), atque hæc ipsa perfectio illius exigit, ut sit vere Monarchicum, & in

 eo

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 15. & seq. (2) Hujus cap. §. 2. & seqq.

eo nulla cujusvis alterius regiminis commixtio, sive contemperatio habeatur (1): falso ergo supponitur, Monarchici regiminis tum Ecclesiastici, tum secularis eamdem rationem habendam non esse, si ad supremam potestatem eorum attendatur. Deinde dum Adversarii ab Ecclesiastico Monarchico regimine detrahunt, quod seculari tribuendum esse concedunt, Ecclesiastico regimini Monarchiæ nomen relinquunt, revera tamen vim, virtutem, atque potestatem denegant. Illud enim in ipsa ratione Monarchici regiminis continetur, ut unus tantum non solum singulis, sed etiam universis præsit (2). Quo sane fit, ut ratio Monarchici regiminis nullo modo patiatur, independenter ab ea esse penes aliquem cœtum optimatum judicandi potestatem, multoque minus ferat, ut hujusmodi cœtui supremum imperans subjectum sit (3): ac propterea illa forma Monarchici regiminis, in qua id habetur; omnino irregularis evadat, atque Aristocratica potius dici debeat, quam Monarchica (4). Dum ergo Adversarii a Monarchico Ecclesiastico regimine detrahunt, quod seculari tribuunt, Monarchici nomen illi quidem relinquunt, vim tamen, virtutem, atque potestatem denegant.

§. VIII. Ecclesiæ Principatum non esse Monarchicum quoad regimen, sicuti est quoad statum, inepte confingitur. " In Ecclesia (inquit Edmundus Richerius in libello *De „ Ecclesiastica, & politica potestate* cap. 5.) status a regimine di„ stinguitur: nam status Monarchicus est ad unitatem, atque „ ordinem vindicandum, nec non ad efficacem exequutionem „ canonum: regimen vero Aristocraticum ". Eumdem errorem etiam Dupinius sequutus fuit *De Antiqua Ecclesiæ Disciplina Dissert.* 4. cap. 2. §. 3. " Per Prælatos (ait) jus clavium exerce„ tur, non per solum Pontificem, licet sit primus inter eos, „ qui jus illud habent. Hinc ajunt statum Ecclesiæ Monarchi„ cum esse, regimen Aristocraticum ". Nos vero, ut cum sapientissimo Mauclero loquamur *De Monarchia Divina &c.* par. 2. lib. 1. cap. 4. " Tam solide altisque radicibus suæ in

" ter-

(1) Ejusdem cap. §. 5. (2) Hujus lib. cap. 3. §. 1. & 2. (3) Ejusdem cap. §. 3. & 4. (4) Ejusdem cap. §. 7. & 9.

„ terris Ecclesiæ fundamenta Christum Dominum in structu-
„ ram dominationis Monarchicæ perfectissimam jecisse credi-
„ mus, credentesque ore, & corde profitemur, ut non mo-
„ do esse jus, & potestatem dominationis ejus in Ecclesia pe-
„ nes unum Principem, verumque etiam usum, & actum
„ ipsius, secundum promissa, & præscriptas Christi Domini
„ leges revera existere fide Catholica defendamus, sive ejus
„ statum, sive administrationem, regimenque Ecclesiæ spe-
„ ctare. considerareque velimus. In quo ridiculam, & ine-
„ ptam quorumdam distinctionem semper contempsi, vere-
„ que risi, qui ut Monarchicam Ecclesiæ majestatem invidio-
„ se, seu malitiose adulterarent, statum Ecclesiæ ab ejus re-
„ gimine tanto discrimine separarunt, ut ejus statum Monar-
„ chicum quidem, regimen vero Aristocraticum solum auda-
„ cter asserere non dubitarint. Assertio sane a Philosophorum,
„ Jurisperitorum, Theologorumque regulis valde discrepans,
„ quum status, & regimen se habeant, ut potentia, & actus,
„ jus, & usus, actus primus, ut Philosophi loquuntur, &
„ actus secundus; quæ omnia sorte conditioneque distingui
„ inter se, nullus sibi unquam persuadere poterit, qui solum
„ prima philosophiæ limina extremis, ut ajunt, digitis atti-
„ gerit". Status profecto reipublicæ, conditionis ipsius regiminis habita ratione, non est aliud, quam modus, aut regula quædam certa, propria, atque immutabilis, qua respublica regitur, & gubernatur. Hujusmodi autem status alius est Monarchicus, alius Aristocraticus, alius Democraticus: si sit Monarchicus; etiam forma regiminis Monarchica esse debet: Aristocratica autem, sive Democratica; si status ejus Aristocraticus fuerit, vel Democraticus. Forma enim regiminis non aliunde proficiscitur, quam ab eo statu, quem ipsa respublica habet: ita ut qua ratione repugnat, audiendi in oculo, in aure autem videndi exercitium esse, quia status visivæ potentiæ ad videndum, non vero ad audiendum, contra vero status potentiæ aurium ad audiendum, non ad videndum refertur; ita etiam fieri nullo modo potest, nisi quæ inter se pugnant, simul conjugi posse supponamus, statum reipublicæ Monarchicum esse,

esse, ejus vero regimen Aristocraticum. Tunc enim ab uno eodemque principio non solum id proficisceretur, quod diversi esset ab eo generis, sed etiam quod illi prorsus opponeretur. Aristocraticum namque dominium, & Monarchicum sibi mutuo adversantur, quum ut unus tantum præsit, ad illud, ad istud autem, ut plures simul uniti præsint, necessario requiratur. Et re quidem vera anne dici sine apertissimo mendacio posset, supremum Monarcham cujusdam regni quempiam esse, quamvis suprema auctoritate ferre leges, jus dicere, ceteraque omnia agere, quæ sunt Monarchici Principatus, ad ipsum non pertinerent? " Quamobrem (ut cum Mauclero „ concludam) statum Ecclesiæ in officio a regimine disgrega„ re, commentari est, non ratiocinari, & imaginationis læ„ sæ spectro ludere, non sapere. Statum Ecclesiæ Monarchi„ cum admittere, regimen vero Aristocraticum fingere, chi„ mericum est, atque phantasticum, in nulla unquam socie„ tate politica visum ".

§. IX. Quamvis omnino ad arbitrium conficta divisio Monarchici regiminis in *Personalem*, & *Realem* admittatur, ex ea tamen nihil minus inferri potest, quam Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum esse.

Almaini, Joannis Majoris, Petri de Alliaco, & aliorum sententia fuit, aliquam politiam *Realem*, hoc est Monarchici regiminis, inde dici non debere, atque revera non esse, „ Quia unus ei præsit, qui sit tota communitate in jurisdi„ ctione major, sed solum propter hanc causam, quia unicus „ præest, qui in quemlibet alterum de communitate jurisdi„ ctionem habet, & est eo superior ". Unde ajebant „ Quod „ Tota communitas potestatem habet super Principem ab ea „ constitutum, qua eum, si non in ædificationem politiæ re„ gat, deponere potest " (1). Quare illis assentiuntur, qui summam potestatem Monarchici regiminis in *Personalem*, & *Realem* ita divisere, ut hanc optimatibus, vel populo supra supremum imperans, illam supremo Principi tribuerint. Ex hoc falso doctrinæ capite, quod jam refutavimus (2), se colligere posse

(1) Vide §. 10. cap. præced. (2) Cit. loco.

posse falso putarunt, Summum Pontificem Œcumenico Concilio subjectum esse, quamvis in Ecclesia Monarchico regimine ipse potiatur, quemadmodum etiam apud eos in confesso est. Nam Almainus in Tractatu *De Auctoritate Ecclesiæ*, *& Conciliorum Generalium adversus Cajetanum* cap.8. ducta paritate ab imperio, in quo juxta falsam suppositionem illius supremum imperans communitati subest, ita concludit: « Pariformiter de » Papa in ordine ad Ecclesiam dicendum est«. Rem vero eamdem cum ipso inferunt tum Joannes Major in *Disputatione*: *An Papa sit subditus fraternæ correctioni*, tum Petrus de Alliaco *in Tractatu*: *De Eccl.*, *Concil. General.*, *Rom. Pontif.*, *& Cardinal. auctoritate*, tum alii, quorum opuscula collecta habentur tom. 2. Operum Gersonii edit. Antuerpiensis an. 1706. Ex eo ergo quod multitudo Principem sibi constituerit, arbitrantur, quamvis omnino falso, semper in multitudine id superesse potestatis, qua eum deponere possit, semel ac ille imperii vi utatur non in ædificationem, sed in destructionem politiæ, atque ita potestatem supremi secularis imperantis potestati multitudinis subjectam faciunt. Nunc ergo contra illos de eo tantum, quod ex falso principio colligunt.: ipsum autem principium paucis jam refutavimus, pluribus autem refutaturi, quando de laica potestate Principum agemus.

De eo igitur Principatu hic non disputatur a nobis, qui suam a consensione hominum institutionem habeat, quique suam auctoritatem ab hominibus mutuatus fuerit, sed de illo, quem, ipsis quoque Adversariis nostris sentientibus, prout Catholica veritas exposcit, Christus instituit, cui ipse Christus auctoritatem contulit, atque talem quidem, qualem nullo modo homines etiam simul congregati alteri tribuere possunt. Quid ergo huic Principatui conveniat, ex civili politia perspiciendum non est, sed ad Christi institutionem attendatur oportet, qualemque Christus hujus Principatus potestatem esse voluerit, diligenter attendendum. Hæc sane vera ratio est, unde auctoritas ejus, atque potestas nobis comperta esse possit. Quapropter ex falsa illa suppositione quod populus id juris semper retineat, quod contra Principem a se ipso

supra

supra se constitutum adhibere possit, semel ac Princeps imperii potestate in ædificationem non utatur, non sine maxima absurditate colligitur, Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum esse. Ideo enim juxta illam falsam suppositionem Princeps secularis subesset judicio multitudinis, quia suam ab ea potestatem acceptam referre deberet: at vero Ecclesiæ supremum imperans neque a multitudine populi, neque a cœtu optimatum habet eam supremam potestatem, qua præditus est, sed ex institutione Divina. Quamvis igitur omnino ad arbitrium conficta divisio Monarchici regiminis in *Personalem*, & *Realem* admittatur, ex ea tamen nihil minus inferri potest, quam Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum esse.

§. X. Nullo modo dici potest, Monarchicum Ecclesiæ regimen ita Aristocratia temperatum esse, quemadmodum potestas Romanorum Imperatorum erat contemperata potestate conscriptorum Patrum.

Petrus de Marca lib. 5. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* cap. 7. num. 9. affirmat, eamdem esse potestatem tum Romani Pontificis, tum Patrum in Concilio Œcumenico simul unitorum, ac quondam fuisse novimus tum Romanorum Imperatorum, tum conscriptorum Patrum, ac propterea ea nunc ratione pendere tradit auctoritatem Summi Pontificis ab auctoritate Œcumenici Concilii, quomodo auctoritas Romanorum Imperatorum ab auctoritate Senatus quondam pendebat. Hanc vero ipse rationem iniit, ut summam potestatem Romani Pontificis conciliaret cum ea suffragiorum libertate, quæ est penes Episcopos in Concilio Œcumenico simul unitos. Verum vir ceteroquin eruditissimus fallitur.

Quæ ergo Romani Senatus conditio fuerit, quæve ejus auctoritas, atque potestas; simili ratione quid Romani Imperatores possent, ad quæ eorum imperii vis extenderetur, undeque illam haberent, nunc discutiendam non aggredimur, ut brevitati studeamus (1). Illud ergo tantummodo urgemus, jussa Principum in Imperio Romano non habuisse vim definitionis,

(1) Hac de re tota consulatur Gravina in lib. *De Romano Imperat.*

nis, aut legis, nisi in ea Senatus libere consentiret, ac propterea illud, quod decreto Senatus firmatum erat, summa auctoritate esse definitum putabatur. Est nobis hac de re ipsius Petri de Marca auctoritate compertum: " Quum autem Senatus
" (inquit lib. 2. *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii* cap. 7.
" num. 5.) de rebus omnibus vice populi consuli cœpisset,
" Principes Senatus-Consultorum auctores fieri voluerunt.
" Quod eam vim in se habeant, ut oratio Principis in Senatu
" recitata, seu mavis, relatio cum prærogativa suffragii non
" solum cum unaquaque gravissimorum Senatorum sententia
" comparanda esset, sed etiam decisionis auctoritatem indue-
" ret, si consensus Senatus accederet. Inde fit, ut frequen-
" ter in jure aliquid oratione Principis constitutum dicatur,
" quod alibi Senatus-Consulto tribuitur ad orationem illam
" facto. Scilicet oratio continet in se auctoritatem quamdam
" non solum censendi, sed etiam definiendi, dummodo con-
" sensu, & suffragiis Senatus juvetur: quemadmodum etiam
" vice versa decreto Senatus res propositæ summa auctoritate
" definiuntur ". Si ergo quæ Imperatorum, habita ratione Senatus, potestas fuit, esset etiam Summorum Pontificum auctoritas, habita ratione Patrum in Concilio Œcumenico simul unitorum, eademque propterea contemperatio foret tum Pontificiæ potestatis, si ad Patres in Concilio Œcumenico simul congregatos attendatur, ac erat Imperatorum, si Patres conscripti respiciantur; inde consequeretur, ut sicut in Imperio Romano jussa Principum vim definitionis, aut legis non habuerunt, nisi in ea Senatus libere consentiret, ac propterea illud, quod decreto Senatus firmatum erat, summa auctoritate esse definitum putabatur, & veræ legis auctoritatem obtinebat; ita etiam in Monarchico Ecclesiæ regimine quæ Romani Pontifices sanxerunt, atque decreverunt, vim definitionis, aut legis habere non potuerint sine consensione Patrum in Concilio Œcumenico congregatorum, ac propterea quod decreto Patrum firmatum foret, summa auctoritate esse definitum putaretur, & veræ legis auctoritatem obtineret. At plura sane sunt, quæ ab antiquis Ecclesiæ temporibus ad hanc us-

que nostram ætatem Romani Pontifices ullo sine Œcumenico Concilio pro tota, qua late patet, Ecclesia definierunt, atque sanxerunt, eaque, nulla prævia assensione Œcumenici Concilii, universi Fideles uti certam regulam susceperunt, qua suam fidem, & mores regerent, & etiam in ipsa ratione Divini cultus sese gubernarent. Est id sane certum apud omnes, & ipse Petrus de Marca lib. 5. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* cap. 8. num. 1. hisce verbis confirmat: " Certum est (in„ quit) & indubitatum Apostolicæ Sedis auctoritate assertam „ fuisse fidei veritatem adversus perfidiam Eutychis, Synodi „ Ephesinæ latrocinium castigatum, Orientis Episcopos ad sa„ tisfactionem adactos, & Leonis epistolam pro sincera fidei „ definitione susceptam ". Num. seq. " Non me latet olim „ in provinciis erumpens hæreticum virus Synodorum Pro„ vincialium decretis expulsum, hæresi, atque hæreticis dam„ natis. Sed hæreticis tantum in provincia degentibus pœna „ a Synodis indicebatur. At vero Leo I. hæresim in Oriente „ natam, & hæreticos non solum in Occidente, sed etiam in „ Oriente damnat, ejusque sola epistola vim sententiæ, & ca„ nonicæ definitionis obtinet: Synodum, quæ faverat hæresi, „ rescindit, & perturbationis auctores suo judicio reservat. „ Sic olim Pelagianis a Zosimo damnatis, eorum hæresis per „ totum orbem proscripta est, ut diserte scribunt Augustinus, „ & Prosper ". Ipso ergo etiam Petro de Marca consentiente, potestas Romani Pontificis in Christiana Republica omnino diversa est ab ea potestate, quam in Romana Republica Imperatores quondam obtinuerunt. Istorum enim *oratio, seu mavis relatio cum prærogativa suffragii, in Senatu recitata decisionis auctoritatem induebat, si consensus Senatus accedebat*, atque in eadem oratione inerat *auctoritas non solum censendi, sed etiam definiendi, dummodo consensu, & Senatus suffragiis juvaretur, & vice versa decreto Senatus res propositæ summa auctoritate definiebantur*. At vero certum quoque est, atque indubitatum, *Apostolicæ Sedis auctoritate assertam fuisse fidei veritatem adversus Eutychem, & Leonem I. hæresim in Oriente natam, & hæreticos non solum in Occidente, sed etiam in Oriente damnasse, ejusque solam*

episto-

epistolam vim sententiæ, & canonicæ definitionis obtinuisse: itemque *Pelagianis a Zosimo damnatis, eorum hæresim per totum orbem proscriptam fuisse*. Quapropter auctoritate Apostolicæ Sedis asserta fuit veritas fidei, & *sola* epistola Summi Pontificis vim sententiæ, & canonicæ auctoritatis obtinuit, atque hæresis Pelagianorum auctoritate Zosimi per totum orbem proscripta fuit.: contra vero sola auctoritate Romanorum Imperatorum sine consensu, & suffragiis Senatus nulla lex constitui poterat, & vice versa decreto Senatus res propositæ *summa auctoritate* definiebantur. Possunt ergo Summi Pontifices ullo sine Œcumenico Concilio sancire leges, *solaque* epistola eorum habet vim sententiæ, & canonicæ auctoritatis: non poterant Romani Imperatores sine consensu, & suffragiis Senatus legem aliquam constituere, & *vice versa* quidquid Senatus suo decreto decernebat, *summa auctoritate* definitum putabatur. Si autem hoc discriminis, quod inter utramque potestatem intercedit, non facit, ut illæ inter se distinguantur, atque diversæ evadant; non video sane, quid nam tandem efficere possit, ut una potestas ab altera differat. Si ergo ad ea attendamus, quæ ipse Petrus de Marca de utraque potestate singillatim tradit (eaque sane vera sunt, & a nemine negari possunt) constat profecto comparari non posse Monarchicum Ecclesiæ regimen cum regimine Romanorum Imperatorum, ac propterea eum sibi contradicere dum affirmat, eamdem esse potestatem tum Romani Pontificis, & Patrum in Concilio Œcumenico simul unitorum, ac quondam fuisse novimus tum Romanorum Imperatorum, & conscriptorum Patrum.

Frustra vero id tum Ephesini, tum Chalcedonensis Synodi auctoritate confirmare nititur. Nam tam Ephesinos, quam Chalcedonenses Patres Summum Pontificem supremi Legislatoris loco habuisse, ejusque decreta fuisse sequutos, tam manifestum est, quam quod maxime (1). Non est ergo, cur in hac re nunc immoremur. Quomodo autem simul uniatur tum Patrum in Concilio Œcumenico congregatorum auctoritas, tum

(1) Vide §. 9. cap. 3. lib. superior.

tum ratio supremi absolutique regiminis in Romano Pontifice in sequenti §. 16. explicabimus.

§. XI. Quæ est in Summo Pontifice super universam Ecclesiam suprema legislativa potestas ex Divina institutione, nullam in ejus Monarchico regimine contemperationem admittit, quæ ab Aristocratia habeatur.

„ Demonstrandum erat (inquit Bossuetius *Defensionis &c.* „ lib. 8., alias 13., cap. 15.) Ecclesiasticam Monarchiam, sub „ Christo præcipuo Monarcha constitutam, ad formam Mo- „ narchiæ secularis penitus institutam esse. Quod est falsissi- „ mum: id, inquam, Scripturis, & Traditione demonstran- „ dum, non ex proprio cerebro, vanisque ratiocinationibus „ Christianæ Reipublicæ forma effingenda ". Proprio cerebro, vanisque ratiocinationibus eos duci, qui contemperationem in Monarchico Ecclesiæ regimine admiserunt, est jam in superioribus ostensum a nobis, atque etiam evicimus, ipsi notioni Monarchici regiminis, & ejus potissimum, quod Summus Pontifex ex Divina institutione super universam Ecclesiam habet, quam maxime repugnare, ut illud Aristocratia eo modo, quo ii vellent, qui contra nos sentiunt, temperatum sit. Nunc vero rem eamdem auctoritate Divinarum Scripturarum, & Traditionis demonstrandam aggredimur, & hoc argumenti genere, quemadmodum Bossuetius desiderat, ostendemus, æque in Monarchia tum seculari, tum Ecclesiastica unum tantum esse, qui singulis, & universis suprema auctoritate præsit, ac propterea non solum neminem, sed etiam nullum cœtum hominum supra se habere illud supremum imperans, quod Monarchicum regimen in Ecclesia tenet.

Suprema legislativa potestas in universam Ecclesiam Summo Pontifici debetur, quatenus ille est hæres eorum omnium, quæ Christus Petro, uti supremo Ecclesiæ capiti, contulit (1). Hujusmodi autem legislativa suprema potestas semper eluxit tum in consultationibus, quæ a primis usque Ecclesiæ temporibus ab universo orbe ad Summum Pontificem deferri consueverunt, tum in proscriptione hæresum, quam ab eo factam sem-
per

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq.

per fuisse novimus, ubivis tandem gentium hæreses grassatæ, aut quivis tandem fautores illarum fuerint, tum vel maxime splendet in illa consensione Patrum in Concilio Œcumenico simul unitorum, qua hanc supremam legislativam potestatem in Summo Pontifice venerati fuere, eique sese omnino submiserunt (1). Ipsius autem Principatus suprema vis, atque auctoritas in legislativa potestate potissimum consistit, quæ propterea nemini alteri a Principe communicatur (2). Igitur qualis est legislativa potestas, talis etiam Principatus sit oportet. Supremæ ergo legislativæ potestati, quæ super universam Ecclesiam extenditur, quæ quemlibet cœtum hominum, atque etiam Patres in Concilio Œcumenico simul unitos complectitur, simplex absolutumque Monarchicum regimen exigit, nullamque omnino contemperationem patitur. Quæ est igitur in Summo Pontifice suprema legislativa potestas super universam Ecclesiam ex Divina institutione nullam in illius Monarchico regimine contemperationem admittit, quæ ab Aristocratia habeatur.

§. XII. Cum eo Primatu, quem omnes Catholici in Romano Pontifice agnoscunt, atque profitentur, simplex, & absolutum, Monarchicum regimen necessario conjungitur.

Primatus potestatis, atque jurisdictionis, quem Catholici omnes juxta Divinum verbum tum scriptum, tum traditum Summo Pontifici tribuunt, ad Ecclesiam universam, qua late patet, extenditur, omnesque particulares Ecclesias complectitur non solum *distributive* acceptas, sed etiam *collective*. Ecclesiæ enim universitatem tota simul collectio Ecclesiarum particularium componit, non vero singulæ Ecclesiæ per se divisim sumptæ. Hac enim ratione si Ecclesiæ singulares accipiantur; illæ in se spectantur, quatenus sunt partes totius, & quoad usque in hac consideratione sistamus, nunquam venimus in notionem illius universitatis, quam non singulæ quidem Ecclesiæ per se acceptæ, sed simul unitæ constituunt. Primatus ergo semel ac super universam Ecclesiam extendatur, quemadmodum nemo Catholicorum non fatetur; omnes particu-

(1) Cit. loco §. 7. & seqq. (2) Lib. 2. cap. 3. §. 3.

ticulares Ecclesias non minus *distributive*, quam *collective* acceptas sub se complectatur oportet. Totam ergo collectionem Ecclesiarum simul acceptarum Summus Pontifex sub suo Primatu continet. Hinc Gallicani Episcopi Comprovinciales Metropolis Arelatensis in epistola ad Leonem Magnum (1) affirmarunt, quod " Per Beatum Petrum Apostolorum Principem Sa„ crosancta Ecclesia Romana (in Successoribus ejusdem Petri) „ tenet supra omnes totius mundi Ecclesias Principatum ". Et S. Bernardus epist. 131. num.2. " Plenitudo siquidem pote„ statis (inquit) super universas orbis Ecclesias singulari præ„ rogativa Apostolicæ Sedis donata est ". Et in lib. 2. *De Considerat.* ad Eugenium Papam cap.8. num.15. " Tu es, cui cla„ ves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli „ janitores, & gregum Pastores: sed tu tanto gloriosius, quan„ to & differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. „ Habent illi singuli sibi assignatos greges, singuli singulos: „ tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed & „ Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris? „ Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed „ etiam Apostolorum sic absolute, & indiscrete totæ commis„ sæ sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas*. Quas? „ Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni cer„ ti? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non designasse „ aliquas, sed assignasse omnes "? Et post pauca de Episcopis num. 16. " Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem „ potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limi„ tibus; tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios „ acceperunt ". Postremo inquit: " Quisque ceterorum (Epi„ scoporum) habet suam: tibi una commissa est grandissima „ navis facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia toto orbe „ diffusa ". His vero, ut alia multa omittamus, hæc superaddi possunt, quæ in Concilii Florentini definitione, cui etiam Græci subscripserunt, definita fuisse legimus (2): " Diffinimus „ Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in uni„ ver-

(1) In Edit. Cacciarii post epist. 50. S. Leonis. (2) Tom. 9. Concil. Edit. Harduini colum. 423.

„ versum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur". Universalis profecto Ecclesia sunt Ecclesiæ singulares non *distributive*, sed *collective* acceptæ: at Petri Primatus universam Ecclesiam complectitur: ergo singulas Ecclesias non solum *distributive*, sed etiam *collective* acceptas complecti debet: ergo etiam regimen potestatis, atque jurisdictionis, quod ad hujusmodi Primatum consequitur, universam Ecclesiam complectitur, ac propterea etiam singulas Ecclesias non minus *distributive*, quam *collective* acceptas: est ergo illud, ipsius Primatus habita ratione, omnino simplex, atque absolutum.

Et re quidem vera nonne repugnat, ut ille sit in auctoritate, potestate, atque jurisdictione omnium primus, qui secundum eam rationem, qua omnium primus dicitur, aliorum judicio, atque determinationi subest, qui majorem præ ea, quam ipse continet, supra se auctoritatem positam habet, qui demum talem potestatem obtinet, ut ea restringi, vel saltem regi superiori altera potestate possit? Tunc enim primus, & non primus in auctoritate, potestate, atque jurisdictione simul esset, & non esset: esset quidem, ut supponitur: non esset autem, quia superiori jurisdictioni subesset. Nam primus est eadem ratione indivisibilis, qua unus: unde sicut quælibet divisio unitati opponitur, & si esse unum ponitur, quod est divisum, simul ponitur esse unum, & non unum; ita etiam primo in auctoritate, potestate, atque jurisdictione opponitur, & quævis alia in eodem genere simul auctoritas, potestas, atque jurisdictio, & multo magis superior: & si esse primum in auctoritate, potestate, atque jurisdictione ponatur, quod vel æqualem sibi in eodem genere, vel superiorem auctoritatem, potestatem, atque jurisdictionem habet, simul ponitur esse pri-

primum, & non esse primum. At Summum Pontificem in Ecclesiastica auctoritate, potestate, atque jurisdictione primum esse cum omnibus Catholicis Adversarii nostri firmissime tuentur, dum vero regimen ejus Aristocratia temperatum faciunt, Præsulum cœtui in Concilio Œcumenico simul unitorum Ecclesiasticam auctoritatem, potestatem, atque jurisdictionem supra ipsum Summum Pontificem tribuunt: primum ergo, & non primum in Ecclesiastica auctoritate, potestate, atque jurisdictione illum simul faciunt.

§. XIII. Auctoritate Divini verbi tum scripti, tum traditi, qua apud omnes Catholicos certissime constat de Primatu auctoritatis, & jurisdictionis Romani Pontificis, constare etiam unicuique debet, de illius omnino simplici, absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti Monarchico regimine.

Iis ergo omnibus Divini verbi tum scripti, tum traditi auctoritatibus, quibus nos lib. 18. cap. 1. & 2. ostendimus, S. Petrum constitutum a Jesu Christo supremum Ecclesiæ universæ caput, supremumque ei regimen super universam Ecclesiam collatum fuisse, ac propterea tributum Primatum auctoritatis, & jurisdictionem super universam Ecclesiam, ad eumdem Primatum adstruendum una cum aliis omnibus Catholicis ii quoque utuntur, qui Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum volunt (1). Profecto quia *Matth.* cap. 16. v. 18. & seq. legitur, Ecclesiæ totum ædificium positum supra Petrum, eique singulariter datas claves regni cœlorum; quia *Lucæ* cap. 22. v. 32. habemus, Christum pro fide Petri singulariter orasse, ne deficeret, ac eidem Petro præcepisse, ut fratres in fide confirmaret: quia tandem *Joannis* cap. 21. v. 15. & seqq. traditur, omnes tum agnos, tum oves Petri curæ Christum subjecisse, ut tum illos, tum istas pasceret, una cum ceteris aliis ii quoque, qui Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum volunt, recte inferunt Primatum auctoritatis, & jurisdictionis Petrum a Christo recepisse, quia id non solum ostendunt verba,

(1) Vide inter alios Natalem ab Alexandro *Dissert.* 4. in *Hist. Ecclesiast. Novi Testam.* §. 1.

ba, quæ in citatis Matthæi, Lucæ, & Joannis locis leguntur, sed etiam unanimis traditio Patrum aperte confirmat (1): qua sane illud quoque perspectum habemus, non minus ad Romanos Pontifices, quam ad Petrum referri oportere, quæ Christum ad Petrum *Matth.* cap. 16. v. 18. & seq., *Lucæ* cap. 22. v. 32., *Joannis* cap. 21. v. 15. dixisse legimus (2). Modo vero ita. Fundamenti proprium est, æque singulas, ac omnes simul ædificii partes sustentare, & si quæ sint, etiam nobiliores simul unitæ, quæ in fundamento suum sustentaculum non habeant, hæ profecto a tota ædificii compage disjiciuntur: si igitur Petrus est Ecclesiæ fundamentum, atque illum Christus Ecclesiæ fundamentum constituit, adstantibus Discipulis (3), qui procul dubio erant optimates; si Ecclesiæ ratio habeatur, omnes Fideles, qui ad Ecclesiam pertinent, cujusvis tandem conditionis illi sint, non solum *distributive*, sed etiam *collective*, suum in Petro fundamentum habent. Rursus: tunc unus tantum quodcumque solvendi potestatem habet, quando quodcumque est obnoxium solutioni ejus, sive illud quod solvi debet, ad unum, vel alterum, sive ad quosvis hominum cœtus spectet; alioquin neque esset potestas unius, neque singularis, neque ad quodcumque extenderetur. At unus Petrus singularem potestatem solvendi quodcumque a Christo recepit, atque eo quidem tempore recepit, quo Ecclesiæ, quæ tunc erat, optimates simul aderant: hæc igitur potestas illius quodcumque complectitur, sive illud ad singulos *distributive*, sive ad cœtum optimatum, aut ad omnes *collective* pertineat.

Fratres in fide confirmari possunt non minus *distributive*, quam *collective*; hoc est, hujusmodi confirmatio fieri potest, non solum habita ratione singulorum, sed etiam diversorum cœtuum, atque simul etiam totius multitudinis. Pro uno tantum Petro Christus oravit, ne deficeret fides illius; uni tantum Petro mandavit, ut fratres in fide confirmaret, & quidem eo præsente cœtu optimatum, qui tunc in Ecclesia erant (4). igitur Petro commissum fuit, non minus ut singulos *distributi*-*ve*

(1) Vide lib. 18. cap. 1. & 2. (2) Lib. 19. cap. 2. §. 5. & seqq.
(3) Vide *Matth.* cit. locum. (4) Vide *Lucæ* cit. locum.

ve cofirmaret, quam omnes *collective*, ne excepto quidem cœtu optimatum, qui ad Ecclesiam pertineant.

Tandem pastor suas oves non minus singulas *distributive*, quam omnes *collective* pascit;immo & cura ejus omnes plerumque *collective* respicit atque tunc tantum ad aliquas singulariter attendit, quando id singularis necessitas exposcit, semperque oportet, ut omnes *collective* ejus curæ subjiciantur. Petrus vero agnos, & oves pascendi curam a Christo recepit, & iis quoque agnis præsentibus, recepit, quibus futurum erat, ut in Ecclesia Christi cura pascendi alios incumberet, idemque Petrus totius ovilis, quod ad Ecclesiam pertineret, unus, atque solus supremus Pastor constitutus fuit: nihil ergo minus dici potest, quam quod Petrus singulos tantum *distributive* pascendi curam a Christo receperit, non vero omnes *collective*, vel quod cœtus optimatum ab ejus cura pascendi exclusus fuerit. At paucioribus. Præsentibus Apostolis, & Discipulis simul adstantibus, Christus constituit solum Petrum Ecclesiæ universæ fundamentum, claves regni cœlorum illi singulariter dedit, pro fide illius singulariter rogavit, eique singulariter præcepit, ut fratres in fide confirmaret, atque omnes tum agnos, tum oves illius singulari curæ submisit, & hac de causa ex his omnibus recte colligitur, Primatum potestatis, & jurisdictionis Petro etiam supra ceteros Apostolos Christum contulisse, ac propterea Ecclesiæ regimen Aristocraticum non esse: igitur nullum cœtum etiam optimatum, & eum quidem omnium præstantissimum, a subjectione Petri Christus exclusit: auctoritate igitur ejus Divini verbi tum scripti, tum traditi, qua apud omnes Catholicos certissime constat de Primatu auctoritatis, & jurisdictionis Romani Pontificis, constare etiam unicuique debet de illius omnino simplici, absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti Monarchico regimine.

§.XIV. Theologicis illis rationibus,quibus de Primatu potestatis, & jurisdictionis ipsius Romani Pontificis omnibus Catholicis perspectum est, etiam de Ecclesiæ Monarchico regimine

mine simplici, & absoluto, atque cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti apud omnes certum esse debet.

Eas nunc rationes expendamus, quas una cum aliis omnibus ad evincendum Primatum auctoritatis, & jurisdictionis in Romano Pontifice ii quoque in medium adducunt, qui pugnant pro contemperatione Aristocratiæ cum Monarchico Ecclesiæ regimine. " Quod Ecclesiæ regimen sit Monarchicum,
" multis probatur (inquit Natalis ab Alexandro *Dissert.* 4. *in*
" *Hist. Ecclesiast.* sec. 1. §. 2.). Primo optima regiminis forma
" in Ecclesia instituta a Christo est : sed Monarchia omnibus
" regiminis formis antecellit, ipsa natura teste ..... ergo Ec-
" clesiæ regimen Monarchicum est ". At vero qua tandem ratione, teste natura, constat, Monarchiam esse optimam formam regiminis? Quia, inquit idem Auctor, natura " Regem unum
" apibus, gregibus ducem unum, armentis rectorem unum
" præficit, ipso naturæ auctore demonstrante, qui in cœlesti-
" bus hierarchiis unum Angelum constituit ceterorum ducem,
" ac præsidem ". Bene quidem, immo optime, non tamen cohærenter ad eam sententiam, quam de Ecclesiæ Monarchico regimine Aristocratia temperato una cum aliis ipse quoque tuetur. Quid enim? Anne Monarchiam optimam formam regiminis esse constaret, si apes simul congregatæ suo regi, grex simul unitus suo duci, armentum simul acceptum suo rectori, Angeli in unum convenientes suo principi & jus dicere, & leges imponere, & potestatem eorum non solum regere, ac moderari, sed etiam restringere, & coarctare possent? Tunc profecto, si ad naturam attendatur, ea teste, non Monarchicum, sed Democraticum, vel Aristocraticum, quando horum corporum præcipuæ simul unitæ partes id præstare valerent, regimen omnium optimum esse colligeretur. Qua ergo tandem ratione ex hisce exemplis imperium Ecclesiæ Monarchicum esse colligitur? Profecto non alia, nisi quia præesse apibus, gregibus, & armentis unius est, atque ita unius, ut & singulæ partes eorum, & omnes simul ei subjiciantur. Ex hac sane subjectione tum singularum partium, tum omnium simul ad suum caput, quæ revera est in apibus, & in gregibus, & in armentis,

Monarchicam formam regiminis omnium præstantissimam esse, certo colligitur: igitur, duce natura, constat de excellentia ejus Monarchici regiminis, quod est omnino simplex, atque absolutum.

Ecclesia, prosequitur Natalis ab Alexandro, dicitur *Canticor.* cap. 6. v. 3. *Terribilis*, *ut castrorum acies ordinata*, est regnum a Daniele prædictum cap. 2. v. 44., est ovile, sicuti legitur *Joannis* cap. 10. v. 1., est domus, uti Christus innuit *Lucae* cap. 12. v. 42., est denique unum corpus, quemadmodum tradit Apostolus *Roman.* cap. 12. v. 4. At vero in acie recte disposita præter Tribunos, & Duces inferioris ordinis, unus Imperator esse debet, ad quem summa rei militaris referatur, quique exercitui constituat, quidquid fieri debet: in ovili præter minores Pastores, aliquis summus Pastor sit oportet, cui incumbat oves universe regere: in domo unus Dominus, unusque œconomus constitui debet: in multitudine membrorum caput unum est; quod omnia ea inter se nectit, atque regit: igitur etiam in Ecclesia & summus Princeps, & summus Pastor, & summus Dominus, atque œconomus, & summum caput esse debet, a quo ea regatur, atque gubernetur: Primatus igitur auctoritatis, & jurisdictionis in Ecclesia poni debet. Ita ipse, & recte quidem cum omnibus Catholicis, argumentatur. At vero ista omnia sicuti Primatum auctoritatis, & jurisdictionis ostendunt; ita etiam evincunt regimen Monarchicum omnino simplex, & absolutum, prorsus autem opponuntur Monarchico regimini, quod Aristocratia temperatum sit. Nam supremo Imperatori, semel ac is unus sit, ad quem spectet summa rei militaris, & universum exercitum regere, Tribuni, & Duces exercitus etiam simul uniti subesse debent: supremo Pastori, cui ovium universarum cura incumbit, omnes simul inferiores Pastores obtemperent oportet: qui in familia minora munera obeunt, nullam, etiamsi simul accipiantur, supra totius familiæ supremum œconomum auctoritatem habent, sed illi obedire debent: tam manus, & pedes, quam aliæ præstantiores partes corporis, etiam simul unitæ, subsunt imperio capitis, atque ab eo reguntur. Si igitur supremo capiti exercitus,

tus, ovilis, domus, & membrorum, quæ unum corpus constituunt, suprema auctoritas potestatis, & jurisdictionis tribuatur, quemadmodum tribui debet, ut ex similitudine eorum Primatus auctoritatis, & jurisdictionis evincatur; ex hisce omnibus exemplis evidentissime perspicitur Ecclesiæ regimen simpliciter, & absolute Monarchicum esse, nullamque in se Aristocratiæ contemperationem habere posse.

Quapropter exempla Imperatoris, Pastoris, Œconomi, & Capitis omnium membrorum corporis aut apta sunt ad demonstrandum Primatum auctoritatis, & jurisdictionis in Ecclesia, aut apta non sunt: hoc sane Adversarii nobiscum cum omnibus Catholicis negant: sunt ergo revera apta. Oportet igitur, ut Imperator, Pastor, Œconomus, Caput membrorum corporis habeant Primatum jurisdictionis; ac propterea Imperatori etiam omnes Duces inferiores, Pastori inferiores Pastores, Œconomo inferiores Ministri, Capiti omnia membra, quavis tandem ratione accipiantur, hoc est, sive simul, sive divisive, subjecta esse debent. Nam, uti supra dicebamus, quod est primum eadem ratione nullam divisionem admittit, ac unum, proindeque Primatui jurisdictionis, qui revera talis sit, & non secundum nomen, non minus opponitur, quod singuli, quam quod aliquis cœtus, aut multitudo ei non subjiciantur. Semel ac autem tum singuli, tum universi, tum quilibet etiam cœtus Primatui subdatur, nihil ad regimen Monarchicum absolutum, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis omnino expers, desiderandum superest. Illis ergo rationibus theologicis, quibus de Primatu potestatis, & jurisdictionis ipsius Romani Pontificis omnibus Catholicis perspectum est, etiam de Monarchico regimine simplici, & absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti, apud omnes certum esse debet.

§. XV. Ipsa ratio unius supremi Capitis, quale in Ecclesia omnes Catholici agnoscunt, evidenter ostendit, Ecclesiæ regimen absolute Monarchicum esse, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis expers.

Ipsam rationem supremi Capitis, quod in Ecclesia Adver-

versarii cum ceteris omnibus Catholicis profitentur, ultimo loco expendamus, videamusque quam necessariam cum ea connexionem regimen absolute Monarchicum habeat. Quia ergo Ecclesia, sicuti Apostolus affirmat *Roman.* cap. 12. v. 5., est unum corpus, & in corpore ad solum caput spectat omnia membra regere; unum quoque Supremum caput in Ecclesia esse debere, quod super omnia membra ejus potestatem habeat, cum aliis omnibus Catholicis ii quoque statuunt, qui Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum volunt (1). Verum hoc, quod volunt, repugnat ipsi rationi supremi Capitis, quam tuentur. Capitis enim est, omnia membra regere, sive singulatim, sive simul unita illa accipiantur, & si supra caput aliquæ simul unitæ partes corporis, licet nobiliores aliis, sese extollant; tunc e sua conditione ipsum caput excidit, sed formam capitis hujusmodi simul unitæ partes induunt, quæ sicut in caput, ita etiam in ceteras partes corporis dominari possunt. Cum ipsa ergo notione capitis adeo necessario connectitur, omnes partes sive singulatim, sive simul acceptas, suo capiti subjectas esse debere, ut si id non habeatur, ipsum caput e sua conditione omnino decidat. At qui Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum faciunt, volunt, ut illa pars Ecclesiæ, quam optimates in Concilio Œcumenico simul uniti componunt, non sit subjecta supremo Ecclesiæ Capiti: illud ergo e statu suæ conditionis deturbant, atque hac sua sententia oppugnant alteram de Supremo capite Ecclesiæ, quam cum omnibus Catholicis tuentur. At de re ista tota magis explicate agamus.

Triplex ergo unitas cum Joanne Laurentio Moshemio homine licet averso a Catholica Religione in hac tamen distinctione unitatis recte sentiente in Dissertatione Theologica-Historica *De Gallorum appellationibus ad Concilium universæ Ecclesiæ, unitatem Ecclesiæ spectabilem tollentibus* distingui potest, hoc est, *Physica*, *Moralis*, & *Civilis*. Unitas *Physica* in ea connexione consistit, quam membra cum suo capite habent, quaque fit, ut caput influat in membra, & hæc a capite influxum reci-

(1) Vide Natalem ab Alexandro cit. loco.

recipiant : *Moralis* posita est in perfecta consensione dogmatum, atque sententiarum, quam omnes Doctores, atque Pastores cum supremo Doctore, atque Pastore habent : *Civilis* demum in ea consociatione, quam membra certis ordinibus colligata inter se habent, ejusque consociationis apex, & origo ille est, qui Primatum jurisdictionis in republica gerit. Moshemius primo loco unitatem *Moralem*, secundo *Physicam*, tertio *Civilem* posuit; tamen quemadmodum Orsius monuit in singulari Dissertatione *De Sententia Illustrissimi Petri de Marca &c.* cap. ult., hæ tres species unitatis ita inter se ordinem habent, ut, sicut ille inquit, " Ea præcedat, quam *Physicam* appellare " libuit, quod naturalibus exemplis fontis, radicis, & capi- " tis explicetur; hanc unitas Moralis excipiat, quæ in sen- " tentiarum, & dogmatum consensione posita est; ex qua de- " mum Ecclesiæ pax, & tranquillitas, ac veluti fraterna, & " unius familiæ concordia, vel unius civitatis, aut rei, ceu " *Civilis* unitas efflorescat. Ex quo enim a prima Sede, seu " Cathedra principali docendi munus, & auctoritas in uni- " versa Ecclesia, velut a capite, fonte, & origine pendet; " sequitur, quod eam omnes veluti magistram colere, ac suspi- " cere debeant; adeoque eadem cum illa sentiendi necessitas " omnibus incumbit. Ex hac vero sententiarum, & dogma- " tum consensione pendent ea cœlestis Civitatis jura, quæ a " Tertulliano dicuntur (1) *Communicatio pacis, & appellatio* " *fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis* : *quæ jura*, subjun- " git laudatus Auctor, *non alia ratio regit, quam unius sacra-* " *menti una traditio*. Ut nimirum hæc cum Sede Apostolica " civilis communio, ac veluti consociatio argumentum sit con- " sensionis in eamdem doctrinam ". Nunc ergo prout fieri poterit paucioribus, ostendendum aggredimur, huic triplici unitati, quæ inter membra, & caput considerari potest, nullum locum in Ecclesia reliquum esse, semel ac Monarchicum ejus regimen ea ratione, qua Adversarii volunt, Aristocratia temperatum ponatur.

In quo posita sit illa *Physica* unio, ob quam in Ecclesia mem-

(1) Lib. *De Præscript.* cap. 20.

membra suo capiti adhærent in *Monitis Comitiorum Generalium Cleri Gallicani* an. 1626. die 20. Januarii traditum habemus. Nam in iisdem art. 137. hæc leguntur: " Quamobrem Episcopos hortamur, ut Sanctam Sedem Apostolicam colant, " nec non Ecclesiam Romanam, in fidissima promissione Dei, " in Sanguine Apostolorum, & Martyrum fundatam, Matrem " Ecclesiarum, & per quam ceu per sacrum Caput, ut loquitur S. Athanasius, reliquæ Ecclesiæ, quæ ipsius tantum " membra sunt, eriguntur, & stant, & conservantur (1)". Per hoc ergo cum Ecclesia Romana reliquæ Ecclesiæ, sicuti membra cum suo capite, physice uniuntur, quia ab illa habent, ut erigantur, stent, atque conserventur: ita enim fit, ut & caput in sua membra influat, ejusque influxum membra recipiant, & omnia membra sub unitate capitis unius contineantur, atque unum corpus efficiant. Unio hæc ergo Physica tollitur, semel ac Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum ea ratione sit, qua Adversarii contendunt. Nam, ea contemperatione posita, non Romana in reliquas Ecclesias simul unitas, seu non caput in simul unita sua membra influit, sed simul unitæ Ecclesiæ in Romanam, seu simul unita membra in suum caput cum auctoritate influunt. Nam Præsules Ecclesiarum in Concilio Œcumenico simul uniti supremo Romano Præsuli universæ Ecclesiæ jus dicunt, easque sibi vindicant partes, quæ non quidem membrorum, habita ratione capitis, sed capitis habita ratione membrorum, propriæ sunt.

" Ecclesia (inquit S. Cyprianus *De Unitate Ecclesiæ*) una " est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, & " rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, " & quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unius tamen " servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præci-

" sus

(1) Apud Charlasium in Tract. *De Libert. Eccles. Gallic.* lib. 12. cap. 10.

„ ſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem „ totum radios ſuos porrigit. Unum tamen lumen, quod ubi„ que diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos „ in univerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes „ largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput eſt, & „ origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa". At vero Auctores Ariſtocraticæ contemperationis, & quidem etiam juxta ſuam ſententiam, quam una cum Eccleſiæ Patribus tuentur, radium ſolis a corpore avellunt, ab arbore ramum frangunt, a fonte rivum præcidunt: ergo tollunt unitatem radii cum ſole, rami cum arbore, rivi cum fonte. Primo de ſententia, quam cum Patribus tuentur. Primatum, & quidem auctoritatis, atque juriſdictionis, a Chriſto in Eccleſia inſtitutum fuiſſe ad totius Eccleſiæ membrorum unitatem tuendam, eumque propterea, cui Chriſtus hujuſmodi Primatum detulit, eſſe centrum unitatis, ipſa prælucente Traditione (1), Auctores Ariſtocraticæ contemperationis fatentur. Gerſonius *De Poteſtate Eccleſiaſt. Conſiderat.9.*, facta mentione illius Chriſti præceptionis, " Qua „ voluit Eccleſiam ſuam regi principaliter ſub uno, & ab uno „ Monarcha, ſicut eſt una fides, unum baptiſma, & una Ec„ cleſia unitate capitis, tam primarii, quam vicarii", hanc rationem ſuperaddidit: " Quoniam iſte eſt optimus Principatus „ præſertim in ſpiritualibus ad conſervationem unitatis fidei, „ ad quam obligantur omnes". Joannes de Pariſiis in *Tractatu De Poteſtate Regia, & Papali* cap. 3. " Nam poſt corporalem „ (inquit) ſubtractionem præſentiæ corporalis Chriſti contigit „ interdum circa ea, quæ ſunt fidei, quæſtionem moveri, in „ quibus propter diverſitatem opinionum, vel ſententiarum „ diſcinderetur Eccleſia, quæ ad ſui unitatem requirit fidei „ unitatem, niſi per unius ſententiam Eccleſiæ, & fidei uni„ tas ſervaretur. Hic autem unus Principatum hujuſmodi ha„ bens eſt Petrus" Petrus de Marca in opere *De Diſcrimine Clericorum* cap. 3. num. 2. " Chriſtus Dominus noſter (ait) „ Apoſtolis omnibus, & ſingulis in ſolidum Eccleſiam ſuam „ fundandam, docendam, & regendam commiſit, ea tamen

(1) Vide quæ diſſeruimus lib. 18. cap. 2. §. 9.

„ lege adjecta, ut Petrus inter eos Primatum gereret, & ca-
„ put esset Collegii illius Apostolici, eo fine scilicet, ut præ-
„ ter communem cum aliis curam, unitatis conservandæ in
„ exercendo regimine sollicitudo præcipua, & specialiter illi
„ competeret". Nicolius in *Instruct.* 10. in *Symbolum* §. 10. latine redditus ita habet: " Docet nos Traditio, Deum ob
„ conservandam suam Ecclesiam in unitate, constituisse Ca-
„ thedram, & auctoritatem superiorem, ut in ejus conserva-
„ tionem invigilaret, quæ est Romanæ Ecclesiæ Cathedra". Claudius Fleuryus in *Institut. Juris Eccles.* cap. 14. num. 7. Romanum Pontificem *jure Divino ceteris præfectum* affirmat *ad unitatem Ecclesiæ conservandam*. Idem tradit Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 3. cap. 12. in Appendice, & in *Expositione Doctrinæ Catholicæ* cap. 21. postquam ea sese tradidisse affirmavit, quæ *de Sede Apostolica vera Ecclesiæ fides* docet, ita habet: " Ecclesiam
„ unitate nixam, tuendæ, ac firmandæ unitati Primatum S. Pe-
„ tri a Christo institutum, sedemque Apostolicam hujus uni-
„ tatis centrum, & radicem esse". Ipse Dupinius quamvis auctoritatis Summi Pontificis non æquus æstimator in *Præfat. ad Optatum* §. 2. hoc quoque fidei dogma ab Optato traditum affirmat: " Romanam Ecclesiam ceterarum matrem, & unita-
„ tis centrum propter Petrum, qui caput Apostolorum fuit". Sed quid hac in re senserint Auctores singulares, nunc consectamur, quando *centrum unitatis* in Romana Sede positum esse, omnes Galli consentiunt, sicuti ex pluribus Cleri Gallicani Comitiis perspectum habemus, & potissimum ex Comitiis an. 1682. die 19. Martii, eorumque encyclica epistola ad omnes regni Episcopos, & Archiepiscopos? Modo quod volumns. Ipsa Traditione prælucente, Aristocraticæ contemperationis auctores cum omnibus aliis Catholicis consentiunt: Sedem Apostolicam esse in Ecclesia centrum totius unitatis: Primatum a Christo institutum fuisse ad tuendam, atque firmandam unitatem: Petro conservandæ unitatis singulariter curam demandatam. Ad hanc profecto unitatem & omnes, & singulæ, & divisim, & conjunctim acceptæ partes referuntur; quemadmodum ad centrum circuli & singulæ, & divisim, & conjunctim acceptæ eæ lineæ omnes

omnes referantur oportet, quæ a peripheria ipsius ad illud ducuntur, atque in ipso simul uniri necessario debent. At vero semel ac ponatur Monarchicum Ecclesiæ regimen ita Aristocratia temperatum esse, ut Ecclesiæ Præsules in Concilio Œcumenico simul uniti non pendeant a supremo illo imperante, quod esse debet in Ecclesia centrum totius unitatis, quodque est apex illius unitatis, quæ totam Ecclesiam, qua late patet, complectitur, inde necessario consequitur, ut hic cœtus Præsulum a centro unitatis avellatur, & pars præstantissima omnium ad eam unitatem non pertineat, ad quam & universæ, & singulæ partes, & divisim, & conjunctim acceptæ eo modo referri debent, quo lineæ ad centrum circuli. Nullus igitur dubitandi locus superest, quin defensores Aristocraticæ contemperationis radium solis a corpore avellant, ab arbore ramum frangant, a fonte rivum præcidant, ac propterea tollant unitatem radii cum sole, rami cum arbore, rivi cum fonte: ab Ecclesia ergo tollunt eam *Physicam* unitatem, quam membra cum suo capite habere debent, quaque fit, ut caput in membra influat, & hæc influxum illius recipiant.

Neque est, cur reponatur, hujusmodi cœtum esse Ecclesiæ partem præstantissimam omnium, quæ dari, aut excogitari possint, eoque universam Ecclesiam repræsentari. Nam est sane pars præstantissima omnium: verum anne inde sequitur, ut ad centrum totius unitatis ea quoque referri non debeat? anne plures simul uniti radii solares, & ii quidem præfulgentissimi omnium, a corpore solis avelli? plures simul uniti rivi uberrimi omnium a fonte præcidi? plures simul uniti rami omnium quam maxima extensi ab arbore frangi possunt? At hic cœtus universam Ecclesiam repræsentat: universa ergo Ecclesia repræsentatur eo cœtu, qui est destitutus centro illo unitatis, a quo ipsa universa Ecclesia habet, ut una sit: ergo repræsentabit Ecclesiam sine unitate; nam aliquod objectum in altero id repræsentare non potest, quod in se aliquo modo expressum non habet. Quæ vero Ecclesia unitate destituta dari possit, sane non video, atque a nemine videri potest.

Moralem unionem positam diximus in ea consensione

dogmatum, atque sententiarum, quam omnes Doctores, atque Pastores cum supremo Doctore, & Pastore habent. Hanc quoque unionem tolli contendimus, semel admissa sententia illorum, qui Aristocratia contemperatum Monarchicum Ecclesiæ regimen volunt. Hoc vero est, quod Moshemius in citata Dissertatione (1) recte adstruxit auctoritate Irenæi etiam juxta interpretationem duorum præstantissimorum Galliæ Scriptorum. Irenæus ergo lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 2. ita habet: " Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam) propter po„ tiorem principalitatem necesse est omnem convenire Eccle„ siam, hoc est, eos, qui sunt undique, Fideles, in qua sem„ per ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab „ Apostolis traditio ". Hæc vero expendens Renatus Massuetius Dissertatione 3. in Irenæum art. 4. §. 30. ita habet: " Ut „ vero unitas inter tot Episcopos, totque singulares Ecclesias „ tam longe a se invicem distantes foveri, omniumque con„ sensus facilius explanari posset, nec omnes, emergentibus „ quibuscumque controversiis, maximo cum singularum gra„ vamine simul in unum locum convenire cogerentur; necesse „ erat primam aliquam inter omnes Ecclesiam constitui, quæ „ ceteris omnibus præesset, ceteris pro jure invigilaret, ac „ veluti unitatis quoddam centrum esset, in quod omnes in„ fluentes ejusdem fidei, & communionis nexu colligarentur. „ Cognita igitur hujus primæ Ecclesiæ sententia, ceterarum „ omnium satis ut plurimum cognita fuerit: una enim omnium „ cum ea Ecclesia fides & doctrina; hæc ceterarum caput, cui „ arctissime adhærere tenentur omnes. Porro hoc esse unius „ Romanæ Ecclesiæ privilegium, ut primum inter ceteras „ omnes honoris, dignitatis, atque auctoritatis gradum ob„ tineat, aliasque omnes sibi inferiores habeat, tam clare, & „ aperte docet Irenæus, ut lubens in meridiana luce cæcu„ tiat, quisquis negare audeat ". Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* lib. 1. cap. 2. §. 7. " Commune hoc „ officium communionis (inquit) cum Ecclesia Romana, cui „ impendendo Gallia provincia cum ceteris adstringitur, co-

„ gno-

(1) Num. 14.

„ gnoverat ante omnes vetustissimus ille Lugdunensium Antistes Irenæus, qui unus scripsit, quod omnes sentiebant: „ *Ad Romanam Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*: quasi diceret „ juxta sinceriorem verborum illorum interpretationem, eam „ esse vim unitatis, quæ principium, & originem a Petri sede „ traxit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat“. Addere Bossuetium possumus lib. 10., alias 15. *Defensionis &c.*, cap. 14., qui eumdem S. Irenæi locum expendens affirmat, Sanctum Irenæum „ Merito universali Traditione proposi„ ta, partem ejus necessariam Ecclesiæ Romanæ traditionem „ commendasse; quum profecto certum esset, non potuisse „ fieri, ut a reliquis Ecclesiis discreparet, in qua omnes uni„ tatem servare deberent“. Cum Romana autem Ecclesia propter potiorem, vel potentiorem principalitatem non omnis sane Ecclesia convenit: Romana Ecclesia non præest omnibus, non est centrum unitatis, in quod omnes Ecclesiæ confluentes ejusdem fidei, & communionis nexu ligentur, non est caput ceterarum, cui arctissime adhærere omnes teneantur, & in illa unitatem servare debeant, semel ac Ecclesiæ simul collectæ, hoc est, Præsules Ecclesiarum in Concilio Œcumenico simul uniti, Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Summo Pontifici subjecti non sint, sed jus illi dicere possint, eumque suis decretis obnoxium reddere. Res hæc est per se manifesta, & argumentatione non eget. Tunc enim omnes Ecclesiæ cum Romana non convenirent propter potiorem principalitatem: Romana Ecclesia non præesset omnibus, non esset centrum unitatis, in quod omnes Ecclesiæ confluentes ejusdem fidei, & communionis nexu ligarentur: non esset caput ceterarum, cui arctissime adhærere omnes tenerentur, & cum ea unitatem servare. Nullus ergo *Morali* unitati relinquitur locus, semel ac in Monarchico Ecclesiæ regimine Aristocratica contemperatio admittatur (1).

Idem etiam de *Civili* constat. Centrum totius civilis unitatis

(1) Potiorem principalitatem Rom. Eccl. ultimo referri ad Rom. Pont. lib. 23. cap. 5. §. 1. & seqq. ostendemus.

tatis in republica est in illo, qui tenet super omnes Primatum jurisdictionis, ac propterea ad hanc civilem unitatem requiritur, ut omnia membra reipublicæ, quamvis ea variis ordinibus inter se distincta sint, sua subjectione simul consocientur in illo uno, qui supremam in republica Præfecturam gerit. Sublata enim a membris, vel ea simul unita, vel singillatim accipiantur, hac unitate subjectionis, ab illo uno, qui in republica supremam Præfecturam gerit, etiam politica unitas procul dubio tollitur, sicuti nemo non videt. Ut ergo nullus cœtus hominum, quamvis omnium præstantissimus ab hac unitate subjectionis excludatur, ipsa politica unitas necessario requirit. Quod si hujusmodi cœtus non solum ab hac unitate subjectionis excludatur, sed etiam sua auctoritate super eum possit, in quo ob supremam Præfecturam est centrum totius politicæ unitatis; tunc sane tota politica unitas prorsus dissolvitur. Hoc vero est, quod politicæ Ecclesiæ unitati contingit, si cum ejus Monarchico regimine Aristocratica contemperatio admittatur. Hac enim semel posita, fit, ut cœtus optimatum totius Ecclesiæ supremo Capiti, in quo tantum est centrum totius politicæ unitatis, non solum non subjiciatur, sed etiam illi præsit, atque jus dicat, ac propterea tota politica unitas dissolvitur, quum nexus ille tollatur, quo omnia reipublicæ membra, quamvis variis ordinibus inter se distincta, sua subjectione in illo uno consociari debent, qui supremam in Republica Christiana auctoritatis, & jurisdictionis Præfecturam gerit. Quod ergo volebamus, singillatim, & per partes a nobis confectum arbitramur, hoc est, repugnare ipsi rationi supremi Capitis, quale in Ecclesia Catholici omnes agnoscunt, Ecclesiæ regimen Aristocratia contemperatum esse.

§.XVI. Simplici, atque absoluto Monarchico regimini supremi universæ Ecclesiæ Præsulis non adversatur, quod Patres in Concilio Œcumenico simul uniti sustineant personam Judicis.

Ut ergo cum sapientissimo Cano *De Auctoritate Conciliorum* lib. 5. cap. 1. loquamur, " Patres Concilii non modo con-
" siliarios esse, verum etiam judices, id inficiari nec possu-
" mus, nec debemus. Nam Patres Nicænæ Synodi a Sylve-
" stro

„ ſtro contendunt, ut quidquid conſtituerint, confirmet. „ Et Leo quæ a Concilio Chalcedonenſi de fide ſtatuta ſunt, „ ea dicit ſe probare. Et Concilium ipſum ad Leonem: *De-* „ *cretis*, inquit, *tuis noſtrum honora judicium*. Et ſexta Syno- „ dus Actione XVIII. *Anathematizamus*, inquit, *Theodorum*, „ *Sergium*, *Cyrum &c.* & paulo poſt: *His omnibus*, ait, *a San-* „ *cto hoc Concilio conſtitutis*, *& per ſubſcriptionem noſtræ fortitu-* „ *dinis confirmatis*, *ſancimus*, *ut nullus aliud quidquam de fide* „ *ſatagat*. Num verba hæc conſulentis ſunt, an potius judi- „ cantis? Atque in ceteris Patres non ut conſiliarii, ſed ut „ judices loquuntur. Caput enim 3. Nicænæ Synodi ſic habet: „ *Interdixit per omnia magna Synodus &c.*". Quemadmodum ergo Thomaſſinus *Diſſertatione* 12. in *Concilium Chalcedonenſe* num. 16. recte animadvertit, " Romanus Pontifex controver- „ ſiarum fidei judex, & arbiter eſt Summus, non ſolus: & Ca- „ tholici dogmatis magiſter primus ideo, quia non unicus. „ Doctorum Doctor, Magiſtrorum Magiſter eſt, & Parens. „ Nec Summus quippe ipſe, nec Primus, nec Magiſter eſſet „ Doctorum, & Parens, niſi ſinguli Doctorum nomine, & „ munere clarerent Epiſcopi. Itaque poſtquam fidei dogma de- „ buccinavit Summus, & ſupremus Magiſter, id ad illius quo- „ que gloriæ incrementum pertinet, ut idem ipſum in Syno- „ do ab Epiſcopalis Collegii univerſitate promulgetur". Et re quidem vera quid nam tandem exigit ratio Monarchici regiminis? Profecto non aliud, quam ut unus ſingulis, univerſiſque ſimul præſit, ac propterea non patitur, independenter ab eo eſſe penes cœtum aliquem optimatum judicandi auctoritatem, multoque minus ſinit, eam in hujuſmodi cœtu eſſe decreta ferendi poteſtatem, cui etiam ipſum ſupremum imperans obnoxium ſit (1). Ceterum eidem Monarchico regimini non opponitur, ut penes optimates ſimul ûnitos hac, vel illa de re, quæ ad rempublicam pertineat, ſit judicandi poteſtas, atque revera ab eis judicia ferantur, dum tamen hæc judicia rempublicam non obligent, quoad uſque a ſupremo imperante, quod univerſæ reipublicæ præeſt, probata fuerint (2). Patres autem in

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 1. & ſeqq. (2) Cit. cap. §. 11.

in Concilio Œcumenico simul uniti, licet judiciorum ferendorum veram potestatem habeant; quamvis revera judicia sua ferant; his tamen, ut universa qua late patet Ecclesia, obligetur, a supremo universæ Ecclesiæ Præsule (ut nihil nunc de eo dicam, quod requiritur ad legitimam congregationem hujusmodi cœtus) probata sint oportet. Auctoritate ergo Summi Pontificis comprobandum esse, quod Patres in Concilio Œcumenico decreverint, ut illud apud universam Ecclesiam obligandi vim habeat, res est, de qua ex instituto in sequenti libro agemus: interea tamen iis, quæ jam ostendimus, ad hoc evincendum utemur. Quandoquidem ratio ipsa Supremi, quæ tum in Præfectura auctoritatis, & jurisdictionis, tum in legislativa potestate, tum in simplici, absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti Monarchico regimine continetur; hæc, inquam, ratio Supremi non super hos, aut illos, sed super universam Ecclesiam, qua late patet, ut sit independenter ab ea in aliquo cœtu, qui licet omnium præstantissimus, intra Ecclesiam tamen positus, illa decernendi potestas, quæ universam Ecclesiam obligat, profecto non sinit, non fert, non patitur; hoc enim tam cum ea pugnat, quam multiplicitas cum unitate. At Summus Pontifex supremam Præfecturam cum auctoritate, & jurisdictione super universam Ecclesiam ex Divina institutione habet (1): est etiam hujusmodi suprema legislativa potestate præditus, ut ea & universam Ecclesiam, & cœtus eorum omnium, qui haberi possunt, præstantissimos complectatur (2): tandem regimen illius non est Democraticum, aut Aristocraticum, sed simpliciter, atque absolute Monarchicum, cujusvis etiam Aristocraticæ contemperationis expers (3): ex iis igitur, quæ jam ostendimus, certissime consequitur, quod est a Patribus in Concilio Œcumenico definitum, si illud auctoritate Summi Pontificis comprobatum non fuerit, obligandi vim apud universam Ecclesiam habere non posse. Quo sane semel constituto, illud quoque constat, simplici, atque absoluto Monarchico regimini supremi universæ Ecclesiæ Præsulis non

(1) Lib. 19. cap. 2. §. 5. & seqq. (2) Cit. lib. cap. 3. §. 1. & seqq.
(3) Hujus lib. 20. toto cap. 1. & seqq.

non adverſari, quod Patres in Concilio Œcumenico ſimul uniti perſonam judicis ſuſtineant.

Non una itaque eademque ſemper eſt vis judiciorum, habita ratione ejus diverſæ poteſtatis, a qua judicia proficiſcuntur: ſi enim poteſtas nullam aliam ſibi ſuperiorem habeat, ſed ipſa in ſuo genere omnium ſuprema ſit; tunc judicia ejus nullatenus aut reſcindi, aut mutari, aut corrigi poſſunt, ſed firmiſſimam immutabilemque auctoritatem habent: ſi vero poteſtas alteri ſuperiori poteſtati ſubdatur; tunc ſane judicia ejus ab illa ſuperiori poteſtate aut reſcindi, aut mutari, aut corrigi poſſunt. Ex hoc tamen non ſequitur, quemadmodum etiam ex civili regimine conſtat, ut poteſtas inferior judicii ferendi auctoritatem non habeat, aut revera judi cium non ferat, ſed ſolummodo quod hujuſmodi poteſtas una cum ſuis judiciis ſuperiori ſubjecta ſit.

§. XVII. Regimini Monarchico, & ei quidem abſoluto, & cujuſvis Ariſtocraticæ contemperationis experti, non opponitur illa auctoritas, quam ordo Hierarchicus ex Divina inſtitutione habet.

Eccleſiaſtica Hierarchia, quemadmodum Patres Tridentini definierunt Seſſ. 23. can. 6. *Divina ordinatione* inſtituta fuit, eaque conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Unde non ſolum Eccleſiaſtica Hierarchia e medio tolli, ſed etiam id auctoritatis, quod ſingulis ordinibus ejus ex Divina inſtitutione convenit, auferri non poteſt arbitrio illius, qui Monarchicum in Eccleſia regimen tenet. Abſoluta enim poteſtas hujus ſupremi imperantis ea ſub ſe complecti non poteſt, quæ ſuam a Chriſto inſtitutionem habent. Quapropter Monarchicum Eccleſiæ regimen in eo a ſeculari differt, ut in iſto, ſi nulla contraria humana conventio, aut obligatio habeatur, poteſtas ſupremi imperantis ad illud quoque extendi poſſit, ut aut inſtituat, aut ſemel inſtitutos removeat diverſos hominum cœtus, qui in publico regimine aliquam partem habeant, iiſque magis, vel minus amplam poteſtatem communicet, aut ſemel communicatam ab iiſdem auferat. Contra vero ſupremum imperans in Eccleſiaſtico regimine neque Eccleſiaſticam

Hierarchiam delere, neque ipsam potestatem in se acceptam, quam Episcopi, Presbyteri, atque Ministri ex Divina institutione habent, auferre ab eis, aut circumscribere, vel coarctare potest. De eo nunc disputare nolumus, utrum Episcopi suam omnem jurisdictionem a Summo Pontifice immediate mutuentur. Quamvis enim, quemadmodum Cl. Orsius animadvertit *De Romani Pontificis Auctorit.* lib. 2. cap. 11., veterum Patrum, atque Summorum Pontificum testimoniis ostendi possit, jurisdictionem Episcoporum immediate a Summo Pontifice esse; id tamen neque omnino certum est, neque ad rem nostram refert, nolumusque propterea ex minus certa opinione, quæ multis fortasse odiosa esse posset, longe certiorem confirmare. Episcopi itaque, si ovilis singulariter illis commissi ratio habeatur, sunt profecto Pastores, atque potestatem pascendi suum gregem ex Divina institutione habent: si autem ad eam supremam potestatem attendatur, qua Summus Pontifex supra universam Ecclesiam præfulget, ipsi quoque inter oves computandi sunt. Hac de re neminem dubitare sinunt, quæ jam pluribus in duobus locis disseruimus (1), explicantes illa Christi verba ad Petrum: *Pasce agnos meos*: *Pasce oves meas*. Inter oves ergo Episcopi computari debent, quatenús ea auctoritate, qua ex Divina institútione præditi sunt, uti nec possunt, nec debent sine illa subjectione ad supremum Ecclesiæ caput, sed cum centro ipso unitatis, quod est Romanus Pontifex (2), in suæ exercitio potestatis semper colligati sint oportet, immo qua auctoritate præfulgent, ea ratione utantur oportet, quam Summus Pontifex, cujus est prospicere universitati totius Ecclesiæ, illis constituerit. Nam ut inferiores subjecti sint superioribus, ipsum jus Divinum, atque etiam naturale exigit. Hinc vero est, ut ii quoque, qui Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum volunt, hoc tam evidenti principio perculsi, quo constat, omnia membra a capite pendere debere, omnem potestatem, quæ ex Divina institutione est in Ecclesiæ Præsulibus, atque Ministris cum subjectione ad supre-

(1) Lib. 18 cap. 1. §. 7. & seq., & lib. 19. cap. 2. §. 8. (2) Vide hujus cap. §. 15.

supremum Ecclesiæ caput ab eis exercendam esse docuerint. Gerson in Tractatu *De Statibus Ecclesiasticis* sermonem habens de statû Prælatorum, institutionem Episcoporum esse Divini juris postquam docuit, affirmat *Statum* illorum Summis Pontificibus subesse, non ita quidem, ut *illud possit Papa annullare*, sed ut *quoad usum, & exercitium* potestatem illorum *limitare*, *& coercere* valeat. *Consideratione* 3. inquit: " Status prælationis Episcopalis habuit in Apostolis, & successoribus usum, vel exercitium suæ potestatis sub Petro, & successoribus ejus, tamquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde & quoad talia minores Prælati subsunt Episcopis, a quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur, vel arcetur: & sic a Papa posse fieri circa Prælatos majores ex certis, & rationabilibus causis non est ambigendum ". Clerus Gallicanus in Comitiis extraordinariis die 8. Maii an. 1728. loquens de Episcopali potestate a Christo instituta ait: " At Jesus Christus ipse sua institutione limites præscripsit huic potestati, quam subjecit Sedi Petri, in qua posuit plenitudinem Apostolicæ potestatis ". Ipse etiam Bossuetius, eorum, quæ habet S. Bruno Astensis Homilia in vigilia festi S. Petri (1), sententiam expressit in *Meditationibus* super Evangelium die 70., & in sermone habito in Comitiis Cleri Gallicani an. 1681., in quo animadvertit, eos, qui *Pastores sunt relate ad populum*, *relate ad Petrum oves esse*. Unde mirandum non est, si sæpius Summi Pontifices, quemadmodum ex Ecclesiastica historia perspectum habemus, eam, quæ est in Episcopis, jurisdictionem quoad exercitium restrinxerint, prout ad commune bonum totius Ecclesiæ magis expedire, iisdem visum fuit (2). Quemadmodum ergo juri Divino, quo Episcopi præfulgent supra Presbyteros, ea potestas ordinis, quæ est in istis ex institutione Divina, nullo modo contrariatur; ita etiam regimini Monarchico, & ei quidem absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti, non opponitur illa aucto-

(1) Vide locum ejus lib. 18. cap. 1. §. 8. (2) Vide Orsium *De Rom. Pont. Auctorit.* cap. 12 art. 2. & seqq., ac Petrum Ballerinium *De Potest. Eccl. Sum. Pont., & Concil. General.* cap. 1. §. 5. num. 13. & seqq.

auctoritas; quam ordo Hierarchicus ex Divina institutione habet.

In Monarchico itaque Ecclesiæ regimine etiam Aristocratia ex Divina institutione posita est, illamque propterea ne ipsum quidem supremum imperans ab Ecclesiæ gubernatione excludere potest: tamen inde non consequitur, ut vel contemperatio, vel commixtio proprie dicta Aristocratiæ cum Monarchia in Ecclesiæ regimine habeatur. Nam contemperatione fit, sicuti Defensores illius contendunt (1), ut supremum imperans optimatum simul unitorum auctoritati subjiciatur: mixtio autem proprie dicta tunc habetur, quando ex duobus simul commixtis fit aliquid unum tertium, quod differt ab illis duobus in se distincte spectatis. Hierarchia autem licet suum ex Divina institutione locum in Monarchico Ecclesiæ regimine habeat; tamen cum dependentia a supremo imperante haber, sicuti usque modo ostendimus, atque supremum imperans præest tam singulis, quam universis (2). Quo sane omnis ea contemperatio excluditur, quam Adversarii ponunt. Deinde licet etiam ad Hierarchiam Ecclesiæ regimen pertineat, unum tamen semper in eo manet supremum imperans omnium, ac propterea quod est proprium Monarchici regiminis (3) nullam mutationem induit, sed semper idem perseverat, nullusque locus mixtioni datur. Quando ergo in Monarchico regimine Aristocratia, & Democratia aliquam partem habent sub uno tamen supremo imperante, non solum nihil perfectionis detrahi Monarchico regimini, sed etiam aliquid superaddi, est jam ostensum a nobis (4). Profecto ex eo quod etiam ad ordinem Hierarchicum ea ratione, qua explicavimus, Ecclesiæ regimen pertineat, inde consequitur, ut in Monarchico Ecclesiæ regimine Aristocratia, & Democratia aliquam partem sub uno supremo imperante habeant: Aristocratia quidem, quatenus ad Hierarchicum ordinem pertinent primo Episcopi, deinde Presbyteri, postremo ceteri Ministri (5): Democratia vero; quatenus ad ministerium Ecclesiæ, deinde ad Presbyteratum, atque Epi-

(1) Cap. hujus §. 1. (2) Hujus cap. §. 12. & seq. (3) Cap. præced. §. 1. & seqq. (4) Cit. cap. §. 15. (5) Concil. Trid. sess. 23. can. 6.

Episcopatum, nemo est, qui assumi non possit, si aliunde canonicum aliquod impedimentum in se non habeat. Quia ergo in Monarchico Ecclesiæ regimine etiam ordo Hierarchicus suum locum ex Divina institutione habet, inde consequitur, ut idem Monarchicum Ecclesiæ regimen non solum nihil perfectionis amittat, sed aliquid acquirat.

§. XVIII. Simplici, & absoluto Monarchico Ecclesiæ regimini non opponitur, quod Pontifices se canonum custodes profiteantur.

Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 11. cap. 3. & seqq. totus in eo est, ut evincat, aperta ipsorum Romanorum Pontificum confessione constare, ipsos Romanos Pontifices esse custodes Sacrorum Canonum, nihilque eis magis curæ esse debere, quam ut omnes sequantur, quod Sacris Canonibus constitutum habemus. Illud quoque superaddit (1): quondam Romanos Pontifices, juramento interposito, professos fuisse, se " Decreta prædecessorum Apostolicorum Pontificum, quæcumque ipsi synodaliter habuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminute servare ". His autem omnibus illud se confecisse arbitratur citatus Præsul, quod cap. 2. sibi proposuerat, hoc est, *Pontificum potestatem Conciliari subesse*, ac propterea Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum fieri.

Verum res ita sese non habet: nam simplici, absoluto, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis experti Monarchico regimini non repugnare, ut supremus Monarcha ad certas quasdam leges ex conventione teneatur, jam confecimus (2). Illud ergo nunc cum Pufendorfio *De Jure Nat. & Gent.* lib. 7. cap. 6. §. 10. advertendum putamus, supremum imperans, quando summa imperii majestas illi defertur, ipso jure in sui administratione regiminis obstringi ad ea omnia, quæ ad commune bonum conducunt. Ex hoc autem fieri, ut potestas illius limitata evadat, nullus sane dixerit, semel ac contendere non voluerit, in Monarchico regimine supremum imperans ab omni lege tum naturali, tum Divina solutum esse debere. Hæc autem obligatio, quæ a Principibus jure naturali, ac Divino absque ullo

(1) Cap. 8. (2) Super. cap. §. 13.

ullo detrimento supremæ potestatis contrahitur, multa sane complectitur, si ea spectentur, quæ singulariter constitui debent quoad commune bonum. Inter hæc fortasse illud habet primum locum, ut receptæ consuetudines, aviti mores, & leges *fundamentales* serventur, quia semel ac ista convellantur, facile fieri potest, ut publica pax perturbetur. Unde fit ob priorem illam obligationem, quam ex jure naturæ, & Divino induit supremum imperans, hac quoque altera ipsum obstringi, hoc est, obligatione non mutandi ea, quæ juxta receptas consuetudines, avitos mores, ac *fundamentales* leges servari consueverunt, & curandi, ut ista apud omnes inviolata maneant. Huc sane, & non alio spectant plurima veterum Romanorum Pontificum testimonia, quibus non violatores, aut infractores, sed custodes, & exsequutores Sacrorum Canonum se esse profitentur, sicut illud Zosimi: „ Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam"; & hoc alterum S. Martini non minus doctrina, quam martyrio celebris: " Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores, & custodes Canonum sumus, non transgressores". Quæ utraque Bossuetius in citato libro cap. 2. una cum aliis ejusdem generis in medium adducit. " Hoc ipso ergo (sicuti inquit Cl. Orsius *De Rom. Pont. Auctorit.* lib. 7. cap. 6.) quod Apostolicum thronum Romanus Pontifex conscendit, se vindicem, ac defensorem Canonum profitetur. Quumque sese obstringat ad Christianam Rempublicam inculpate sanctequue gubernandam, & ad pietatem, ac religionis studium, morumque sanctitatem in Clero, & Populo promovendam, hoc ipso etiam spondet, aut spondere censetur sanctissimarum legum custodiam, ac tuitionem, atque earum imprimis, quibus Christiana pietas maxime continetur, & quibus vigentibus, ea maxime floret, quæque post Evangelicas, *fundamentales* Ecclesiæ leges dici quodammodo possunt". Illud tamen semper advertatur oportet, Summos Pontifices sibi tribuisse custodiam Canonum in Ecclesiæ utilitatem: ad hanc autem illorum custodia Canonum, qui versantur circa fidem, semper æque pertinet, & non pertinere non potest. Idem vero non est existimandum de Canonibus, qui ad disciplinam

nam ſpectant; ac propterea ipſe finis, ob quem Summi Pontifices cuſtodiam Canonum ſibi præſtituerunt, aliquando exigit, ut quoad hujuſmodi Canones aliqua mutatio fiat. Quum ergo ipſi Summi Pontifices & Eccleſiæ utilitatis ſupremam curam habeant, & ipſius ſint quoque ſupremi Judices, eſt ſane exiſtimandum, eos uſos illo jure, quo potiuntur, ſi quidpiam quoad diſciplinæ Canones mutaverint.

Olim quidem Romani Pontifices in ſua conſecratione obſervationem Canonum, ac diſciplinæ, & Sacrorum Rituum in hæc verba profitebantur, ſicuti ex Ivone, & ex libro diurno Romanorum Pontificum compertum habemus (1), ac pro ſe etiam Boſſuetius advertit in eodem libro cap.8. " Diſciplinam, & Ritum Eccleſiæ, ſicuti inveni, & a Sanctis Prædeceſſoribus meis traditum reperi, inlibatum cuſtodire. Et indiminutas res Eccleſiæ conſervare, & ut indiminutæ cuſtodiantur, operam dare..... ſi qua vero emerſerint contra Diſciplinam Canonicam emendare; Sacroſque Canones, & conſtituta Pontificum noſtrorum ut Divina, & Cœleſtia mandata cuſtodire ". Hæc tamen obligatio Romanorum Pontificum talis non erat, quæ Monarchico regimini adverſaretur: ipſi enim, nemine cogente, iis ſeſe obſtringebant. Deinde propter eam non Eccleſiæ, ſed unius Dei judicio ſe obnoxios profitebantur. Nam in eadem Profeſſione hæc ſuperadduntur: " Utpote tibi (B. Petro) redditurum me ſciens de omnibus, quæ profiteor, diſtrictam in Divino judicio rationem ". Ac rurſus: " Si præter hæc aliquid agere præſumpſero, vel, ut præſumatur, permiſero; eris mihi in illa terribili die Divini judicii depropitius ". Quod erat ergo Monarchici regiminis hujuſmodi profeſſione nullo modo lædebatur, ſed ſemper penes unum ſumma auctoritas, atque juriſdictio ſuper univerſam Eccleſiam integra remanebat.

INDEX

(1) 1. Prof. Fidei apud Garnerium.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

Ec-

solvit

quoad

gionis

FINIS TOMI SECUNDI.

ERRA-

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 222	*lin.* 4	exterior	interior.
270.271.		Turrecramata	Turrecremata,
279		Matthæi cap. 26.	cap. 16.
290	*lin.* 23	occſionem	occaſionem.
314	12	faecre ... quia	facere ... quin.
359	27	Lccleſia	Eccleſia.
	lin. ult.	Antcnio	Antonio.
374	23	ſubjectam	ſubjectum.

Tom. 1. pag. 11. lin. ult. præferendam: *leg.* non præferendam.